
8
4 B
27

CORONIS

OMNIVM JVBILORVM ANNO SÆCVLARI EVANGELICO SCRIPTORVM,

quâ

STATVS CONTVRBATÆ IN EVROPA RELIGIONIS,

Errores, Errorum Causæ, & Remedia,

MODESTA SYNCERITATE, ET PER[illegible]ICVA breuitate exponuntur, & omnibus omnium Religionum Ordinibus post centum annorum lachrymosa certamina pax suadetur.



AD SERENISSIMVM

LEOPOLDVM ARCHIDVCEM.

AVCTORE
R. P. ADAMO CONTZEN SOCIETATIS IESV, DOCTORE THEOLOGO, ET Professore SS. literarum Moguntiæ.

Cum gratia & priuilegio S. Cæs. Majestatis.



MOGVNTIÆ
Typis & Sumptibus IOANNIS ALBINI,
Anno M. DC. XIX.

APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS PROVINCIÆ RHENANÆ SOCIETATIS IESV.

HVNC librum, cui titulus: *Coronis omnium Iubilorum anno sæculari Euangelico scriptorum, quæ status conturbatæ in Europa Religionis, Errores, Errorum Causæ, & remedia, modesta synceritate, & perspicua breuitate exponuntur, & omnibus omnium religionum ordinibus post centum annorum lachrymosa certamina pax suadetur,* à R. P. Adamo Contzen Societatis nostræ Doctore Theologo & Professore S S. literarum Moguntiæ conscriptum, atque à deputatis ad id Theologis lectum & approbatum, Ego Ioannes Copperus Societatis Iesu apud Rhenum Prouincialis, concessa mihi potestate ab admodum R. P. N. Mutio Vitellescio Societatis nostræ præposito Generali Typis mandari permitto.

JOANNES COPPERVS.



REVERENDISSIMO AC SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D.

LEOPOLDO ARCHIDVCI AVSTRIÆ, EPISCOPO ARGENTINENSI ET PASSAVIENSI, &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

ADAMVS CONTZEN S. P. D.



STATVM religionis in Europâ, hoc eſt, populorum diſſenſenſiones, bella Cathedrarum, cruenta ſtyli vulnera, Reipublicæ Chriſtianæ diſcrimina, bellique cauſas ac modum, pacis conſilia, rationemque verè ac planè deſcripta, tibi, Reuerendiſſime & Sereniſſime Princeps, exhibeo, dico & conſecro. Neceſſarium eſt ſcriptioni meæ fidum patrocinium, forte præſi-

dium, quod à te Principe summi generis, ingenii, eruditionis, prudentiæ, humanitatis, & petere, & sperare audeo. Idque eo impensius, quod pro Augustâ tuâ in literas, scientiasque omnes, & scientiarum doctores munificentiâ, & comitate, (cuius æternum monumentum est Academia Molshaimiana) ista tibi animi grati significatio debeatur. Quin ipsa quoque materia digna est tuo iudicio, opportuna officio. Earum namque Diœceseon tibi gubernatio à Deo imposita est, quæ multiplicium hæreseon vicinitate pulsantur, quarumque constantiæ, & religioni, nuper errantium inconsultus ardor, per inconditos iubilatus, & profanas nouitates insultauit. Huius igitur rei matura, & prudens consideratio ad magnitudinem tuam pertinet: & nunc vel maxime, postquam iudicio Maximiliani, voluntate Augusti patruorum, cõsensu fratrum, ac totius Serenissimæ domus Austriacæ, amplissimorũ principatuum tibi facta est accessio, quam tu non opum, honorum, potentiæue augmentis æstimas, sed facultatem de tot populis bene merendi, virtutisque exercendæ da-

dæ da-

dæ datam arbitraris. Inter hos populos tuo imperio lætos, tibi fausta acclamantes, tibi quoque gratulor, & munus offero, quod pro generis, & animi tui SERENITATE accipies, gratumque habebis: memor non precio, sed animi veneratione Principem coli. Nihil vel ego, vel vniuersa Societas, quod non sit infra æstimationem, dignitatemque tuam accipientis, offerre tibi potest. Hoc tuæ magnitudinis est, quod tua beneficia compensari non possint. Solus tamen animorum affectus, seipso beneficiis respondet.

Ad scribendum porro me impulit, errantium doctorum iactantia sæcularis. Anno 1617. Omnia nouantium pulpita iubilis, gratulationibusque personuêre. Ego ministrorum, temere proteruientium intemperiem admiratus, ex eorum scriptis, historiaque, ac conscientiis demonstraui, fidem eorum nondum eam attigisse ætatem, qua sæculares ludi celebrantur. Deinde inter tot mutationes, conflictus, proscriptiones, anathemata, animarum exitia, concussiones Reipublicæ, docui non esse iubilandum, mœstum esse gau-

(?) 3 dium,

dium, cuius causa lugenda est. *Est apud auctores*, inquit Plin. lib. 37. c. 1. *& Intercatiensem illum, cuius patrem Scipio Æmylianus ex prouocatione interfecerat, pugnæ eius effigie signasse: vulgato Stilonis Præconini sale, quidnam fuisse facturum eum, si Scipio à patre eius interemptus esset?* Mihi quoque animus est quærere, quid facturi fuissent ministri, si per sedecim sæcula continuam ab Apostolis, Martyribus, Cōfessoribus fidei traducem retinuissent, qui nunc de centum annorum perpetua mutabilitate gloriantur? Lutherum, Augustanam confessionem, librum concordiæ deseruerunt, & de errore sæculari sibi plaudunt. Et hæc quidem mihi illorum multi crediderunt, leuiter, putideque esse facta: cœteri pudori iubilorum suorum indignationem iunxerunt, vt quamuis vera esse, quæ de Iubilis dixeram, negare non possent, dici tamen propalam ringerentur: sed maledictis me agitasse contenti, refutatione omnino abstinuerunt. Anno autem 1618. nundinis vernis concionum, thesium, disputationum, libellorum famosorum, picturarum, carminum examen, rudi

impietate,

impietate, ſed exercitatiſſimâ calumniandi promptitudine prorupit. Quicquid per ſe-na dena ſæcula in Chriſtianos Iudæorum contumacia, gentium proteruia, hæreticorum malitia, falſorum fratrum perfidia confinxit, hoc totum compendio nequitiæ paroxyſmus ſæcularis mundo retulit, & veneno per annos centum collecto, & quidem toto, ſe annus ſæcularis in medicos armauit. Hoc vero omnes agunt, vt veritas clamoribus repulſa, præiudiciis oppreſſa, innocentiæ defenſionem non habeat, & antiqua fides indictâ causâ damnetur: vt religionis antiſtites criminum mole obruant, & odio perſonarum bonam cauſam grauent. Oppoſui me tantis malis, & longæ ægritudini, quam ſuus nunc climacteriſmus exaſperauit, remedium conſcripſi, & ne cuipiam eius deſit vſus, publico donaui. Inter illas pugnas pacem quæro, pacem ſuadeo, bellandi furorem ſupereſſe, cauſam belli abeſſe demonſtro. Illis quidem qui deſperatæ cauſæ confidentiam oſtentando, quo populos à cupiditate con-

uerſionis

uersionis auertant, labor meus prodesse vix poterit, cęteris vero, qui positis paulisper affectibus, præiudiciisque audire & alios solent, in salutem fore confido. Nec desunt validæ cur ita iudicem rationes: video enim tandem etiam vmbram, & prætextum deficere præsides nouitatum. Animaduertunt non modo principes nobiles, senatores, sed plebeorum etiam rustica pectora, se ad omnem occasionem, in aliam, atque aliam fidem Reformari, nouo semper Principi religionem accommodandam. Vident Principes doctrinam suorum concionatorum instabilem esse; eos in diem aliquid immutare; quemadmodũ enim illi, quos dolor aliquis vrit, omnia remedia, etiam noxia experiri malunt, quam cruciari, ita vagæ mentes, dum conscientiâ torquentur, dum temerè probatis inhærere non possunt, quotidie noua spectant, præsentia fastidiunt. Quicquid enim nouum inaudiunt, melius esse suspicantur eo, quod tenent. Hinc nemo celebrior apud eos doctor est, qui non ex maiore sectâ sectiunculam decisam ducat.

Non ignorant ipsi ministri suæ plebis affectum

ctum ad Catholicam fidem propendere, Lutherismum interire vident, diuidi Caluinismum, lacrymosis populorum querelis obtunduntur. Palam enim expostulant. Cur nos à vetere religione abducitis? cur scripturæ interpretationem in martyrum Ecclesiâ vsitatam damnastis? cur nouitatem ab veteribus damnatam, veteres damnantem, in se mutabilem inducitis? cur non tenemus viam, quâ martyres, Episcopi, reges, tota antiquitas cœlum petiit? quod si tamen meliora, quam patres docuere, sentitis? cur vestra quotidie damnatis? cur noua ipsa rescinditis? & nouissima credi iubetis: si non est finis errandi, sit saltem constantia. Si certum est vobis animas nostras tanquam viles negociari, saltem aliquid certi, in quo sistamus, statuite; vt si vitâ æterna excidimus, liceat tamen vicinorum irrisus effugere. Prolapsi sumus in Lutherismum, inde tracti in Flacianismum, tum reducti ad Philippismum, post coacti ad Caluinismum, nunc percellimur Arminianismo, demum Socinianismum, & noua monstra exspectamus. Si pereundum est, ponite modum pe-

rituris: liceat ſcire quo loco iacendũ ſit mortuis. Dicite, vbi verum eſt inter tot falſa? ſi tam varias credendi, creditaque damnandi viciſſitudines ſubire cogimur, ſi per tot abrupta ſalimus, per tot deuia laſſamur? cur non eo redimus, vnde diſcedere nunquam oportuit? Fidem aut mores obiicitis. Sed ſcripturam illi tenent, ſenſumque ſcripturæ quem ab illis, à quibus biblia habent, didicerunt. Cur tanto odio digni ſunt, ſi ſanctis viris crediderunt biblia interpretantibus, ſi etiam eis vos creditis illa dantibus? De moribus eorum, quæ comminiſcimini, è veſtris ſumpta moribus ſunt: vt enim apud illos nõ deſint vitia, vos certe magna pars humanæ improbitatis eſtis. Nos quoque de moribus Catholicorum vobis credere nequaquam poſſumus, cum manifeſtæ calumniæ teneamini, cum fabulas Polonicas, Monachienſes, Viennenſes, Belgicas, Molshaimianas, & poſtremo Hagenoenſes tam exquiſita malitia adhuc venditare non erubeſcatis. Hæc cum audiunt, diſſecantur cordibus, & frendent dentibus miniſtri: ſtrident in conuitia, euaneſcunt in iubila, atque arte vtuntur, qua mali hiſtriones, qui cum agendi dexte-

dexteritate populum tenere nō possunt, cantum, pugnas, moriones interponunt, ne rarus in uasta cauea sedeat, & semisopitus auditor: noua igitur arte iubilandi, quasi quodam enthusiasmo animas cōmouent, vt miseriarum & periculorum suorum oblitæ, cum solennitate in exitium pertrahantur: verum quia nō potest vehemens illa intemperies esse diuturna, fraude etiam rudibus populis detecta, magna spes me tenet, regiones iam albas ad messem, animarum fruges in aream dominicam breui allaturas. Cessauit impetus discedentiam à nobis, redire iam magno numero cœperunt. Principum nunc est præcipue Ecclesiasticorum saluti subditorum inuigilare, tollere impedimenta redituris, consulere dubitantibus, pleno caritatis affectu conuersos excipere. Peccata & scandala Catholicorum siue sæcularium, siue Ecclesiasticorum, quæ religionē infamant, seuerissima iustitia, legumque vigore corrigere, operarios in messem spectatæ vitæ, eruditionisque mittere, continua visitatione ac censura disciplinā sancire. Quod Te, serenissime princeps, fecisse, matura

prudentia, principali zelo tua testatur Alsatia, & ante Alsatiam felix te præsule Passauiũ, idemque sibi optimo iure meritoque spondent, Landgrauiatus Alsatiæ, & Tyrolensis comitatus incolæ, tua nunc inauguratione læti, futuri mox humanissima, iustissimaque gubernatione, vt cœpere, felices.

Macte Princeps auita virtute, heroico animo, impende te populis te amantibus, & velut salutare, pulsa nube, sidus, iam pleno iure, plena imperii prouidentia subditis nouis illucesce, veteribus lucem perenna. Ille autem qui hanc tibi potestatem desuper cõtulit, sedium suarum assistricem sapientiam, & brachium solii Domini tecum esse iubeat, vt omnes tuo imperio subiecti populi, te duce, per antiquos vitæ, morumque tramites deducti, cœlesti regi, in æterna gloria tecum pariter sistantur. Quod ego, & mecum Societas nostra ex animo precatur. Moguntiæ anno 1619. die 16. Martii.

FACVL-

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS PROVINCIÆ RHENANÆ SOCIETATIS IESV.



VM Sacra Cæsareæ Majestatis Decreto omnibus & singulis Typographis & Bibliopolis, ac alijs quamcunq; librariam negotiationem exercentibus serio firmiterq; inhibeatur, ne quisquam ullos libros à nostris Patribus hactenus editos, vel in posterum edendos, intra S. R. Imperij, Regnorum, & Dominiorum sua Cæsarea Majestatis hereditariorum fines, simili vel alio characteris genere aut forma, siue in toto, siue in parte recudere, vel alio recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere & distrahere, clam, seu palam, citra judicium ac testimoniũ supradictorum Patrum audeat vel præsumat: Concedo ego Ioannes Copperus *Societatis Iesu per Rheni Prouinciam Præpositus Prouincialis (potestate mihi ad id facta ab admodum Reuerendo. P. N. Generali Mutio Vitellesco)* Ioanni Albino *Moguntino Typographo facultatem excudendi librum, cui titulus*: Coronis omnium Iubilorum anno Sæculari Euangelico scriptorum, qua Status conturbatæ in Europa Religionis, Errores, Errorum causæ & Remedia, Modesta synceritate, & perspicua breuitate exponuntur, & omnibus omnium Religionum Ordinibus post centum annorum lachrymosa certamina pax suadetur *à R. P.* Adamo Contzen *Societatis nostræ Theologo & Professore Moguntino conscriptum, atq; à deputatis ad id Theologis lectum & approbatum. In quorum fidem hoc ei testimonium manu nostra Subscriptum, & Sigillo munitum dare voluimus.*

JOANNES COPPERVS.



INTRODVCTIO AD CORONIDEM OMNIVM IVBILORVM.



AGNA animi te fiducia, & noua ſpe amice lector appello: ſiue enim in Eccleſia Catholica mecum priſcam fidem agnoſcis, & tenes: ſiue in Sectarij alicuius errorem impegiſti, tuæ inſtitutioni, ſalutique meus hic labor conſecratus eſt. A Catholico itaque auxilium, defenſionemque, à credente hæreticis legendi patientiam, & iudicandi æquitatem iure exſpecto. Fauorem mihi Catholicus, defenſor veritatis impendet, qui omnia alia ſentiunt, poſito odiorum, & ſuſpicionũ turbine cauſam animo tranquillo cognoſcent. Quæ vero ſingulatim ab vnoquoque poſtulo, quæque Coronidem meam lecturis profutura ſunt, initio, & veſtibulo in ipſo proponere cogitaui.

Principio inter nos conuenit religionis in Europa ſtatum miſerrimum, ac ruinæ proximum eſſe: qua etiam Rempublicam, niſi componatur, tracturus eſt. Mihi Europam conſideranti, facies eius multo etiam miſerabilior apparet, quam olim cum Alexandri ſucceſſores poſitis caſtris totidem quaſi rogis mundum abſumerent, vt refert Oroſius. Illorum temporum infelicitas, cum multiplici incendio Monarchia Græcorum vrere-

vrgeretur, *Cum obtinerent pueri* Alexandri *regnum, vnusquisque in loco suo: & imponerent sibi omnes diademata post mortem eius, & filij eius post eos, & multiplicarentur mala in terra.* 1. Maccab. 1, 9. Illæ inquam clades nostris calamitatibus vincuntur. Plura sunt castra opposita castris, & pila minantia pilis. Tot hæreseon architecti, ducesque, in omnes alios impetum faciunt. Multis in locis inuiolata adhuc castra veteris Ecclesiæ perdurant, sed nusquam sine periculo. In Græcia, Pannonia & Thracia impura Turcarum colluuies, Arianorumque reliquiæ viribus, & fraudibus veritatem oppugnant. In Germania Lutheranæ partis antistites emorientis Sectæ qua possunt arte vitam producunt. Nec languidius Reformati, vt vocantur, doctores instant Lutheranis, successusque vrgent suos, in Britannia quidem carceribus, & eculeis, in Germania exiliis, in Gallia dum vires desunt, subdolis machinationibus. Lacertos etiam mouent, & porro mouebunt Arminiani: quia non causa, sed ciuili potentia, captis propugnatoribus, premuntur. Inter has pugnas occulto velut arbor æuo Anabaptistæ crescunt, quos adscitis ob dogmatum affinitatem Socinianis, magnam cladem daturos non sine causa puto. Hæ sunt igitur dissipatæ, & in sua viscera sæuientis Europæ partes, pericula, bella, bellorum rumores, & præparamenta, atque apparatus.

Cum igitur totius Europæ motus, & castra cernimus, suam quisque stationem contempletur, qua in parte, contra quam partem depugnet, quam causam tueatur. Nemo enim est, qui non in partibus militet. Omnes ab omni parte petuntur: est enim huius belli ista conditio, vt si quis omnibus amicus esse velit, is omnibus hostis infensissimus

ſiſſimus cenſeatur. Suam igitur quiſq; partem cum omniũ partium opinione conferat: cur illi à vetere religione ſeceſſionem fecerint, quid de omnibus partibus ſentiant, ſedulo perpendat. Cauſæ enim cur à nobis diſceſſerint, innumeræ adferũtur. Turcæ nos deteſtantur, quia Chriſtum dicimus in cruce mortuum; Caluiniani in nos fulminant, quia negamus eum damnatorum pœnas ſuſtinuiſſe. Lutherani nos oppugnant, quia corpus Chriſti negamus eſſe in omnibus locis, Caluiniani nos damnant, quia in pluribus locis eſſe dicimus. Anabaptiſtæ nos deſeruerunt, quia paruulos baptizamus. Lutherani quia paruulos non credere affirmamus. Tam variæ ſingulis cauſæ ſunt traditam à maioribus fidem impugnandi, quam variæ occaſiones errandi. Tu lector cauſas tuas tecum puta cur diſceſſeris? aut cur nunc alienis credas? ſimul etiam perpende cur ad alios aliarum Sectarum errores non impegeris. Poſtquam vero hac de re ſapienter deliberaueris, ne inaudita parte altera iudices, ſed à iubilantium ſtrepitu, ac iactatione ad ſobriam veritatis conſiderationem, & omnium Iubilorum Coronidem, hoc eſt pacis cauſas, cõſiliumq; conuertere.

Hoc neceſſario faciendũ tibi perſpicies, ſi myſteriũ iniquitatis hæreticę furentiſſime, potentiſſimeq; nunc exerceri intelligas. Exerceri autem bello, miniſq; à potentibus, cõcionibus & ſcriptionib⁹ à Theologis. Sed potentiſſime ſcriptionibus: nullo enim anno cẽtenariæ religionis, imo nec à condito mundo, vnquam, vno anno tot eriſtica tam diuerſarum hæreſeon ſcripta humanum genus funeſtarunt. Nec tartaro iucundius fieri potuit ſpectaculũ, quam tot conuitiis, calumniiſq;, & contrariis erroribus veritatẽ orthodoxam impugnari: quo duo cõſequitur Satan, quæ auidiſſime ſemꝑ expetiit: nã tot ſcriptorũ peſtilentiũ per

totam

totam Europam vulgatâ contagione, teneræ simplicium animæ inficiuntur, atque in damnationem abripiuntur. Deinde cum doctores hæreseon se mutuo elidant, conuincant, intestabiles esse demonstrent, efficit idem hominum inimicus, vt fere nemo illis credens, sit excusabilis: Scriptis itaque vt initio cœpit, ita nunc quoque hæreses propagantur: quamobrem necesse est, vt omnes qui verum fidei, & religionis habent zelum Catholici doctores, non modo concionando, sed etiam scribendo errantibus consulant, & in errorem ducentibus sese opponant. Qua quidem in re adhuc à multis delinquitur. Hæreticorum est insanissimum, ac plane insanabile scribendi cacoethes, Catholicorum nimia est, nec pro necessitate temporum modestia. Equidem contra tot centurias pestilentissimorum librorum, qui à Cal. Nouemb. Anni 1617. vsque ad easdem calendas Anni 1618. à Sectariis editi sunt, pauca Catholicorum scripta prodierunt, quo factum est, vt multi sua mendacia cum vident esse impunia, ad maiora facinora mentem, calamumque adiiciant.

Non ignoro nonnullos orthodoxorum esse, qui negent rabulas illos, & calumniatores responso dignandos: nam variorum scriptionibus hæreses quidem cœpisse, sed easdem euerti: cum dissentientia inter se, & aliena principiis posteri scribunt. Omnes scriptores Sectarios nouam aliquam hæresin cudere, veritatemque quæ reliqua fuit, disputando, atque altercando amittere.

Hæc quamuis ita se habeant, defendenda tamen est religio hoc tempore, & præcipue scriptis: quia perniciosissime scriptis oppugnatur, cuius rei causa est, quia propter typographicam facilime, celerrime, elegantissime scribitur. Quicunque igitur eo præsidio vtendum Ecclesiæ

doctoribus negat, aut non prompte, diligenterque vtendum, is magna ex parte Ecclesiam Germanicam facit inermem: idque efficiet, vt quamuis veritas opprimi non possit, prematur tamen, nam nemo dubitat, si duæ acies concurrant, quarum altera gladiis tantum, & hastis, vt in statarja pugna fieri assolet, rem gerat: fundas, arcus, pila, bombardas non adhibeat: altera vero omni armorum genere eminus cominusque infestissime pugnet, quin victoriam reportatura sit, quæ tot vincendi præsidiis superat, quæ ex tuto perimere hostem potest, quæ nisi accedat vinci non potest, quæ & absens vincere. Talis est status Germaniæ, misti viuimus orthodoxi inter eos qui errant, quique seducunt: quisque suos in Ecclesiâ suâ docet, raro Catholici adeunt sectariorum conciones, raro & illi nostras: rarissimi sunt doctorum conuentus, disputationesque: si igitur concionamur tantum, non scribimus, hæc incommoda consequuntur. 1. Errantes, ad quos verba nostra peruenire nō possunt, non instruimus, nec eminus pugnamus, suos itaque tuto decipiunt magistri errorum. 2. Nostros haud satis defendimus, cum venenata scripta ab omnibus sine antidoto illis obtrudantur. 3. Plus virium in scriptione est, quia consideratius illa concinnata sunt, & consideratius leguntur, repetuntur, expenduntur. Si vere itaque atque ab experientia iudicare lubeat, fatendum est multo plures libris scriptis, quam concionibus seduci, imo plerasque hæreticorum conuersiones, post gratiam Dei Catholicorum libris tribuendam esse. Cuius rei causa est temporum nostrorum erudita ciuilitas, qua fit, vt plurimi literas norint, libros legant, iudicent. Ne igitur tempora nostra, moresq; nescire videamur, omnes in hoc incumbamus, vt qua parte plurimum, tum orthodoxi, tum errantes iuuantur, eam quam studiosissime excolamus: alioqui in optima causa pugnam imparem pugnabimus.

Neque

Neque eo minus ſcribendum eſt Catholicis doctoribus, quia hæreſes ſuorum præſidum SCRIBACITATE (ita in Panegirica appendice loquitur Paulus Tarnouius) pereunt. Scribendo, inquiunt, ſine noſtro labore collabaſcunt errores. Vera quidem illi dicunt, ſed conſectaria non recta deducunt. Scribentium multitudine hæreſes noſtro tempore perierunt, ſed corruptæ in nouas hæreſes: non multi ad orthodoxam religionem redierunt. Fieri aliter non poteſt, cum hæretici doctores ſuo tantum iudicio vtantur, quin omnes ab omnibus diſſentiant: nobis autem hoc agendum eſt, non vt errorem erroribus commutent, ſed vt errore poſito veritatem agnoſcant. Quin hoc ipſum doctores orthodoxos ad ſcribendum incitare debet, quod experimento diſcant, adeo faciles eſſe hominum animos, vt errorem quem arctiſſime complexi fuerunt, lecto libello aliquo cum nouo errore commutent. Ante annos triginta octo, quis erat Caluinianus in Germania? Fatetur Abraham Scultetus in conc. Iubil. pag. 33. Fuiſſe duas vrbes Neoſtadium & Bremam, nunc vero tot principatus & regna à Lutheranis diſceſſiſſe. Tu lector modum animaduerte: non eſt eſſectum hoc concionibus, à Cathedris enim Caluiniani prohibebantur: ſed libris edendis ſpargendiſque, quod Lutherani ipſi fatentur. Quid de Belgio dicam? ante annos 12. vix concionator erat vllus Arminianus, vix vllus qui horribiles contra Dei bonitatem blaſphemias impugnare voce auderet: at libellis magnam partem in ſuam ſententiam traxerunt. Quod ſi Catholici doctores eàdem ſedulitate vterentur, quam multæ animæ, quæ hæreſeon toties verſuram fecerunt, veritatē docerentur? ad vnitatem Catholicā redirent? Tot millia paſſim Catholicorū ſub hæreticis gemunt, qui ſine periculo tēpla noſtra adire non poſſunt, per libellos in fide firmari poſſunt: Tota Europa inter

 tot

tot Sectas se mutuo damnantes plena est dubitantibus, quibus tamen animus non est, vt Catholicos adeant, libros tamen eorum legunt, atque ex eis proficiunt. Quid igitur faciundum censes? Quid nisi vt quemadmodum sectarum antistites exhibent linguam, manus, calamos seruire doctrinarum & morum immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nos Catholici exhibeamus gratiam nostram seruire iustitiæ, in sanctificationem nostram, & Ecclesiarum nostrarum.

Nec difficilis victoria: nam illi se mutuo satis premunt, agitantque: quod necesse est, cum de rebus arduis suo abitrio scribunt indocti: Queruntur illorum primipili: *scribacitatem huius & superioris sæculi impedimenta Euangelio Lutherano attulisse.* Idque vehementer Paulus Tarnouius Professor Rostochianus inculcat.

Ne vero suos in se collegas concitet, Lutheri testimonio vtitur Tom. 8. Ien. in præf. ad Ioan. Spangenb. Postillam fol. 49. *Vnusquisque in officina vult prostare venalis, non vt Christum vel eius mysteria explanet, sed ne sua arcana, & speciosas cogitationes frustra habuerit, quibus etiam diabolum se conuersurum confidit, cum tamen ne muscam quidem conuerterit, aut conuertere possit: vtinam ne potius peruertat.* Et Tom. 5. Ger. Ienensi initio explanationis Psalm. 117. folio 146. 6. Causam addit, cur plurimum illi obsint. *Huiuscemodi semidoctuli, sunt inutilissimi hominum super terram, omnino nihil illos scire præstaret, nulli obediunt, omnia melius quam totus orbis, sibi nosse videntur. Summa neminem recte docere possunt, à nemine doceri volunt. Saccum Scholasticum deuorarunt, ille nullum patitur Magistrum, nec tamen in eo librum vllum habent, vt recte docere possint. Talium hominum multos habet diabolus, in Sectis, vbi nullus maculo est, qui non se doctorem faciat, vt coronet asinum suum, vbi con-*

cionem

cionem audierit, aut Germanicum capitulum legerit, persuadet ille sibi supra omnes docentes se intelligere. Vocantur illi Meister Klügel *φαινοσοφισται, seu magistelli versutuli, qui caudæ equinæ frenum, non capiti norunt imponere.*

Si testimonia hæc vera sunt, vt sunt verissima, periculum non est, ne tam imperitis, stolidis, variisque contradicendo, veritatem tueri non possit Catholicorum scientia, prudentia, constantia.

Vincendos autem se, obnoxiosque præbent omnibus veritatis telis, nobis pariter, & suis ex æquo aduersi. Nam omnia sua hyberbolicis supra fidem, modumque superiectionibus, siue aduersariis maledicant, siue suos dilaudent, ad irrisum vsque extollunt. Hartmannus Luthero ait Cherubin & Seraphin acclamare. Quin etiam *Intimatio Iubilæi VVittenbergensis* Rostochii apud Ioachimum Pedanum recusa in fronte imaginem Lutheri gestat, & circum hymnodia scripta est: TIbI CherVbIn & SeraphIn InCessabILI VoCe proCLaMant. de quo infra latius. Quod eo mirabilius est, quod nemo, nemo ex omnibus cum Luthero consentit, aut primis Lutheri discipulis, ne cum Augustanâ quidem confessione, eiusue Apologia, & libro concordiæ. Cum igitur extemporaneam fidem doceant, facile refutari possunt. Accedit ad victoriæ celeritatem, & securitatem, quod non tam nobiscum lis illis est, quam cum viris & Ecclesiis Apostolicis, Augustino, Hieronymo, aliisque, qui suis temporibus orthodoxiæ præstantissimi duces fuêre; nunc sua multitudine exercitum quasi Regum, aut Imperatorum efficiunt, & pro sanctâ antiquitate depugnant.

Hoc tantum moneo, ne propter sordes & ruditatem contemnantur: multitudine enim nocent, agrum dominicum non Leones, & vrsi, sed locustarum proluuies de-

uaſtat, vineam regis exercituum demoliuntur vulpes paruulæ, quæ permittendæ non ſunt, quia paruulæ, ſed capiendæ, quia animabus exitioſæ.

Atque hæc mihi cauſa, hoc laboris mei propoſitum fuit: In quo primum generatim ſtatum religionis expono, deinde in præcipuis articulis oſtendo, cauſam non fuiſſe cur à nobis recederent. Denique practicam pacis rationem propono. Idque facio Deum ſanctè, hominesq; conteſtans: Duabus in rebus ſummâ Catholicos iniuriâ affici. Primo, dum falſo & calumnioſe hiſtoriam Eccleſiaſticam narrant; Secundo, cum errores nobis, quos toto animo damnamus, impingunt. Plerique hiſtorias ſæculi ſuperioris eo modo narrant, quo Philoſtorgius Arianus, teſte Photio. Ille enim *librum de religione conſcripſit, quaſi hiſtoriam texens Eccleſiaſticam.* Sed quomodo? *omnes Arianos extollit, & contumelia Catholicos afficit, vt non ſit hiſtoria, ſed encomium Arianorum.* Lutheranorum, Caluinianorum: de quo ſuo loco pluribus. Errores autem cum nobis imputant, ſtandum eſt noſtrâ confeſſione: ſi enim ego voce, ſcripto, iureiurando fidem profiteor meam, erroreſque deteſtor, cur alienæ, & quidem inimici coniecturæ potius, quam meæ profeſſioni creditur: Ne vero iudicium præcipites, amice lector: Circumſpice primarios quacunque in Sectâ Scriptores, etiam eos, qui hodie labantem cauſam fulciunt; atque è tota multitudine vnum ſelige, qui non Lutheranos, & Caluinianos, quoſcunque oppugnat, mendaces, calumniatoreſque eſſe proteſtetur, quique ab aduerſariis pro tali non habeatur. Quod ſi talibus inter ſe dictis certant, taleſque à Fratribus ſuis habentur, merito credi poteſt fore, vt nec nobis parcant: itaque hac in cauſa non ad æquum modo lectorem, ſed ad hoſtium tribunalia cauſæ fiducia appello.

Hæc

ad Coronidem.

Hæc tu lector boni consule, & hoc Enchiridio ad tuam salutem vtere, Si mihi fidem habere non potes, alienâ calumniâ occupatus, & doctoribus errorum adhærens, quod sponte facies, scripturam lege: si eam tu tuo marte non satis intelligis, Patrum & Catholicorum commentarios consule, & cum tuorum scriptis confer. Inuenies multa à te male intellecta probari, multa incognita peius damnari. Summa est: *si iudicas, cognosce.*


Nihil ego quod à sanctis, prophetis, apostolis, martyrumque Ecclesia alienum sit hoc libro trado. Si contra scita nouorum multa leges, mihi non offenderis, si tu eos sequeris, qui martyres, & veterem damnauerunt, & deinde suos patriarchas deseruerunt. Errare possum tanquam homo hæreticus esse non possum: quia cum doctiorum iudicio, & Ecclesiæ definitionibus omnia submittam, hærere in me erroris pertinacia non potest.

Tu vale, lege, & quod Catholicus facis, hæreticus facere potes, mecum profice. Moguntiæ, pridie Idus Martias.

ANNO
RoMana VICtrIX hæreses pressIt fIDes.

S. AVGV-

S. AVGVSTINVS DE QVINQVE HÆRESIBVS ADVERSVS IVDÆOS.



Cum fiducia aduersus hæreticos disputandum.


ECCE sunt errorum (*Iubilianorum*) propositæ quæstiones, quasi hostium cōpositæ acies. Contra istas acies pestiferas Sanctissimi fratres sumite arma Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. Accingimini lumbos vestros in veritate, nemo trepidet, nemo formidet: est lorica Iustitiæ, est scutum fidei, in quo sagittæ malignorum ignitæ excipiantur & extinguantur. Est galea salutis, est gladius spiritus quod est verbum Dei. Quisquis fidelium Christi militum his fuerit armis munitus, non cuiusquam formidabit personam, non terrore temporis à certamine reuocabitur. Eia fratres certamen in promptu est, feruet opus, vrget aduersarius, spicula parat, iacere tentat, nemo expauescat. Fratres plures sunt nobiscum quam cum illis, &c.

CAPVT I.



CAPVT I.

Institutum Coronidis omnium Iubilorum.



Entum annorum bello adhuc concutitur Europa, stant multiplices diuersâ in parte acies, omnes fidem, pietatem, religionem prætendunt: omnia tamen in peius ruunt; nec simplicem iniuriam inferunt, sed iustitiæ velo tectam, contumelias, & conuitia esse candorem, & zelum arbitrantur; dissentientes, iudicant esse hostes, in eos omnia licere volunt; tantum nefas putant in religione dissensum, vt nihil iniuriosum, nullum supplicium nimium esse protestentur, (Par. in 13. Rom.) Quasi spinæ se mutuo lancinant, vt Cadmæi fratres alterno vulnere conficiuntur, in bella ciuilia duntaxat fortes, Turcarum imminentium negligentes, imo interdum sollicitatores. Sũt igitur adhuc super sectarum, quod ab anno 1517. cœpêre, sæpiusq; interpolatæ sunt, reliquiæ, variorum errorum accessu graues, atro felle & sanguine stylum tingunt, & cum magistratus permouêre potuerunt, opiniones suas ferro sanciunt. Tantorum malorum iam non lustrum, sed sæculum conditur, atq; vtinam tandem ipsa mala condantur; vtinam figatur palus, & modus sit litium. Sed vota mea, multorumq; aliorum ferunt irrita non auræ, sed peccatorũ contumax impetus, & procellæ, turbinesque bellorum, nam certantium de religione fu-

Superstitio pietatis velo omnia scelera tegit.

Bellũ Turcicum suã opportunitatem arbitrantur.

Armata superstitio inferis ipsis ferocior.

ne furores politicis se viribus artibusque, ne sint inermes, communiunt.

2. Huic tanto, tamque inueterato malo, remedium necessario admouendum est. Ad summum enim pericula venerunt, quæ si adhuc vno concussu impellantur, ruinā trahant, necesse est. Quis enim est, qui non videt eam esse diuulsi & discordantis regni conditionem, vt vicini potentioris infirmior præda sit? si apparatus bellicus Byzantio nuncietur, si copias in Hesperiâ conscribi, si Belgium moueri, si lilia quati, si Britannias armari intelligamus, Romanum Germanicæ nationis imperium trepidat, commouetur cor eius, & cor populi eius, sicut mouentur ligna à facie vēti. (Isa. 7. 2.) Et quod in trepidatione pessimū est, in hac infirmitate publicâ priuatorum sunt vota contraria, & mutationum auida, neque ereptæ vrbes in Vngariâ, & Austrasiâ vetere, neque Alenconij in Antwerpiam, neque Leicestrij in Lugdunum Batauorum machinationes, notumque, quid exterorum sceptra portent mali, efficiunt, vt concordiam colere libeat.

Infirmitas sibi conscia semper trepidat.

Pereuntiū regnorum maxima sunt discordia.

3. Huius tam perniciosi erroris causa est, quæ in ciuili discordiâ semper dominatur, vincendi cupido. Religionum diuersissimarum doctores victoriam sibi spondent, itaq; malunt in Republicâ turbatâ, & vacillante diuites esse, & gloriosi, quam in quieta, & felice ignobiles. Hęc spes, hoc somnium vigilantium, hæc τῆς κενότητος σκιά, inanis vmbra amabili insania ludit suarum rerum ignaros, & inflat doctores. Adeo quidem, vt ne Anabaptistæ quidem crescendi spe deijciantur. Itaque Lutherani nondum animos posuêre, Caluiniani vltro insurgunt. Sed tamen cum iam toties mutarint, non possunt prudenter de maiore in posterum constantia præsumere. Lutherauorum quidem pomœria angustioribus in singulos annos finibus includūtur, & quanquam in arctum omni præsentia, Vbiquitasq;

coga-

cogatur;non vnitur tamen;sed acrioribus bellis punctum suum diuidit,& calamitate asperatur. Cum igitur regnũ suum minui videant,quid melius pace suadere illis possim nõ video. Victori pax vtilis est, victo necessaria. Abraham Schultetus concionator Haidelbergẽsis enumerat incrementa suæ religionis,pag.33. *Libere*, inquit,*de hoc Domini miraculo loquamur, ante annos triginta septem librum concordiæ per Germaniam circumlatũ, & omnibus pene ordinibus obtrusum, affirmat, eo tempore extra Heluetiam duas fuisse duntaxat vrbes Neostadium & Bremam,in quibus Vbiquitatem oppugnare licuerit,interea tot principes suis accessisse*, eodem tẽpore scilicet Ioannem Comitem Nassouium,Ludouicum Witgensteinium,Conradum Solmensem.

Anno 1582. Episcopum Coloniensem.anno 1584. Palatinum administratorem Casimirum.anno 1586.Basileam; anno 1588.Ioannem Bipontinum.anno 1589.Christianum Saxonem. anno 1595. Ioannem Georgium, & Christianum Anhaltinum, Philippum Ludouicum Hanouium, Wolffgangum Ernestum Isenburgium. anno 1599. Ernestum Fredericum Badensem.

Lutherismus ad Caluinismum tendit.

Anno 1601. Ioachimum Fredericũ Lignitiensem principẽ.
Anno 1603. Philippum Comitem Ebersteinium.
Anno 1604. Carolum Sueciæ regem.
Anno 1605. Mauritium Hassiæ Landgrauium.
Anno 1609. Adolphum Holsatum.
Anno 1610. Ernestum Brandeburgicum.
Anno 1613. Ioannem Sigismundum, Georgium Wilhelmum,Ioannem Georgium, Brandeburgicos, & Ioannem Albertum Megalopolensem.

Ex his ille huncin modum argumentatur, si præter & contra omnium hominum opinionem tam paucis annis tam multi Lutherismum deseruerunt, cur non aliorum etiam speret accessum? cum igitur ministri Lutherani

ſuam videant religionem ὑπεράκμαιον, & ἐν ἡλικίᾳ τῇ φθινούσῃ, cuius flos iam decidit, quam deſerunt omnes, nemo nouus ambit, nō video quā ſpe victoriæ lites & bella ſuſtentent: præſertim cum illi quod adhuc Lutheri nomē tuentur, duo mala patiantur, diſcordias Lutheriſmi, & inſidias Caluiniſmi, de occultis Caluinianis Saxones queruntur, nulla eſt in imperio ciuitas tam Lutherana, quæ non plurimos habeat occultos & apertos Caluiniſtas, imo vbi in curiam, & negotia ſe non inſinuent.

Caluiniani negocioſum & curioſū genus.

4. Lutherani igitur victoriam ſperare non poſſunt; pacem igitur ineant; imo Catholicos tueantur, ſi enim nos aliquid patiamur, quid illis futurum ſit, dubitare non poſſunt, cum inquieta miniſtrorum Gebennenſium ingenia non ignorent. Hoc anno Lipſiæ Melchior Göppenern precationem, quæ eſt pag 612. excudit. Titulus eſt, Ernſtliches Gebett der Chriſtlichen Kirchen wieder die Zwingliſche/ vnd Caluiniſche Sacramentſchwermerey. Seria precatio Chriſtianæ Eccleſiæ contra Zwinglianam & Caluinianam Sacramentoſchwermeriam. In oratione ipsâ ita loquuntur pag. 613. **Wir klagen dir mit betrübten vnnd weynenden Hertzen/ in furcht vnd zittern vnſers Gemüths / daß ſich die ſchröcklichen vnflätigen Säwe/ vnd die gifftigen grawſamen Thier/ die heyllosen Sacramentſchwermer nochmals mit groſſem hauffen/ hin vnd wieder in Teutſchlandt vnnd andern Landen/ gewaltig herfür thun/ vnd deinen lieben Weinberg erbärmlich zerwühlen/ zerreiſſen/ vnd dermaſſen verderben / daß wo du nicht baldt vnnd mit gewalt drein greiffeſt / vnnd jhnen ſtewren wurdeſt/ ſie die Mawren Jeruſalem gar darnider werffen / vnd als reiſſende Wölfe deine arme wehrloſe Schäflein erwürgen/ vnd gar aufffreſſen werden.**

Lutherani victoriam deſperare debent.

Tremor Lutheranorū.

Eſt quod tibi queramur triſtes & lacrymabundi in timore & tremore cordis noſtri horrendos illos fœdoſq; ſues, illas venenatas abominandasq; beſtias impios Sacramentarios magno numero ſe

per

per totam passim Germaniam cæterasq; orbis partes diffundere Christiq; vineam misere euertere, lacerare, adeoq; deuastare: vt nisi maturè & violenter obstiteris, & eam propugnaris, periculum sit, ne muros Ierusalem penitus diruant, & velut rapaces lupi miseras inermesq; Christi ouiculas aggrediantur, omnesque deuorent & absumant.

5. Hi igitur pacem quærere, & concordiam etiam suo damno firmare debent, qui bello omnia, aut sanè quàm plurima perdunt. Sed neq; Caluiniani meliora sperare possunt, fidem iam perdiderunt domestico sed publico præconio; nam fratres eorum Arminiani tota mysteria impiæ doctrinæ prodiderunt: & nunc quamuis potentiam nondum sint adepti, aliorum tamen vires infregerunt; olim cum de blasphemijs Caluini, Bezæque conciones sinceræ à Catholicis exponerentur, id callidi homines ita interpretabantur, quasi odio sectæ diceretur, nunc è visceribus eorum, è medio Belgio, ex Academiâ Lugduno-Batauâ prodeunt, qui Catholicorum accusationes confirmant, qui fidem apud præpotentes Prouinciarum Vnitarum ordines, apud nobilissimas Hollandiæ, Geldriæq; ciuitates habent. Esse verò rem Caluinismi in extremâ tegulâ, atq; vno impulsu decuti posse, vel hoc ipsum docet, quod Remonstrantes in secundâ Remonstrantiâ queruntur; Rigidos seu Contra-Remonstrantes insigni arte populis rudibus imponere; nam cũ Remonstrantes accusare volunt, *horrendas illas sententias*, aiunt, esse *Remonstrantium, non suas*. Consistunt igitur nunc & illi, imo retrò feruntur, & nisi obstet potentia principum, apud quos Rigidi auctoritatem habent, intra vnum annum futura esset omnium religionum commutatio.

Caluiniani ruere cœperunt.

Caluinianos nonnulli potentes propugnant

6. Hinc concludo in tantâ varietate errandi non esse sperandam vni parti victoriam; quam etiam si momento temporis obtineant, mox tamen in aliam hæresin cor-

rumpent, cum autem victoriæ ſpes nulla ſit, de pace componenda agendum eſt, ſi nolint turbines, & Gracchi, quibus victus ex litib. quæritur; velint principes ποιμένες λαῶν paſtores populorum, quos Gracchorum improbę malitię Deus oppoſuit.

Pax omniũ Iubilorum finis eſſe debet.

7. Omnium Iubilorum coronis & ornamentum pax ſit, vnitas; & cõcordia: Hanc optare omnes exiſtimo, quicunq; ſtatum conturbationis, ac controuerſiarum intelligunt. Bellum hoc eſſe turpe, pernicioſumq;, nemo eſt, qui neget, bellum etiam ſine cauſa, aut ſine legitima cauſa eſſe intelligent omnes, quicunq; hæc legere, vel audire dignabuntur.

CAPVT II.

Quis ſtatus ſit religionis in genere per Europam?

1. DVPLEX eſt omnino genus hominum quod negocia religionis iudicat; Quidam multitudinem ac varietatem opinionum, crebramque mutationem conſiderantes, omnem penitus religionem contemnunt, libros tamen eriſticos, & certamina cõparant, ac legunt, vt alienis litibus animos paſcãt. Horum expertus ſannas, & irriſiones Sibrandus Lubbertus, ſeſe vlciſcitur, atq; ita eos deſcribit præf. contra Fauſtum Socinum. *Maxima pars hominum ſiniſtrè iudicat de laboribus & curis, quas Doctores in explicanda & defendenda doctrina Christiana ponunt. Multi enim Religionem tanquam inanes fabulas, & terriculamenta ad hominũ animos percellẽdos excogitata rident, & ſubſannant: hi putant omnes contentiones de dogmatis Chriſtianæ doctrinæ tantũ eſſe logomachias, & quia ipſi in corde ſuo omnem Religionem rident, eamq; nullum alium ob finem prætendunt, quam vt emergant; ſuis animis metiuntur aliorum animos, indignanturq;, & fremunt, cũ vident aliquem eſſe, qui ipſorum cupiditati ſubſeruire, iudicioq; applaudere recuſat. Hi homines mundana gloria inflati conqueruntur communẽ*

Deum verũ eligere neſciũt, athei fiunt.

Politicorũ de religione ſenſus.

tran-

tranquillitatem diuersitate religionis perturbari; cum tamè ipsi sæpè tam petulanti ingenio sint, vt versutos homines supponant, qui noua dogmata cudant; vt dum pij doctores se illis opponunt, ipsi se his spectaculis oblectent, & doctrinam, quam oderũt, & fouere videri volunt, populo exosam reddant; accidit etiam, vt cũ omnia sursum & deorsum volnere in animo habeant, certamina in doctrina conciteni; vel eos, qui ea mouent, foueant, impediãtque, ne lites in doctrina motæ legitimo iudicio componantur, aut decidantur, & quod omnium miserrimum est, cum sint dogmatum doctrinæ Christianæ imperiti, summum de illis iudicium sibi arrogant, perinde ac si cæcus de coloribus recte iudicare possit, qui paulo moderatiores sunt, delectantur quidem doctrinæ puritate, sed non putant eam tanti momenti esse, vt propter eam tantas contentiones, tantaq; certamina subire debeamus.

2. Hi quidem impij sunt, & Deo abominati, quas לֵצִים Illusores, vocant Ps. 1. 1. Propheta Dauid. Sunt illi omnib. hæreticis pestilentiores; nam hæretici in vnum errorem, aut plures impellũt, hi verò omnem fidem, omnemq; errorem spernũt, & planè in atheismum abeunt, itaq; χλευασταὶ sunt, *reprehensores, irrisores,* vt Aquila Põticus vertit, sunt παράνομοι *transgressores,* vt quintá, & sexta editio: ἐπιθέται, *impostores,* vt Symmach. R. Dauid לֵצִים ait *esse homines astutos in scientia ad malum, & versutos, & loquentes mala supra filios hominum, & dantes opprobriũ & malum supra filios hominum.* Hãc ob causam vetus Bibliorũ interpres vertit, pestilentes cum dixit. *Et in cathedra pestilentiæ non sedit.* Ita & 72. interpretes καὶ ἐν καθέδρᾳ λοιμῶν, *& in cathedra pestilẽtiarũ;* Imò & Symmachus prou. 20. 1. λοιμὸς ὁ οἶνος *pestis est vinũ.* Et prou. 9. Vbi noster לֵץ vertit, *illusor,* & 72. κακὸς, Symmachus ait κἂν λοιμὸς γένῃ, & si pestilentia fias. Voluit tot modis S. S. irrisores compescere, vt certo cõstaret nihil esse præsertim in causa religionis pestilẽtius, irrisione, & cõtẽptu, Omnia. n. naturæ iura illi violant, & celerrime venena

Irrisores certaminũ de religione impij.

nena

nena ſpargunt, magiſq; veritati quam vlli hæretici obſi-ſtunt. Cuius duplex cauſa eſt.

Religio facile ridetur quia difficulter intelligitur.

3. Prior rerum, quæ credēdæ proponuntur difficultas,& ſannis rudium obnoxia profunditas. Iudæos olim & Chriſtianos ſubſannabant gentiles, cum de innocente protaplaſtorum nuditate, de fraude ſerpentis, de orbis diluuio narrarent, quæ omnia ſarcaſmis, & blaſphemis dicterijs eludebant. Quando ſerpentes loqui deſijſſent? quo cultro coſtā Adamo Deus excidiſſet? Hinc pari modo fabulas ſuas credi, aut hæc non credi volebant. In noſtrâ religione quam multa contra ſanctiſſimam Trinitatem, incarnationem, crucem domini impiè iocati ſunt irriſores? Altera cauſa eſt, quia omnis vera religio leges, & cærimonias habet aliquas, quibus animi demiſſio, & patientia grauiter & religiosè exercetur, quæq; libertati, & ſuperbiæ humanæ, quæ ſuæ dignitatis eſt retinentiſſima, repugnare videntur. Huiuſcemodi erat apud Iudæos circumciſio, ob quam ludibrio gentibus erant, verpi, apellæ, recutiti per contumliam, vocitabantur, hinc apud Ariſtophanem cum multa in ſenem conuitia dixiſſet ſeruulus, ea claudit quaſi coronide, & iurat ſe exiſtimare Ἀπεψίλωθον εἶναι, *circumciſum eſſe*; Plura ſunt apud Chriſtianos, vt baptizari, inungi, confiteri, ſanctorum pedes lauare, aliaq;, quæ vt nobis ſunt Dei virtus, ita illuſorib. ſunt ſtultitia, Magnam autem vim habent amarulenta dicta, & ioci ad animos frangendos, hinc multi Iudæorum, quos pudebat ſignaculi fœderis præputia adducebant, vt quocunq; modo ſe impijs infidelium facetijs ſubducerent.

Vera religio cærimonias habet modeſtiæ indices

Irriſio venenum pietatis.

Inter hos etiam numero illos, qui certam religionem profitentur, ſed tantum ſui commodi gratia, aliam verò religionem, à quâ capitaliſſimè conſortes ſuos differre norunt, interdum infeſtiſſimè perſequuntur, interdum verò tanquā veram agnoſcūt, ita olim Bucerus, alij fecêre.

Irriſores ſunt cothurni.

4. Exem-

4. Exempla τῆς χλευαστικῆς κυβείας impostura irrisoria annus 1617. dedit innumera; omnium enim concionum iubiliariarum argumenta ad irrisionem pertinent Catholicorum, quibus tamen tota martyrum Ecclesia, cum sanctis patribus contumelia afficitur. Sed de illâ vituperandi, laudandiq; eandem religionem inconstantia accipe lector duo insignia documenta, Abrahamum Scultetum Haidelbergensem, & Matthiam Hoe ab Hoeneg Dresdensem concionatorem. Abraham in Epistola ad Illustrissimã Loysam Iulianã Illustrissimi Frederici quarti viduam, inter principes Euangelicos numerat, serenissimum Christianum Daniæ regem, Illustrissimum Ioãnem Georgium Saxoniæ Electorem, item Illustrissimos Ioannem Casimirum, & Ioannem Ernestum Saxoniæ duces, item Braunsuicenses, Wirtembergẽses, aliosq; principes, qui Lutherani sunt, nec in suis ditionibus ipsum Scultetum ferrent. At in concione sua enumerat multos principes, qui illam fidem, quam Danus, Saxo, alijq; profitẽtur ditionibus suis eiecerunt, Lutheranos prædicantes proscripserunt, ideoq; Deum laudat, & Lutheranis insultat.

Anno 1617 irrisiones inualuerunt.

Capita irrisorum Matthias Hoe, & Abraham Scultetus.

Eadẽ penitus impostura Matthias Hoe, & principi suo, & auditorib. imponit. Nam in epistola sua ad Ioannẽ Georgium Illustris. Saxoniæ Electorẽ. p. 2. ita fatur. Ja Ew. Churf. Gn. haben vngezweifelt mit jhrem Christ-Löblichsten Exempel viel andern Potentaten / vnd fürnehme Euangelische Stände in vnd ausserhalb deß Römischẽ Reichs angereitzet / daß in vnderschiedenen Königreichen / Chur- vnd Fürstenthumben / Landen vnd Herrschafften / die Euangelischen eben vmb die zeit / jhr Jubelfest auch außgeschrieben vnnd mit grosser Andacht gehalten haben. Dann so viel nun mit der zeit nachrichtung zu kommen / so ist dergleichen geschehen / in den beyden Königreichen Dennenmarck vnd Schweden / der gleichen ist geschehen in der Chur-Pfaltz / vnd Brandenburg.

Hoe laudat Palatinum iubilum.

Ecce Palatinum, & Brandenburgicum iubilum vocat Euangelicum, & quod magna deuotione sit peractum. Itane Matthia, tu quoq; Caluinizas? Tibi iubilæum Caluinianum videtur Euangelicum, & deuotum? Si ita est, verum igitur est; si Euangelicum, si deuotum, vestrum igitur est falsum. An tu es ex occultis illis Caluinianis, quos Saxones pertimescunt?

Nullo modo, inquies, odi Caluinistas ego ἶσον αἴδαο πύλῃσι, nam in tertia concione, pag. 115. Inter fanaticos veluti Sacramentarios, verba mea sunt. **Hieher gehören insonderheit die Sacramentirer/ Zwinglianer/ vnd Caluinisten. Dieses Geschmeiß/ ihr meine geliebte im Herrn/ hat in Warheit grosse Zerrüttung vnd Verwürrung/ hat ein grosses Gestenck in die Hochzeit Gottes gemacht/ vnd der reinen Göttlichen Lehr sich bößlich muthwillich vnnd halsstärig widersetzet.**

Hoc laudat, & culpat Caluinianos.

Huc etiam pertinent præcipuè Sacramentarij, Zvvingliani, & Caluinistæ. Hæc colluuies carissimi mei in Domino, magnam profectò conturbationem, & confusionem, magnum etiam foetorem in nuptias Dei intulit, & se puræ doctrinæ malitiose, petulanter, contumaciterq; opposuit. Hæc tu quidem dicis, & in eadem approbas omnia, quæcunq; Lutherus in Zvvinglianos dixit. Sed impostorem, & irrisorem te probant verba eodem ore calida & frigida. Iubilant Caluinistæ, eos tu in aula velut politicus piè facere profiteris, in templo condemnas. Si in Palatinatu & Brandeburgica prouincia malitiose, petulanter, contumaciter puræ doctrinæ obsistunt, non igitur piè in tanto malo iubilare possunt: supremus est gradus malitiæ de malitia gloriari. Hi sūt igitur לצים pestes, irrisores, quorum alius est in palatio, alius in templo sermo.

5. Alterum est genus hominum vehemens, asperum, zeloticum, opinionum suarum perdite amans, propagandæ reli-

dæ religionis, ad quam impegit, auidum.* Huius generis sunt fere hodie Lutherani, qui vbiquitatem tuentur, Caluiniani, quos Rigidos vocant, eos enim alij fere Zelotas appellãt. Sed tamen tales ẽt nobis depingit molles in Belgio Sibrãdus Epistolâ ad Ecclesiam quæ est Londini, p. 2. *Zelotæ homines sũt periculosissimæ superstitionu.* *Artes mollium Caluinianorum.*


Sunt etiam arrogantes & superbi homines, qui omnia vana gloria, & inani fastu honoreque metiuntur, cum vident doctis laudi duci, si quid noui in alijs disciplinis inueniant; etiam sibi laudabile fore putant, si quid in sacra Theologia innouare possint. Hi quia vera Theologiæ imperiti sunt, desperant se Orthodoxæ doctrinæ explicatione aut defensione decus & nomen parare posse: quia tamen vana gloria turgent, & laudis cupiditate ardent, omnia perturbant, vt innotescant; maluntq; turbandis ecclesiis inclarescere, quam in vera Orthodoxaque Religione sine gloria consenescere. Cum animaduertunt doctos viros sibi præferri, indignantur: & cum illos neque scientia, neque pietate, neque eruditione, neque eloquentia, neque agendi dexteritate, neque vlla honesta arte superare possunt, conuertunt se ad artes malas, insinuant se Aulæ, vt quos virtute vincere nequeunt, ope auxilioque Aulicorum opprimant: & quod omnium fœdissimum est, simulant orthodoxam religionem, præ se ferunt studium defendendæ doctrinæ sanæ, iurant in confessiones, & Catechesas receptas, hoc ipsum iusiurandum propriæ manus subsignatione testantur: & tamen omnibus viribus sanam doctrinam eamq; publice receptam oppugnant, prauam & nouam suis discipulis callide inculcãt Orthodoxos Pastores & doctores per calumniam deferunt, concitant in illos Magistratus ciuiles, pellunt illos suis sedibus, & in illorum locum errorum suorum (quos seminauerunt) alumnos substituunt.

Inter hos igitur religio iactatur, vtraq; enim pars pijs, & orthodoxis imminet, zelotæ iurgijs, calumnijs, bello premunt, irrisores in sinum gaudent, de euentu securi.

CAPVT III.

Quis sit status Religionis in Europa, si magistratum politicum spectes?

Plerique principes sequuntur.



RELIGIONIS & politicæ gubernationis magnã esse affinitatem libris de pace Germaniæ ostẽdi. Alia enim aliam trahit, & crebro commutat, omnes religione ducuntur, sed in Germania, principum apud multos, quam Dei venerabilior est præscriptio. Hinc sæpius in pleriſq; Germaniæ partibus mutata est religio, etiam in liberis quibusdam imperij ciuitatibus, quæ tamen, quod ex vnius voluntate nõ pendeant, reliquis perseuerantiores esse solent in proposito. Brema, Wesalia, aliæq; nonnullæ vrbes, cum auidè Lutherismum hausissent, breui eum fastidio, non sine regiminis concussione, & magnatum exilijs eiecerunt; aliæ è contrario cum initio Zvvinglianismum professæ essent, vt Memminga, Lindauium, Argentoratum, Orlamunda ad Lutherismum deinde inclinarunt. Verum hæc alias, & alibi. Vt verò quasi in synopsi statum principum quoad religionem videas, sic habeto omnes Reges & principes Europæ, si Turcã excipias, vel antiquam fidem profiteri, vel Lutheranam, vel quam vocant reformatam, cuius primipili Carolstadius, Zvvinglius, Caluinus fuere. Reges & principes Euangelicos in hunc modum recenset Abraham Scultetus in episto. ad Illustriss. viduam Loysam Iulianam.

Liberæ ciuitates lẽtius mutarunt religionem.

2. Haidelbergæ 11. Nouemb. anno 1617. quo tempore in viuis erant, regnumq; tenebant sequentes Euangelici Reges, Electores, Principes Magnates.

Iacobus Magnæ Rex Britanniæ.

Christianus 4. Rex Daniæ

Miscentur hic Lutherani, & Caluiniani, de quo vide Hoe, Trewhertzige warnung contrà Scultetum.

Gustauus

Gustauus Adolphus, Rex Succiæ.
Fridericus 5, Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, Elector.
Iohannes Georgius, Dux Saxoniæ, Elector.
Iohannes Sigismundus, Marchio Brandenburg. Elector.
Archiepiscopi Magdeburgenses & Bremenses.
Iohannes Comes Palatinus Rheni, Dux Bipontinus.
Iohannes Casimirus, Dux Saxoniæ.
Iohannes Ernestus, Dux Saxoniæ.
Georgius Wilhelmus Marchio Brandenburgensis, Dux Iuliæ, Cliuiæ, Bergiæ, Borussiæ &c.
Iohannes Georgius Marchio Brandenburg. Dux Borussiæ, Silesiæ &c.
Ioachimus Ernestus, Marchio Brandenburgensis & Anspacensis.
Christianus, Marchio Brandenburgensis & Colmbacẽsis.
Fridericus Vlricus Dux Brunswicensis.
Iohannes Albertus, ipsiusque Dominus frater Duces Mechelburgenses.

Iohannes Fridericus, Ludouicus Fridericus, Fridericus Achilles, Magnus } Duces Wirtemberg. & Deckenses, Comites Mompelgardẽses.

Duces Holsatiæ, Pomeraniæ, Luneburgi & Lauburgi.

Mauritius, Ludouicus, Philippus } Landtgrauij Hassiæ.

Georgius Fridericus, Marchio Badensis.

Iohannes Georgius, Christianus, Augustus, Ludouicus, Rudolphus, } Principes Anhaldini.

Heinricus Wenceslaus Carolus Wenceslaus	}	Duces Monsterbergenses & Olsnicenses.
Iohannes Christianus Georgius Rudolphus	}	Duces Silesiæ, Berg. & Ligni.

Dn. Mauritius, Princeps Orangiensis.
Dn. Wilhelmus, Comes Nassouiensis, Gubernator Frisię.

IN GALLIA RELIGIONIS REFORMATÆ lumina & columina, erant præcipuè

Heinricus, Dux Bullionęus, supremus Mareschalcus, duorum filiorum parens, quorum alter Fridericus Princeps Sedanensis, alter Heinricus Vice-Comes Turaine.
Heinricus Dux Thours & Tremoille, vnâ cum fratre Domino de Soubize.
Dux de Sully, & filius ipsius Marchio de Rosny.
Dux de Desdiguiers.
Marchio de Candale, Ducis de Espernon natu maior filius.
Comes de la Suse.
Comes de Russy.
Dominus Vidame de Chantres.
Dn. Philippus de Plessis Mornay.
Dn. de la Force. multiq; alij proceres, vt in numerum non veniant nobiles magno numero.

PER VNGARIAM ET TRANSSYLVANIAM Ecclesiarum Reformatarum Nutricij.

Gabriel Bethlen Princeps Transsyluaniæ, partium Regni Vngariæ Dominus, Siculorum Comes.
Stephanus Bethlen, Capitaneus Husztiensis, Præfectus Marmarossæ.

Fran-

Franciſcus Redoi Comes Comitatus Bichorienſ. Capitaneus Varadien.

Franciſcus } Perini Comites Abaui varienſes.
Georgius
Gabriel

Stephanus Török Comes Hunyadienſis, Hæres & Capitaneus Papenſis.

Georgius Rakoci Comes Saroſienſis, Capitaneus Onodienſis, eius Frater.

Sigiſmundus Rakoci.

Franciſcus Battyani Comes Comitatus Sopronienſ.

Nicolaus } Zerini Comites Szaladienſ.
Georgius

Paulus Nadazdi Comes Caſtriferrei.

Thomas Nadazdi.

Stanislaus Turzo de Bethlen falua, Comes Scepuſienſis.

Emericus Turzo Comes Aruenſis.

Petrus de Reua Comes Turocienſis.

Stephani Illyeshazi vidua cum filio Comite Tricinienſi.

Petrus Forgats de Gimes Lib. B.

Nicolaus Forgats de Gimes Lib. B. Capitaneus Sethenienſis.

Michaël Karoli Lib. Baro.

Stephanus Nyari Lib. B.

Stephanus Tököli Lib. B. in Keſzmarck.

Thomas Szetzi Lib. B. & filius Georgius Szetzi.

Sigiſmundus Præpoſtvani Lib. B.

Iohannes } Liſtius Lib. B.
Stephanus

Nicolaus Botskai Lib. B. in Kôuerd.

Franciſcus Banffi à Loſſonez Lib. B.

Stephanus Kakoni Lib. B.

David

Dauid Zolyomi L.B. in Szekelyhida.
Francisci Pacrot Vidua.
Sigismundus } Mariasi.
Paulus
Andreas Kapi.
Stephanus Korlat Capitaneus Szenderôuiensis
Iohannes Bakos in Ozgyan.
Ladislaus Barkoci ViceComes Cômitatus Zemleniens.
Stephanus Pethnehazi Comes Szarandiens. Capitaneus in Zenô.
Wolfgangus Kamuti.
Caspar Petö Capitaneus Geszrelien.
Balthasar Kouats Capitaneus Galankiens.
Thomas Oknai Capitaneus Szodeniensis.

Et alij quamplurimi nobiles Vrbium, Ciuitatumq; Ciues spectatissimi Orthodoxi.

POLONIÆ IN REGNO EVANgelicæ veritatis sese asseclas profitebantur.

Dn. Raphael, Comes Lesno, Castellanus Bisslickensis. Comites Ostrorodij, Domini Latascij.

Dn. Firleij, Sienekij, Vrotoscij, Goraiscij, Sbanscij, Przyemscij, Orzechorij, Goluchouij, Reij, Sieniutæ, Bronieuij, Dunikonij, Potokij, & innumeri alij.

IN LITHVANIA CVRSVI EVANgelij calcaria admouebant, omni laude cumulatissimi Principes.

Dn. Ianusius & Christophorus Radziuilij. Nam alioqui adiutabilem Ecclesiæ Euangelicæ nauabant operam.

IN BOHEMIA Dn. Wenceslaus de Budouuitz IN MORAVIA Dn. Carolus de Zeroten. IN SILESIA Dn. Georgius de Schönaich.	Barones.

3. In his tamen magnopere obseruandum est, principes illos, prouinciasq; partim esse Lutheranas, partim reformatas vt vocant. Deinde subditos Reformatorum magnam partem Lutheranos, atque existimare se magnâ in persecutione versari, & hactenus quidem liberationem ab Euangelicis Lutheranis frustra exspectarunt, nunc spem suam damnare coguntur, & sensim frenum recipiunt: de eorum irritâ spe testantur Saxones motiua 12. cur non sit pax ineunda cum Caluinianis: *Exiguam protestantes inituri essent gratiam, imo execrationes potius, & gemitus aduersum se excitaturi apud eos, qui inter Caluinianos habitant, & à statibus Augustanæ confessionis breui sese liberandos, & Caluinismum abolendum esse confidunt; serioque exspectant siquidem isti auditione perciperent, eos cum Caluinistis eandem iam tibiam inflare, & quinque, quod dicitur, esse paria concedere. Quo facto, sane turbis & motibus haud exiguis in Ecclesia Dei apud Christianos infirmos ansa, causaque praberetur.*

4. Catholicam religionem colebant ac tutabantur, & verum constantiæ Iubilæum celebrabant hi principes.

In Germania, Ex domo Austriaca.

MAtthias Imperator Augustus.
Ferdinandus Rex Bohemiæ, Hungariæ.
Maximilianus Archidux Austriæ ordinis Teutonici magnus Magister.
Albertus Archidux Austriæ, Dux Brabantiæ &c.
Leopoldus Archidux Austriæ Episcopus Argentor. & Passauiensis.
Carolus Archidux Austriæ Episcopus Briuiensis Vratislauiensis.

Ioannes Swikardus Archiepiſcopus Moguntinus Elector.

Ferdinandus Archiepiſcopus Colon. Elector &c. Dux Bauariæ &c.

Lotharius Archiepiſ. Treuerenſis, Elector. &c.

Wilhelmus Senior Bauariæ Dux Comes Palatinus &c.

Maximilianus Dux Bauariæ Comes Palatinus.

Albertus Dux Bauariæ, Comes Palatinus, &c.

Wolffgangus Wilhelmus, Dux Bauariæ Neoburgenſis Iuliacenſis, &c.

Emmanuel Philibertus Saubaudiæ Dux.

Henricus Lotharingiæ, &c. Franciſcus Lotharingiæ, &c.

Epiſcopi in Germania plurimi.

Marcus Archiepiſcopus Salisburgenſis Romanæ Sedis Legatus.

Ioannes Godefridus Bambergenſis, & Herbipolenſis, Franciæ Orientalis Dux.

Philippus Chriſtophorus Spirenſis Supremus Cameræ Auguſtæ Iudex.

R^d. Curienſis.

Georgius Godefridus Wormatienſis.

Theodorus Paderbornenſis.

Iacobus Conſtantienſis.

Henricus Auguſtanus.

Guilhelmus Baſilienſis.

Alios principes, comites, Barones, Magnates omitto, vti & ciuitates liberas, ac Reſpublicas in Germaniâ, Heluetiaque.

In Italia.

Paulus Quintus primæ Sedis, & Eccleſiæ omnium matris

tris Pontifex, cum ſtatu Eccleſiaſtico quem vocant. Deinde regnum Neapolitanum cum Sicilia, Sardinia, Corſica, Liguria. Magnus in his ducum, comitum, nobiliumq; numerus.

His ſi nobiles diteſque Venetias adiungamus, regna earum, & inſulas, tantum Romani ſanguinis virorumq; Illuſtrium exercitum producemus, vt dimidiam aduerſariorum partem ex vnâ Republicâ ſimus æquaturi.

Quid vero ſi Hetruriam, & magnum ducem Florentiæ filiosque, & iam inſitam domui Auſtriacæ familiã, recenſeam? quorum inſignis in fide & religione tuenda pietas illuſtris eſt, quorum claſſibus Ottomanicæ vires acciduntur.

In Gallia plerique Catholici ſunt, mihi ab amico hæc nomina ſunt miſſa.

Le Roy.
Monſieur le frere du Roy.
Monſieur le Prince de Condé prince du Sang.
Monſieur le Conte de Soiſſon prince du Sang.

Autres Princes.

Monſieur De Guiſe.
Monſieur Du-Maine.
Monſieur De-Neuers.
Monſieur De Longueuille.
Monſieur De Vandoſme.
Monſieur le cheualier De Vandoſme.
Monſieur De Sainct Paul.
Monſieur De-Nemours.
Monſieur le Prince D'Auuergne.
Monſieur Darbeuf.

Monſieur le Prince De Ginuille.
Monſieur De Cheuereuſſe.
Monſieur le Conte D'Arcour.
Monſieur D'Alles.
Monſieur De Lauragne.
Monſieur le Duc de Ratelois.
Monſieur le Duc de Fronſac.

DVCS.

Monſieur le Duc de Pernon.
Monſieur le Duc de Monbayoy.
Monſieur De Candalle Duc D'Aloin.
Monſieur le Duc de Mommorancy.
Monſieur De la Vallette coronel general de France.
Monſieur le Grand; Eſcuyer de France.
Monſieur le Duc de Vantadouë.
Monſieur le Duc De Raicts.
Monſieur le Duc De Rones.
Monſieur le Duc Duzes.

MARESCHAVX DE FRANCE.

Monſieur le Mareſchal de Rognelaure.
Monſieur le Mareſchal de Briſſac.
Monſieur le Mareſchal de Boiſ-Daulphin.
Monſieur le Mareſchal de Souuray,
Monſieur le Mareſchal de Vitry.
Monſieur le Mareſchal de Tamines.
Monſieur le Mareſchal de la Chattre.

MARQVIS.


Monſieur le Marquis de Rouillac.
Monſieur le Marquis de Mirebeau.
Monſieur le Marquis de Mortemard.
Monſieur le Marquis de Trans.
Monſieur le Marquis de Caniſy.

Monſieur

Monſieur le Marquis de Vieuille.
Monſieur le Marquis de Villaine.
Monſieur le Marquis de Ruffec.
Monſieur de Marquis de Tamine.
Monſieur le Marquis de Sable.
Monſieur le Marquis de la-Verdun.
Monſieur le Marquis D'Eternel.
Monſieur le Marquis de Beueron.
Monſieur le Marquis de Cuure.
Monſieur le Sainct Chaumont.
Monſieur le Marquis de Mony.
Monſieur le Marquis de Ville-roy.
Monſieur le Marquis de Cortaubau.
Monſieur le Marquis de Villars.
Monſieur le Marquis D'Oraiſon.
Monſieur le Marquis de Marigny.
Monſieur le Marquis de Portes.
Monſieur le Marquis D'Allegre.
Monſieur le Marquis D'Eſtin.
Monſieur le Marquis de Rauel.
Monſieur le Marquis Domtefort.
Monſieur le Marquis Dalluy.
Monſieur le Marquis de Sidul.
Monſieur le Marquis de Fimarcon.
Monſieur le Marquis de Mirepoix.
Monſieur le Marquis de Timbrune.
Monſieur le Marquis D'Araigny.
Monſieur le Marquis de Breſſieulx.
Monſieur le Marquis de Ceſſac.
Monſieur le Marquis de Gimolz.

CONTES.

LE Conte de la Rochefaucoult.



Le Conte de Sainct dignan.
Le Conte de Gramont.
Le Conte du Lude.
Le Conte de Lauzun.
Le Conte de Torigny.
Le Conte de Termes.
Le Conte de Grampe.
Le Conte de la Marque.
Le Conte Chomberc.
Le Conte de Treme.
Le Conte de Sanserre.
Le Conte de la Voute.
Le Conte de Curson.
Le Conte de Carton.
Le Conte de Mauleurier.
Le Conte de Cars.
Le Conte de Tonnerre.
Le Conte de Cremail.
Le Conte de Susse.
Le Conte de Grignan.
Le Conte de Vertu.
Le Conte de Breme.
Le Conte de Pegnillem.
Le Conte de Tornon.
Le Conte de L'Estrange.
Le Conte de la Vedan.
Le Conte de Frasque.
Le Conte de Mauret.
Le Conte de la Roche Gnion.
Le Conte de Carsses.
Le Conte de Crisse.
Le Conte de Gransay.
Le Conte de Maille.

Le

Le Conte De Maran.
Le Conte D'Aubigon.
Le Conte de Sanzay.
Le Conte de Chantel.
Le Conte de Chasteau-Vilain.
Le Conte de Chasteau-neuf.
Le Conte de Monranel.
Le Conte D'Ax.
Le Conte de Chinerny.

VISCONTES.

Le Visconte Duza.
Le Visconte de Pompadoun.
Le Visconte de Brigul.
Le Visconte de Poulignac.
Le Visconte D'Amberterre.
Le Visconte de Pomy.
Le Visconte de Foncande.
Le Visconte de L'Arboust.
Le Visconte de Sainct-Girons.
Le Visconte de Bordes.
Le Visconte de Poise.
Le Visconte de Cere.
Le Visconte de Chanemy.
Le Visconte de Clere.
Le Visconte de Marcossy.
Le Visconte de Dune.

LES CARDINAVLX.

Monsieur le Cardinal de Guise.
Monsieur le Cardinal de la Roche-faucault.
Monsieur le Cardinal de Pourdy.
Monsieur le Cardinal du Perron.

Monsieur

Monſieur le Cardinal de Rautz Eueſque de Paris.
Monſieur le Cardinal de Vernul Eueſque de Metz.
Monſieur le Duc de Ioyeuſe fils de Monſieur de Guiſe Abbé de Feccan & coadiuteur de L'Archeueſque de Marbonne.

EVESQVES.

Monſieur l' Archeueſque de Tholouſe fils de Monſieur de Pernon.
Monſieur l' Eueſque D'agde fils de Monſieur le Conte D'auuergne.
Monſieur l' Eueſque de L'andeue fils de Monſieur de Dantadouë.
Monſieur l'Eueſque de Commaige fils de Monſieur le Mareſchal de Souuray.
Monſieur l' Eueſque Du-mans fils de Monſieur le Mareſchal de la Verdun.
Monſieur l' Eueſque de Vimers fils du Conte de Suze, nepueu de Monſieur Dumaine.
Monſieur l'Eueſque de Marſeille frere de Monſieur de Sainct Luc.
Plus quarante cheualiers du Sainct Eſprit.

Plus pluſieurs Seigneurs de qualité portants tiltres de Lieutenant du Roy, dans toutes les prouinces de France, que ie ne vous ſaurois nombrer; Comme Meſſieurs de Goudrin, De Cregny, De Pralin, Baſſompierre, Dorlame, D'alincourt, Montauban, qui eſt prince de Gninemie, de Bordeille, d'Ambleuille, de Montpeſſart, Denis frere de Monſieur Dumaine, Deliaucourt premier eſcuye du Roy, Dandelot de Sainct geran, De Sainct-luc; Et plus de quatre mille ſil y failloit mettre le tout.

Plus tous les Parlemens de France qui ſont tous Catholiques:

tholiques: Comme, le Parlement de Paris, Parlement de Tholouse, Parlement de Roüans, Parlement de Bourdeaux. Parlement de Raines en Bretaigne, Parlement de Dijon, Parlement D'aix, Parlement de Grenoble, Sens.

Quod si etiam è Gallia ad occidentem procedere animus est, & spectare magna trans Pyrenæos regna, regna nunc duplici matrimonio Franciç confœderata, plurimos antiquæ religionis cultores inueniemus. Primo Philippũ Tertium Catholicum regem, Tres eius filios, duas filias. Deinde potentissimos principes, quorum Catalogum eo modo, quo mihi ab homine doctissimo, & amicissimo transmissus est, hic tibi lector lubens reddam.

Relatio Titulorum Hispaniæ, quanti vniuscuiusque reditus annui, & vbi quisq; suum habeat Statum.

DVx Fiaræ, Marchio Berlangæ, Comes de *Haro*, domus *de los sieti*, Infantes de Lara septẽ filiarũ Dominus, Comestabuli Castiliæ & magnus Iuris præses, Caput domus *de los Velascos*, Domus originaria illi est in Burgos, status in Castilia vetere, syluis Biscaiæ & Soriæ, Reditus annui 80. m. Ducatos.

Dux Medinæ *de Rioseco* (fluuij torridi) comes Modicæ & Melgaræ Vicecomes de Esterlin, Almerante (Thalassiarchus) Castiliæ hic sanguine regio natus est patre Don Fridrico Magistro S. Iacobi, qui filius regis Alfonsi XI. fuit & frater nothus regis Petri crudelis cognomine, Caput familiæ de los Henriques, Domus huic Vallisoleti, status in prouincia de Campos, in Catalaunia & Seuilia, Reditus sunt 100. m. Ducatos.

Dux Albanus & Huescæ marchio Soriç, comes Saluaterræ, vicecomes de Saldires, Dominus de Valde Corneia (vallis cornicum) Caput domus de Toledo, Domus

originaria est Salamancę, Status in Castilia vetere, & regno Granatensi & finibus Portugaliæ, Reditus ille habet 80.m duc.

Dux de Infantado, marchio Zenetæ & Santilanæ, dominus (*del Real de Mançanares*) regalium quæ ex pomis & eo spectantib.) Caput domus *de los* Mendoças, Domus in Guadalajara, Status in regno Toletano & saltubus Castiliæ veteris & prouincia de *Alaua*, Reditus 80. m. ducat.

Dux Alcalæ *de los ganzules*, marchio Tarifæ, Comes de Burno & de Villamartin, Adelantado maior Andaluziæ, Caput domus de Riberas, Domus origo illi Seuiliæ est, Status in eodem regno, Reditus 150.m.ducat.

Dux de Albuquerque, comes Budinæ, caput familiæ de los Cuebas, habet suum Statum in Albuquerque, Domum in Estramadura & Castilia vetere, 40.m.ducat.

Dux Escalonæ, marchio Villenæ & Moyæ; Comes S. Stephani, Caput familiæ de los Pachecos, Domus illi Toletę, Status in regno Murciæ, habet annuatim 130.m.duc.

Vom trewen Felsen. Dux Ossuriæ, marchio de *Penafiel*, Comes Vrennæ, Caput domus de los Girones, Habet domum aut sedem suam in Penafiel, Statum in regno Seuiliæ, In annum 100.m.duc.

Dux de Arcos, marchio de Lara, comes Marchenæ, caput familiæ de los ponces de Leon, Domus ipsius in Seuilia, Status ibidem, In annum 80.m.duc.

Dux de Bejar, marchio de Gibraleen, Comes de Benalcacar, caput de los Zunegas de Sotomaiore, Domus in Seuilia, Status ibidem & Castilia vetere, 70.m.ducatos annuos.

Dux Gandiæ, marchio de Lombaij, Caput de los Bor-

Borjas, domus Valentiæ, Status in eodem regno, 60.m. ducat.

Dux Sesæ, comes de Cabray de Vaena, caput de los Cordouas & de Aquilar; Domus illius est Cordubæ & Granatæ, Statum habet in eodem regno Granatensi, 70. m. ducatos annui.

Dux Medinæcæli, marchio *de Cogolludo*, comes de *Puerto* de *Sancta Maria*, Caput familiæ de los Cordas, Domum habet Medinæcæli, Statum in Regno Toletano, 50.m.duc. *Portus S. Mariæ.*

Dux de Medinacidonia, marchio de Sanct Lucar de Barrameda, comes *de Niebla* (nebulæ vel vapihumi) caput de los Guzmanes. Domum habet in Seuilia & in portu de S. Lucar, Statum in regno Seuiliæ, ducatos annuos 130.m. Der Graf vom Nebel.

Dux Maquedæ, marchio de Elche, Caput familiæ de los Cardenas, statum habet in regno Toletano & Valentiæ per annum 40.m.duc.

Dux de Nagera, comes de Treuino de Valencia, & Don Iuan, Caput domus de Manriquez de Lara, Domum habet in Nugera, statum in prouincia de la Rioja, 50.m. duc.

Dux Feria, marchio Cafræ, caput de los Figuerroas, Statum refert in Estramaduran, domum in Cafra, 50.m. duc.

Dux Cardonæ & de Segorue, marchio de Comares, dominus in Lucena, Alcayde de los Donzoles, sanguine iunctus regibus Aragoniæ & de la Cerda, Domum habet Valenciæ & Cardonæ & Barcelonæ, Statum in regnis Valenciæ, Cataluniæ & Cordouæ, reditus annuos habet 110.m.duc.

Dux Somæ, marchio de Palamos, Almiranta Neapolitanus ex domo de Cordoua, domum habet in Belbuche, 40.m.duc.

Von Schönhouen. Dux de Villahermosa (καλοπόλις:) comes de Ribagorcæ, ex familia & sanguine regum Aragoniæ, Domum habet Saragoçæ, Statum in regnis Aragoniæ & Valentiæ, annuos 25.m. Ducatos.

Dux Pastranæ, Princeps de Euoli caput domus de Silua regni Portugaliæ, vnde in Castiliam venit Ruy Gemez de Silua, Domum habet Madriti & Pastranæ 50.m. Ducatos.

Von Freystatt. Dux de Francauila, Princeps de Melito, ex domo de los Mendoças, Domum Toleti, Statum in eodem regno, & numerat in annos 40. Ducatorum millia.

Marchiones maiores.

Herr zu Wolffstatt. Marchio de Astorgæ, Comes de Trastamarę, Dominus domus de *los Villalobos*, caput de los Ozorios, domum habet in Astorga statum in regno de Leon & prouincia de Campos habet 50.m. Ducatos.

Marchio de Aguilar Comes de Castaneda, ex domo de los Manriques de Lara, habet domum Originariam in Carrien & Aguilar de Campos, Statum in montibus & prouincia de Campos, Reditus 40.m. Ducatos.

Marchio de Denra, Comes de Lerma Caput de los Rojas, Domus illius in Denra & Valencia, Status in regno eodem & in Castilia veteri, Reditus 25.m Ducatos.

Marchio de Mendejar Comes de Tendilla, ex domo Mendocæ, Domum habet in Mondejar, Statum in Alcarria Redditus 36.m. Ducatos.

Marchio de Nauarres, Magister de Montesa, Principalis & caput domus de los Borjas, habet domum in Valencia, Statum ibidem, Reditus 20.m. Ducatos.

Marchio de Pliego Dominus domus de Aguilar & de Cordua, Domum ibidem habet Corduæ, Statum in prædicto regno in reditib. habet 50,m, Ducatos.

Mar-

Marchio de Sarria, Comes de Lemos, de Castro & de Villalua, dominus de vlloa, Caput Domus de Castro, domum habet in Lemos & Sarriæ, statum in regno Galiciæ Redit. 80. m. ducat.

Marchio de los Veles Adelantado de Murcia, ex domo de los Faiardes, domum habet in los velez, Statum in regno Murciæ In reditibus 60. m. Ducat.

Marchio de S. Cruce ex domo de Bacan creatus Iudex cum summa auctoritate die 23. Ianuarij Anno 1584. domum habet Granadæ Annuos 36. mille. ducat.

Marchio de Villafrãca, ex domo de Toledo habet annuè 30. m. Ducat.

Marchio de Volade, ex domo de Auila & Toledo, domum habet Auilæ & velade de renta 20. millia. ducatorum.

Marchiones minores.

Marchio de Ajanounte ex domo de los Sunegas, domus illius Originaria est Seuiliæ status in eodem regno, & sunt in redit. 26. m. Ducat.

Marchio de Altamira, ex domo de los Rojas, domus in Altamira reditus. 12. m. Ducatos habet.

Marchio de Viana, ex domo de los Pimentales, domus Vallisoleti, status in regno Galiciæ 14. mille. ducatos.

Marchio de Camarata & de Sabroso, Comes de Rula, Adelantado de Caçorla, ex domo de los Cobos & Mendoçæ, domus Vallisoleti status in Catalunia, ducatus illi annui 50. m.

Marchio de Cortes, ex domo de Toledo, domus illius originaria in Cortes, status in regno Nauarræ, 16. m. ducatos.

Marchio de Monte maior, ex domo de silua, domus in monte maiore, reditus 15. m. ducados.

Marchio de la Guarda de ſancta Eugenia, Caput domus de los Mexias, domus illius ſalamanticæ, ſtatus in regno de Iaen, reditus 40.m. ducat.

Marchio de montes claros, ex domo de los Mendoças, domus in Gadalajara, 16. m. ducat.

Marchio de las Nauas, caput de los Auilas, domus in ciuitate Auila, ſtatus in finitimo illius tractu, annuos 16. m. ducat.

Marchio de Poſſa, ex caſa de Rojas, domus Valliſoleti Pozæ & Madriti, ſtatus in Caſtilia antiqua, 20. mille. ducat.

Marchio de Eſtigra, ex domo de los Centuriones de Genua domui illius in Eſtipa, ſtatus in regno ſeuiliæ 25.m. ducat.

Marchio de Ibara, ex domo de los Pimenteles, Domus Valliſoleti, ſtatus in Caſtilia antiqua 16. mille. ducat.

Marchio de Villamanrique, Caput de los Portocareros, domus illius Seuiliæ, ſtatus in Eſtremadura, 16. m. ducat.

Marchio de Villanueua del Ris, Caput de los Henriquez, domus eſt Seuiliæ ſita annuè ducat. 25.m.

Marchio de la Drada ex domo de la Cueua, domus ſita in la Drada, ſtatus in Regno Toletano, annuos habet 10.m.

Marchio de Cauete, ex domo Mendoçæ, domus in Cueua, ſtatus in ipſius tractu & finibus, annuè 15.mil. ducat.

Marchio de Fromiſta ex domo de Benauides & Henriquez, domus in Fromiſta, ſtatus in Prouincia de Campos & Caſtilia vetere, annuos habet ducat. 10.m.

Marchio de Falces, Caput de los Peraltas domus

mus illius in Vrbe, ſtatus in Regno Nauarræ, 8, mille. ducat.

Marchio del valle, ex domo de los Corteſes, domus Seuiliæ, ſtatus in Hiſpania noua 50.m. Ducat.

Marchio de Ardales Comes Leuæ, Caput de Guzman, domus in ciuitate de Melaga, ſtatus in regno Seuiliæ ducat. 16.mil.

Marchio Alcalæ de la Alameda, ex domo de Portocareros, domum habet Seuiliæ, ducat. mille, quolibet anno.

Marchio de Alcauizos, ex domo de Henriquez, domum in Alcauiſes, ſtatum in ipſius tractu habet 16. mille. ducat.

Marchio de Auilafuente, ex domo de Zuniga, domus in Raltanas, ſtatum in Caſtilia vetere, Reditus 12.mille ducat.

Marchio de Pioxa, ex domo Wolla, domus Valliſoleti, & 12.m.duc.

Marchio de Villamanrique, ex domo de Suniga domus eſt ſeuiliæ, ſtatus in eodem regno, 16. mille. ducat.

Marchio de Aunon, ex domo de Herrera, domus Madriti, ſtatus in Alcarria, 25.m.duc.

Marchio Molinæ, in eadem domum habet, in reditib. 6.m.duc.

Marchio de Cerraluo, ex domo de Caſtro domus in Ciudadradrigo, ſtatus in eiuſdem finib. aut ditione, 8.m. duc. habet.

Comites Primæ Claſſis.

Comes de Benauente, Caput domus de los Pimenteles, Domum Valliſoleti habet, ſtatum in regione de Campos, Prouentus illius 100. mille. ducat.

Comes

Comes Albæ de Lista, ex domo de los Henriquez, domum refert Samorram, statum in Castiliã veterem, prouentus 40.m.duc.

Comes Mirandæ, Caput domus Aucunnæ & caput de los Auellanedas, domum refert in Pennarandam statum in Castiliam veterem, prouentus 35.m.duca.

Comestabuli regni Nauarræ, ex domo de Toledo, domum in Pamplona, statum in Axuel regni Nauarræ, prouentus in 25.m.ducatis habet.

Comites secundæ Classis.

Comes Salinarum & de Ribadeo, ex domo de Auellanda, & Mendoçæ, sedes stirpis in Burgos, status in Biscaia & eius montibus, hic ob fortia maiorũ suorum facta regi Castiliæ in expugnanda vrbe Toletana, priuilegiũ habet prandendi simul cum rege Castiliæ diebus Paschæ & Natiuitatis, illiq; cedunt vestes regiæ. Item equus & patera, quibus Rex ijs diebus vtitur, habet ducat. 20. millia.

Comes de Aguilar, Caput de los Arellanos, sedem habet in ciuitate Demanda, statum in la Riosa, & ditione de Horria, de renta 15.m.duc.

Comes de Aranda, ex domo de los Vrreas, Dominus de Almormo sedem aut domum familiæ seu gentilitiam Arandæ habet, statum in Aragonia, De renta habet 16.m.duc.

Comes de Alcaudeta ex domo de Cordua, sedem gentilitiam Alcaudetæ habet, & in annua numerat ducat.8. mille.

Comes de Aytona, ex domo de Moncada, sedem Barcelonæ habet originariam, statum in Catalaunia, 14.m. duc.

Comes

Comes de Altamira, ex domo de Moſcoſo, ſedem habet in Altamira, de renta 8.m.duc.

Comes de Buiendia (Der Graff vom guten Morgen/ Dominus de Duennas (Herr vber die Wiedfrawen (ex domo de los Acuenas, ſedem habet in Duennas, ſtatum in terra de Campos, numerat annuè 20. mille ducat.

Comes de Ayllon, ex domo de los Ayllones & de Cordoua, ſedem habet in Ayllon, de renta 8. mille ducat.

Comes de Belchite, ex domo de Texar, domum Caragoçæ, ſtatum in Aragonia, habet de renta 10. mille ducat.

Comes de Caſtellar, Caput de los Sapauedra, ſedem Seuiliæ, ſtatum in eodem regno, de renta 14. mille ducat.

Comes de Caſtro, ex domo de los Mendoças, & Manriquez, domum in Caſtro habet, & annuè ducat. 10.mil.

Comes de Chrachon (Graff der Wandtleuß.) Caput de los Bouadillas, ſedem habet Madriti, ſtatum in regno Toletano, habet annue 40.m.duc. Der Wandtleüssen

Comes de Ciſuentes, Caput de los ſiluas, domum habet Toleti, ſtatum in eodem regno Toletano, 25.mille ducat. Graff.

Comes de Cornua, ex domo de Mendoça, domum habet in Guadalajara, in redit. duc. 20.m.

Comes de Fuenſalida, Caput de los Ayalas, domum Toleti, ſtatum in eiuſdem regno, in reditib. habet ducat. 20.m. Saltz-brunn.

Comes de Canimo, domum ibidem in Canimo habet 6.m duc.

Comes de Gelues, Caput domus de Portugal, domum

Seuiliæ & ſtatum in regno Seuiliæ, annuè habet 22. mille ducat.

Comes de Gomira, ex domo de Ayala, domum Gomiræ habet, annuè 16.m.duc.

Comes de Oliuares, ex domo de los Guzmanes, domum Seuiliæ habet, ſtatum in eodem regno, de renta 40. m. ducat.

Comes de Corentayna, Caput domus de los Corellas, domum habet Valenciæ, ſtatum in eodem regno Valenciæ 14.m.duc.

Comes de Fuentes in Aragonia, Caput domus de Heredra, ſtatum in d. regno habet, domum Saragoçæ, 10. m. ducat.

Comes de Medellin, ex domo de los Portoramros, domum habet in Medellin, ſtatum in Extremadura, 35. m.ducat.

Comes de Monte agudo, (zu Spitzberg) marchio de Almaçan ex domo de los Mendoças, domum in Almaçan, ſtatum in Aragoniæ regno habet, annuè 18. mille ducat.

Comes de Montorrey, ex domo de Azeuedo, domum Salamançæ habet, ſtatum in regno Galiciæ, de renta 18. m. ducat.

Comes de Oropeſa (Vom Goltgewicht:) & de la de leytoſa (delectabili) Dominus de Segulla, ex domo de Toleto, domum habet in Talauera, ſtatum in regno Toletano 35.m. de renta.

Comes de Iſerno, ex domo de los Manriquez, domum habet Valliſoleti, ſtatum in Caſtilia veteri, de renta 20. m.ducat.

Comes de Onanto, Caput de los Gueuaras, domũ habet in Onanto, ſtatum in prouincia de Alaua, de renta 10.m.ducat.

Comes

Comes de Morata, ex domo Lunæ, domum Maratæ habet, ſtatum in Aragonia, In reditibus, 12. mille ducatos.

Comes de Orgaz, ex domo Mendoçana, domum in Orgaz habet, & annuè 12. m. duc.

Comes de la Puebla, ex domo de Cardinas, domum habet Clerenæ, ſtatum in Ertremadura & regno Granatæ 18. m. duc.

Comes de Pliego, ex domo de los Carrillos & Mendoçana, domum habet Gradalajaræ & in Pliego, ſtatum in Saltubus de Cuenca, 12. m. duc.

Comes de Puno ex roſtro (**Graff von der Maulſchellen**:) Caput de los Arras, domum Madriti habet, ſtatum in regno Toletano, de renta 20. mille ducatos.

Comes de Paredes, ex domo de los Manriquez, domum in Paredes habet, ſtatum in prouincia de Campos 14. m. duc.

Comes de Riuadetura, ex domo de Auellaneda, domum habet Valliſoleti, ſtatum in regno Galiciæ, 10. m. duc. annue.

Comes de Saſtago, ex domo de Alagon, domum Saragoçæ, ſtatum Aragoniæ, habet in reditibus 18. mille ducat.

Comes S. Stephani, Caput de los Benauedes, domum habet Vbedæ, ſtatum in regno Aragoniæ, de renta 15. m. duc.

Comes de Gelues, ex domo de la Cerda, domum in Gelue habet, & annuè 8. m. duc.

Comes de Barajas, Caput de los Sapates, domum Madriti, ſtatum in regno Toletano habet & 12. mille ducat. de renta.

Comes de la Puebla de Montaluan, ex domo de los Girones & Pachecos, domum Pueblæ de Montaluan habet, ſtatum in Extremadura, & in reditus 20. mille. ducat.

Comes de Baylen ex domo de los Ponces de Leon, domum habet in Baylen, ſtatum in regno de Iaen, & 16. m. ducat.

Comes de Nieua, ex domo Velaſcorum, domum in Nieua habet, ſtatum in Rioia, ex reditu annuo numerat 12, m. duc.

Comes Saluæterræ, ex domo de los Ayalas, domum in Saluaterra habet, ſtatum in prouincia de Campos, ex annuo redit. 10, m. duc.

Comes de Luna, ſtatum habet in Leon, & ibidem domum, & 20. m. duc.

Comes de la Guerra, ex domo de los Carrillos, de renta 60. m. duc.

Comes Vcedæ ex domo de Mexias, domum Auillæ habet, & ex reditu annuo numerat 10 m. duc.

Comes de Fuenſaldana, domum valliſoleti habet, ſtatum in Caſtilia veteri, 8. mille. ducat. ex cenſu annuo.

Comes Lodoſæ ex domo . . . . . . domum in regno Nauarræ habet, vna cum ſtatu, in cenſu habet 8. m. duc.

Comes de ſancta Gadea, Adelantado Caſtiliæ, ex domo de los Padillas & Acunas, domum habet in ſancta Gadea, cenſus 20, m. duc.

Comes Almenaræ, ex domo de los Proxitas, domum Valentiæ habet, ſtatum in eodem regno. Cenſus 8. m. ducat.

Comes Oliuæ, Caput familiæ ſiue domus de los centellos, domum Valenciæ, ſtatum in eiuſdem regno habet 18. m. duc.

Comes

Comes Albaydæ caput familiæ siue princeps de los de Lapellido de Milan, domum habet Albaydæ, statum in regno Valentiæ, Census illius 10.m.duc.

Comes Eldæ, Princeps familiæ suæ, domus de los Colomas, statum in regno Valenciæ, domum Eldæ, habet 8.m. ducat.

ViceComites.

ViceComes Peraltæ, in censum habet annue 6.m.duc.

ViceComes de Guebuli, in censum 8.m.duc.

ViceComes de Chelua in censum habet 6.m.duc.

Almirantes seu Thalassiarchi.

Almiranta Castiliæ, in censum habet 40.m.duc.

Almiranta Aragoniæ, in censum 80.m.duc.

Almiranta Valenciæ in censum 10.m.duc.

Adelantados.

Adelantado Caragoçæ 12.m.duc.

Adelantado Galiciæ 8.m.duc.

Adelantado Cananæ 10.m.duc.

Adelantado Castiliæ 12 m.duc.

Priores Sancti Iohannis.

Prior S. Iohannis Regnorum Castiliæ & Leonis Censu 100.m.duc.

Prior S. Iohannis Catalauniæ 14.m. ducat.

Prior S. Iohannis Valenciæ 7.m.duc.

Prior S. Iohannis Aragoniæ in reditus annuos habet 6.m. duc.

Princeps de Ascoli caput de los Leyuas, domum habet in ciuitate S. Dominici, statum in Prouincia de la Rioja, & in Ducatu Regni Neapolitani, census 50.m. duc.

Magistri.

Magister S. Iacobi, qui ipsemet Rex est, annuè habet 200. m.duc.

Magister Calatrauæ habet 100.m.duc.
Magister Alcantaræ 100.m.duc.
Hos tres Magistratus sua Regia Maiestas sibi vendicat.

Archiepiscopi.

Toletanus 200.m.duc.
Seuiliæ 100.m.duc.
S.Iacobi 60.m.duc.
Granatensis 50.m.duc.
Saragocæ 50.m.duc.
Valenciæ 60.m.duc.annuos.
Tarragonæ 20.m.duc.
Burgensis 40.m.duc.

Episcopi.

De Leon 16.m.duc.
De Vbredo 12.m.duc.

Episcopi suffraganei sub Archiepiscopatu Toletano.

De Ciguença 40.m.duc.
De Cuenca 36.m.duc.
De Cordoua 40.m.duc.
De Segouia 20.m.duc.
De Palença 30.m.duc.
De Hozma 20.m.duc.

Episcopi suffraganei Archiepiscopatus S. Iacobi.

Plasenciæ 40.m.duc.annuos.
Salamancæ 20.m.duc.
Coriæ 25.m.duc.
Astergæ 20.m.duc.
Badajazæ 20.m duc.
De Gudaemdrigo 14.m.duc.
Orenses 8.m.duc.

De Iuy 7.m.duc.
De Mondonedo 7.m.duc.
Samoræ 16.m.duc.
De Lugo 6.m.duc.

Episcopi suffraganei Archiepiscopatus Caragoceni.

Pampelonæ 16.m.duc.
Calahorræ 16.m.duc.
Huescæ 12.m.duc.
Balbastri 8.m.duc.
Tarraçonæ 16.m.duc.

Episcopi suffraganei Archiepiscopatus Seuiliæ.

De Cadis 14.m.duc.
De Iaen 30.m.duc.
Auilæ 20.m.duc.

Episcopi suffraganei Archiepiscopatus Valenciæ.

Cartagenæ 12.m.duc.
Origuelæ 8.m.duc.
Secorbe 8.m.duc.
De Albarazen 8.m.duc.
Malloriæ

Episcopi suffraganei Archiepiscopatus Granatensis.

Malagæ 30.m.duc.
Almeriæ 13.m.duc.
De Guadiæ 12.m.duc.

Episcopi suffraganei Archiepiscopatus Tarragonensis.

Gironæ 10.m.duc.annuos.
Leridæ 10.m.duc.annuos.
De Vrgel 8.m.duc.annuos.

Eluæ

Eluæ 7.m.duc.annuos.
De Vrque 6 m.duc.annuos.
Barcelonensis 8.m.duc.annuos.
De Cerduna 4.m.duc.annuos.
Tortosanus 12.m.duc.annuos.

Quod si Indiarum quoque regna animo obire placeat, nationes, populosq; potentes, duplo maiorem numerum, quam sit eorum qui in varias sectas sparsi sunt, cōficiemus. Tot Prætorum, Gubernatorum, Nauarchorum nomina recēsenda forent, vt tædium & inuidiam facturū me putē.

Sed nunc Boream reuisamus, atq; illam viris, armisque, & quod caput est, eruditâ generositate nobilem Poloniā ingrediamur; In qua primum animo pio, fortique, & rebus gestis exercito, Rex Sigismundus, & patriæ virtutis æmulator Vladislaus filius occurrunt. Cæteraq; proles regia.

Sequuntur Principes & Domini Aulæ S^mi Archiducis Alberti.

Dux de Granges (von der Schewren) obijt constantissimus in fide Catholica an Domini 1618. die 20 Februarij.
Dux de Arischot Comes de Arēberg, Eques velleris aurei.
Dux de Chimay Comes de Beaumont (von Schönberg) Dominus de Auennes & Comes de Zonegsen.
Eques de Arenbergk.
Dux de Croy Marchio de Haure, Comes de Fontinoy velleris au. eques.
Baro de Fine tranges frater ducis de Croy.
Princeps de Legne, velleris aurei eques Gubernator & Capitaneus Artesiæ Comitatus.
Marchio de Roboys filius istius.
Comes de Egmont, velleris aurei eques, gubernator & Capitaneus generalis Comitatus Namurci.
Princeps de Baure filius illius.
Fridericus Comes de Berge Comes de Boermer, Eques velle-

velleris aurei, Gubernator & Capitaneus generalis Geldriæ Ducatus & Comitatus Zutphaniensis.

Comes Henricus de Bergen Dominus de Steuensvvert frater illius.

Comes de Berlaymont & de l'Alaing Eques velleris aurei Gubernator & Capitaneus generalis Ducatus Luxenburgensis & Comitatus de Chiny.

Comes dè Champlite Eques velleris aurei Vice capitaneus generalis Burgundiæ & Charlois.

Marchio de Veranbon Eques Vel. Aur.

Baro de Balancon frater illius.

Marchio de Marney Comes de Pontevaule Eques &c.

Comes de Solre, Eques Au. velleris.

Comes de Hochstraten.

Comes de Bossuit.

Comes de Bucoy Eques vel. au. Lieutenente locum tenens & Capitaneus generalis & magnus Baillij Hannouiæ & Comes de Hautequersque.

Princeps de Barbançon.

Comes de Reux.

Comes de Meghen.

Marchio de Renty.

Marchio de Tresegmes.

Comes de Vertain.

Comes de Henin Dux de Borneuille.

Comes de Beaurieu.

Comes de Fresin.

Comes Sanctæ Aldegondæ Gubernator & Capitaneus Ducatus Limburgensis, de Faulquemont, Dalhem & Rodeleducq.

Comes de Norelles.

Comes de Vbalfuze.

Comes de Middelburgh.

Comes de Henghien.
Comes de Falays.
Comes de Croix.
Comes de Esterres.
Comes de Willerual.
Comes de Bailleul.
Comes de Bassigny Baro de Boertel.
Baro de Grimbergh.
Dominus de Bredam.
Dominus de Marlec penes quem summa rei quæstoriæ.
Dominus de Coppigny & hic quæstor.
Marcio Spinola Capitaneus & Præfectus gubernator generalis Belgij nomine Regis Catholici & Archiducis.
Comes de Ancuer dicti Marchionis Aulæ Præfectus & Archiduci à poculis.
Marchio de Wedere Præfectus generalis equitum.
Comes de Furstenberg.
Marchio de Malaspina, Ordinarius in Aula Serenissimi Archiducis.

Cum viro nobili, doctoq; è Polonia oriundo Abrahami Schulteti Catalogum ostenderem, hunc in modum ille mihi rescripsit: Verba enim eius ponere consultum duxi.

Ex omnibus istis familijs, quas pro se Hæresiarcha citat, nonnulli degenerarunt, Principaliora tamen capita eorundem stemmatum Rom. Cath. ab antiquo illatæ fidei tempore incorrupta permanserunt, & hucusque constanter perseuerant: Nam de familia Lesniouiorum de Lesno, & eorum stemmate, quam pro se citat, etiam hac tempestate tot existunt feruentes Rom. Catholici; quot nec iste qui citat, nec qui ab illo citatur capillos in capitibus suis numerare valent.

Comites vero ab Ostrorog (excepto citato) omnes Rom.

Rom. Catholicę Religionis non solum assertores, verum-etiam acerrimi propugnatores fide, sapientia & potentia insignes existunt. Quorum caput, & princeps Palatinus Posnaniensis recenti iudicio in publica disputatione Lublini nouum Euangelium, & illius sectatores grauissimo iudicio condemnauit.

De Fierleorum tam numerosa prosapia, si duo solummodo funesta noui Euangelij caligine offusi, ad publici muneris officium in Religione aut Repub. erumpere nequeunt cum summo dolore suorum; non idcirco de vniuersa familia, de qua tot Principes viri Palatini & Episcopi, tot cæteri potentes Senatores, omni tempore in Rom. Cath. fide floruerunt, & nunc florent, quot annalibus recensentur, & quibus nunc Illustrissimus & Reuerendissimus Episcopus Plocensis, paulò ante Vicecancellarius Regni, noui Euangelij assertores, & doctrina & potentia ita coercet, vt in tota Diœcesi sua eis, non modo noui Euangelij Scholas, sed ne os quidem aperire liceat.

Nicolaus autem Fierlei Senator Regni dignissimus, publice in prædicta Lublinensi disputatione, seductores noui Euangelij autoritate, & prudentia sua compressit.

Cæteri quos refert Hęresiarcha sui Euangelij erroríb. irretitos, tales sunt, vt in tam numerosis Prosapiarum suarũ familijs, & ordinibus, quæ Rom. Cath. Religioné semper sunt professæ, & iam profitentur, ne cernuntur quidé.

Quod vero vnum & alterum Principum & Comitum Hęresiarcha pro se adduxit; facile ea ipsa inopia conuincitur, quod satis exiguam copiam ex innumero fere Principum, Ducum, & Comitum numero recensere potuit.

Nos a. pro adductis possumus Rom. Cath. Religionis tot oculis illius turmatim obijcere, quot ille tetris Euangelij sui tenebris nunquam vidit, aut videre poterit.

In primis autem sese offert Minor Polonia, in qua Mar-

chionum de Miroro, Gonzagaru[illegible] domus vniuersa Rom. Cath. fidem ab antiquo tuetur & defendit.

Arauiæ Liptouiæque Comitum Komorouiorum familia tota.

Comitum à Teczyn peruetusta prosapia tota quanta.

Comitum de Wisnicza Lubomirsciorũ Gens vniuersa.

Ipse Palatinus & Castellanus Cracouiensis Principes viri potentia & authoritate, cum omnibus Senatoribus Rom. Cath. Religionem profitentur & tuentur.

In Maiori vero Polonia Comes de Zgorka Generalis Maioris Poloniæ.

Comes de Zgorka Stanislaus Carncouius, cum omnibus familiæ suæ ordinibus eandem Religionẽ profitetur.

Palatinus Posnaniensis Comes ab Ostrorog.

Comites à Tarnow. Senatorũ quoq; omnes quotquot in eo Ducatu reperiuntur, omnes Rom. Cath. Religionis sese Assertores & propugnatores feruentissimos quotidiano experimento profitentur.

Ex Ducatu Masouiæ nõ expedit quempiam Principũ, Senatorum aut Nobilium recensere, cum omnes & singuli adeo ab antiquo complexam Romanam Ecclesiam fouent ac defendunt, vt noui Euangelij seductoribus, non modo verbis influere callidis, sed ne iter quidem illuc facere tutum experimur.

Ex Magno Ducatu Lithuaniæ non negamus duos Radziuilos, sæpius calcaria nouo Euangelio admouisse, sed multò potentiores eiusdem prosapiæ Duces, ijsdẽ admotis calcaribus scimus ita propulisse & cõcitasse illud ipsum nouum Euangelium cum Assertoribus suis ad ipsos vsque inferos abligando.

Ex eodem Ducatu, vt iam libenter admota calcaria remouerent, si possent, ne toties inquietudine, & noui Euãgelij admotis calcaribus protruderentur & conculcarentur. Nã Radziuilius Dux, Palatinus Wilnensis. Dux Radziui-

ziuilius Palatinus Procẽſis. Dux Radziuilius Adalbertus in Otyka & Nieſwies. Dux Nicolaus Radziuilius non ſolum Rom. Cath. Religionis ab antiquo fuerunt, verum etiam auguſta templa permulta, & magnifice dotata exſtruxerunt, Collegiũ quoque Societatis Ieſu dignum ſuo nomine & Religione erexerunt.

In eodem Ducatu, Duces omnes de Iagellonia Regia familia.

Duces omnes à Magnorum Ducum Lithuaniæ ſtirpe originem trahentes noui Euangelij caliginem hucuſque etiam aſpicere dedignantur.

Comes Chotkievviez, Dux Generalis copiarum, eiuſdem Magni Ducatus, tantopere nouum dogma peſtilentis Euangelij, quanto Patriæ hoſtem cum ampliſſimæ familiæ ſuæ potentia, & toto Senatorum ordine, quorũ nemo in eo Ducatu nouo Euangelicus reperitur, perſequitur.

Ex Ducatu Wotyniæ & Ruſſiæ Dux de Oſtrog Ianuſſius, Dominus Cracouienſis.

Dux de Oſtrog Ianuſſius eiuſdem nominis Palatinus Wolyniæ.

Dux de Oſtrog Alexander Palatinus Braczlauiæ.

Dux Georgius Zaslauiæ.

Duces Sanguski omnes.

Duces Czartoniski in Czartori omnes.

Duces de Wisnowice omnes.

Dux Conſtantinus in Iaroslavv.

Dux Ianuſſius in Iaroslavv.

Duces Koretcij omnes, de Korec.

Duces Koſzerſcij omnes.

Et reliquæ Ducum familiæ, trahentes originem à Magnis Ducibus Lithuaniæ, Ruſſiæ, Maſouiæ, Nalatiæ, Wolodimiriæ, quorum numerum recenſere, eſſet innumera

folia otiose replere Rom. Cath. fidem profitentur, & noui Euangelij inuectoribus, non minus quam Turcarum, Tartarorũq; perfidis excursionibus sese reipsa opponũt, vna cum Regia Maiestate, & vniuersis senatorum dignitatumq; ordinibus, pietate, studio, armis, & si quando expedit vita ipsa Romanã Religionẽ roborando & propugnando.

Neque nobilissimis Hungariæ, Bohemiæque regnis desunt, quibus vetus Catholica religio, pietasq; cordi sit qui magna constantia eam defenderunt: ostendunt hoc ipsa comitia, & pro principibus suis impensus labor, sumptusq;, & inter clades seruata fides.

5. Hic igitur cum sit status religionum, si defensores attendas, non facile alia aliam vi & armis opprimere poterit, quod si Catholicos in parte premant arma & bella, non tamen victores diuturna frui pace valebunt, cum inter se acerbe diffideant, nec desint, quibus victoriæ societas futura sit grauis.

CAPVT IV.

Quis sit status Religionum Europæarum si doctrinam & doctores spectes.

1 DOCTORES, & antistites discrepantium secta rum, quorum præcipuè nomina in catalogo nundinarum vernarum anni 1618. inueni, & scripta comparaui, (quanquam aliquorum haberi non potuerunt, vel quod nondum prodissent, vel quod eorum typographos puderet) illi ferè nominantur.

Argentoratenses Academici
Andreas Finnolot
Anonomus vnbekandt gegen Christian Gottliebs
Argentoratenses Prædicantes
Anonomus de Iubilæo

Andreas

Andreas Cramerus
Abraham Schultetus
Adrianus Smoutius
Arminiani & Gomorriani in Hollandia
Balthasar Meisnern
Caſpar Holſtenius
Caſpar Meliſſander
Caſpar Finckius
Chriſtophorus Schleupnern
Chriſtophorus Zieglern
Conrad Diethrich
Chriſtophorus Adolphi
Chriſtophorus Walpurger
Danici Prædicantes
Daniel Angelocrator
Dauid Gareus
Ehrhardus Lautterbach
Ægidius Strauch
Fridericus Helbachius
Friederich Franck
Fridericus Balduinus
Georgius Engelman
Georgius Zeæman
Gaudentius de Iubilantibus
Guilielmus Barret Anglus
Heidelbergenſes Academici
Hartmannus Braun
Henricus Altingus
Henricus Eckardus
Henricus Hopffner
Henricus Hirtzwigius
Iacobus Martini
Iohannes Giſenius

Iohan-

Iohannes Simonius
Iohannes Grocius
Iohannes Tarnouius
Iohannes Affelmannus
Iohannes Staden
Iohannes Schröder
Iohannes Heinrich Hiemern
Iohannes Schneider
Iohannes Pandocheus
Iohannes Salmuth
Iohannes Ioachim Beutherus
Iohannes Michael Beutherus
Iohannes Leibius
Iohannes Georgius Siegwart
Iohannes Roffensis contra
Robert. Bellarminum
Iohannes Schreiter Annæberg.
Iohannes Scharpius
Maximilianus Rittern
Martinus Rober
Matthias Hoe von Hoheneck
Matthias Haffenreffern
Melchior Schærerus
Michael Mulingus
Mercatus Popisticus autoris
M. M. D.
Nicolaus Hartkopfius.
Nicolaus Martini
Nicolaus Pomeranus
Nicolaus Hunnius
Nicolaus Greuinchouius
Paulus Laurentij
Polycarpus Leyser

Predig

14 Predig diuersorum vom Jubelfäst.
Rosthockienses Academici
Robertus Sarisburiensis
Sibrandus Lubberti.
Sigismundus Fuenius
Simon Gediccus
Scholastici Neuhusianij
Tubingenses Academici
Thomas Vueinrichius
Thomæ Tuki Angli index fidei & religionis
Vincentz Schmucken
Wilhelmus Alardus
Wittebergenses Professores & Doctores
Wirtenburgenses Prædicantes
Wolffgangus Frantzius Et
Alij quos fama obscura recondit.

Catholici huius temporis doctores nominare multitudo vetat; ipsæ Academiæ, & collegia tum Canonicorum, tum Religiosorum multas paginas implerent.

2. Ad doctrinam quod attinet, ea omnibus Catholicis vna est, quæ Concilio Tridentino, & alijs in Synodis explicata est, ab hac vbi recesseris, ingentem turbam omnium sectarum cõspicies, quarum vnaquæq; certissimam veritatem, exploratissimam sanctitatem sibi vendicat, audacissimè alios condemnat. Quia igitur postera ætas mirabitur de varietate, absurditate, blasphemijs hæreseon, breuiter de illorũ auctoribus, sententijsq; dicendum est. *Errantiũ nunquam est vna via*

Catalogum variarum hæreseon olim S. Augustin. Philastrius, & ante hos Epiphanius contexuerunt, nostro autem tempore, Lindanus, Prateolus, Sanderus, & compẽdio noster in tabula Chronographica Iacobus Gaulterus qui nouas veteribus composuit.

3. Primus nouitatem orsus est, & ambitioni, ac libi-

Hæresiarchæ aliam causam habent, aliam prætendunt.

dini libertatem quæsiuit Martinus Lutherus, cui occasionem indulgentiarum proclamatio, causam verò interna mala, quæ res quietas semper mouerunt, auaritia, illiciti amores, inquieti ingenij superbia dedit. Sed cum non haberet omnia constituta, & non modo vera falsis, sed & falsa repugnent, non potuit opus illud vnquam apte contexere, & concinnare, quin alia atq; alia destrueret, vt si quis magnum ædificium sine hypodigmate fabricetur, necesse habet multa diruere, quia manus consilio velociores fuerunt. Hinc inter ipsa initia non modo conciones, & scripta, sed mensarum etiam hilaritudines, & Eutrapeliæ, de quibus integros libros Lutherani scripserũt, nouarum hæreseon fœcundæ fuerunt. Et sanè vt ipse Lutherus, & Matthias Hoe conc. 3. Iubil. fatetur, triginta fanaticos Sp. ipse expertus est, quemadmodum ingens illa

Hæreses multa mutare cogũtur.

Varietatũ fœcunda hæresis.

sub ilicibus sus
Triginta captum fœtus enixa iacebat.

Fatetur hoc vel ingenuè, vel necessitate veri adactus Ioannes Gisenius Giessenus professor, thesi. 7. *Quamuis vero in primis scriptis, quædam, quæ pontificijs manifeste fauent propugnauit, in sequentib. tamen ea abiecit & improbauit. Successiuè enim, assidua Oratione, Meditatione & Tẽtatione in veritatem est introductus, & impietates pontificias agnoscere, & solidè refutare didicit. Exponit id ipse in præfat. To. 1. Ien. Lat. Ante omnia, inquiens, oro pium Lectorem, & oro propter ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, vt ista legat cum iudicio, imo cum multa miseratione: Et sciat, me fuisse aliquando Monachum, & Papistam insanißimum cum istam causam aggressus sum.* Et paulo post: *Ita inuenies in istis meis scriptis priorib. quam multa, & magna humilimè concesserim Papæ, quæ posterioribus, & istis temporibus pro summa blasphemia, & abominatione habeo, & execror. Dabis ergo hunc errorem, pie Lector, vel (vt ipsi calumniantur) antilogiam tempori, &c.*

Lutherus rerum suarum ignarus.

Cum

Cum igitur inter initia non Dei Spiritu, non gratia cœlesti loqueretur, sibi contradixit. Nam si Deus verbum posuisset in ore eius, nihil abominandum, nihil cõtra manifestam veritatem tam certò affirmasset: Errant quidem sancti, & docti interdum, sed eum, qui totam Ecclesiam, atq; antiquitatem damnaret, nouum se Eliam profiteretur, in cunctis errasse, omnia permutasse non oportebat. *Lutherani nominis multæ sectæ fuerũt.*

4. Porrò qui fidem à Luthero prædicatam immutarunt, alij à Luthero penitus defecerunt, eumq; condemnarũt, alij sub famoso, & apud Germanos gratioso nomine sectiunculas fecerunt.

Infestissimus illi fuit eius promotor Andreas à Bodenstein Carolstadius, qui emptus est, vt clientem oppugnaret, quemadmodum historiam narrãt multi iubilantes, in primis concione 3. Matthias Hoe pag. 116. Huic Sacramẽtariam, & Anabaptisticam hæresim tribuunt Lutherani, vt Erasmus Alberus *l. de maledicta Carolstadianorum doctrina*, & Melanchthon in comm. ad coloss. *ait eum Pædobaptismum negasse.* Alij Zvvinglio Anabaptismum acceptum referunt, quod is libro de baptismo scribat: *Vtilius esse pueris baptismum non conferri:* quin & Balthasar Pacimontanus quem plerique parentem Anabaptistarum esse affirmant, scripto Zvvinglij Pædobaptismum improbantis se tuebatur. Sed de auctore mali nõ est magnopere laborandũ, malo auertẽdo rationes quærẽdæ sunt. Thomas Muntzerus, & Nicolaus Storckius illa in tragędia primas tenuêre. *Carolstadius Luthero oppositus.* *Zvvinglio Balthasar pacimontanus.* *Thomas Mũtzerus Nicolaus Storck.*

Primus igitur Lutherismi ramus, sed ab arbore reuulsus est Anabaptismus, in plurimas ille sectas diuisus est Filiũ Dei negant ex virgine carnẽ sumpsisse, promiscuos cõcubitus probãt, imperãt, magistratũ non agnoscũt, externis laruis opinionẽ innocentiæ quærunt, somnijs indulgent, magiæ studẽt, interimi putãt eos posse, qui sectã eorũ non sequũtur, multa cũ cęteris cõia, multa peculiaria habent. Eorum dux fuit Christophorus Schaplerus qui rusticos *Anabaptistas.* *Christophorus Scaplerus.*

Campan. in bella concitauit. Huic affinis Campanus etiam hoc addidit, vt personarum in Trinitate distinctionem negaret. Ad hos pertinere arbitror, Scripturanos, Paulinos, Batẽburgicos, Pastoricidas, Sanguinarios, Ægidianos, Dæmoniacos, Sabbatarios, communia habentes, etiam vxores. Condormientes, Eiulantes, quorum sunt tot sectæ, quot capita. *Oecolampadius.* Alia parte obstetricante Carolstadio, pariente Zuinglio, adiutante Oecolampadio natus est Sacramentarijsmus, quem Zuinglianismum, & Caluinismũ nuncupare solent Lutherani, quẽ præcipue detestantur.

Zvvinglius Berengarij errores imitatus est, sed plures addit, cum Carolstadius, & Oecolampadius adiuuerunt. Peccatũ Originale, & gratiæ necessitatem cum Pelagianis reiecit. At Nestorianismum illi Lutherani omnes obijciunt. *Errores Caluiniani.* Zvvinglium secutus est Caluinus, additis multis erroribus, vt fidem non esse vnam, non esse sine incredulitate, implicitam nullam esse, scripturam incertam esse, intellectu facilem, fidem non posse amitti, Deum ad mala & peccata prædestinasse, in diuina essentia esse realẽ distinctionem, Trinitatem non esse adorandam, Christum secundum humanam naturam fuisse ignorantem, officiũ mediatoris refugisse, desperasse, pœnas damnati hominis sustinuisse, nihil sibi meruisse, gloriam piorum ante diem extremum non dari, Ecclesiam posse deficere. Quidam Lutherani trecentos & plures errores Caluinianorum enarrant: Fasciculus Ekkardi, & Cramerus. alij.

4. Hæresis sacramentaria in multas est diuisa sectas, *Buccrani, Melanchthonici.* vt monuit Lutherus: Hinc .n. orti Buccrani & Melanchthonici in perpetuis conciliationib. versati, quamuis peculiares errores defenderint. Martyr quoq; singularem sententiam docuit. Castellio religionem quam quisq; vel- *Castellio.* let, permittebat, Canticum canticorum è canone tollebat, quod impudicam cantionem esse diceret.

Lasco

Lasco baptismum penitus reiecit. Valentinus gentilis Alcoranum cum nouo testamento miscuit. Ludouicus Alemannus negauit corpus Christi etiam fide percipi. Petrus Richerius negauit Christum in humanâ carne adorandum, tandem censuit solum patrem adorandum esse. Sunt & alij quos vocant, Significatiuos, Tropistas, Energicos, Arrhabonarios, Adessenarios, Metamorphistas, Iscariotitas, Metaphoristas, Antipuritanos, Pseudoirenicos, Arminianos, Sibrãdianos, Vorstianos, Venatorianos, horum errores maximè posteriorum varios, perniciosos eristica scripta Belgarum ostendunt. *Lasco.* *Variæ hæreses.*

5. Atq; hi sunt, qui omnino se Luthero opposuêre, nec tamẽ pauciores sub eius nomine inter se acria bella gerũt, contra se mutuo fulminant; partes fuêre, Rigidi & Molles; horum caput Melanchthon Wittebergenses & fere Academici. Illorum Illyricus Flaccus, horũ errores ẽt ad exilia, & proscriptiones incruduêre. Deinde inualuêre Brentiani seu crassiores Vbiquitarij. Eodem tempore maxime in Borussiâ Osiãdrini, qui essentiali Dei iustitiâ nos iustificari docuerũt. Huic se ita opposuit Stancarus, vt humanitati soli vim iustificandi tribueret, diuinitatem negaret, hac in parte Arianus. Vtrunq; Andreas Musculus Vbiquista insignis oppugnauit, vtriq; n. naturæ, diuinæ & humanæ iustificationem tribuit, & vt vehementius faceret, diuinã naturã in cruce mortuã dixit. Tubingenses in parte adhęserunt Osiandro, vt dicerent, Iustitiã Dei essentialẽ imputari nobis. Magnâ lite deinde Saxoniam distraxerunt Nicolaus Ambsdorffius, & Mãsfeldicĩ, dũ operib. bonis Maioristis, Antinomis, liberi arbitrij defensorib. Adiaphoristis, Stancarianis sese obiecerunt, eosq; habitâ Synodo damnarũt: Errores in varijs partibus, Chytręus Fũctius, Pastillarij, Interimistæ, Antidiaphoristæ, Lutheropapistæ, Lutherozwingliani, Heshusiani, Hutitæ, varijs opinionibus instaurarunt, & ita multiplicarunt, vt vix in vllis sit consensus. *Vide Synodũ Mansfeldicam.* *Lutherani Rigidi & Molles.* *Brẽtiani.* *Osiandrini.* *Stancariani.* *And. Musculus.* *Mansfeldici.*

 Iacta-

Concordiæ liber interitus est Lutherismi.

Iactata est circa annum Domini 1580. concordia Bergensis,& annis sequentibus in eam coniuratum est à plerisque,sed eo fine,vt mox Lutherani pleriq; ab ea deficerent,& à Lutheranis pleræq; prouinciæ.

Ostorodiani.

6. Qui vero contra Lutheranos,Caluinianos,Anabaptistas manifestè pugnant, sunt Ostorodiani, siue mauis Sociniani,Christi meriti,redemptionis, & diuinę iustitiæ negatores,Ariani per Poloniam,Hungariam,Transsyluaniā.Seruetiani,qui Sabellianismū, Eutychianismū, Anabaptismū miscent. Effrontes qui frontē donec sanguinem elicerent,radebant,deinde oleo eam perungētes se Christianos sine baptismo esse iactabāt, Spiritū sanctū motum quendā esse dicebant,ideoq; sine idololatriæ crimine nō posse adorari. Ochinistę qui polygamiam admittunt. Noui Sabelliani,Bacularij,& quorum maxima turba est, Epicuræi,Athei,Libertini. Hic status est pugnātissimarum in Europâ religionum, populus magnā partē controuersiarū vel non curat,vel sane ignorat. Doctiores in partibus sunt partim alienis,partim suis,fere n. altercandi vehemētiâ veritatem amittunt,& in hæresin aliquam impingunt. Multi igitur sunt,& varij commatis Lutherani,multi Caluiniani,& forte non pauciores Anabaptistæ,Sociniani;sed plurimi qui religiones in vnā omnes cōflare constituerūt.

Europæ hæreses ad Atheismum inclinant.

Hæresis summa est omnium hæreseon chaos.

7. Fecerunt hoc olim Nouatiani, vt auctor est Aug. hæres.38. & Epiphanius hær.59. qui eadem se & Catholicos fide imbutos ferebant,sed in doctrina tamē discrepare,culpabant & Catholicos Ariani tempore Valentis;*vos contenditis propter exiguam dogmatum subtilitatem*. Fuère & Rhetoriani qui docebant omnes hæreses recta via incedere, & docere veritatem, ita refert Philastrius in Catalog. & Augustinus hæres.72.miraturq; *posse cuiquam in mētem venire,vt ita iudicet.* Inualescit semper ea opinio cum in multiplices labyrinthos errorum incidunt prouinciæ:

Eò

Eò enim homines profani inducuntur, vt modo pacē Reipublicę teneant, nō vereantur in vnum errorē conspirare. Docuit illam pacem Zenonis ἑνωτικὸν πρόσταγμα, *pacificatorium*, seu *vnitiuum edictum*, quo voluit Eutychianos, Dioscorianos, & Catholicos de sua sentētia aliquid remittere, vt in vnam conspirarent religionem, quæ res tñ maiores dissensiones peperit, quemadmodū nulla re magis se Lutherani infirmarunt, quam cum in vnum Concordię librū insanabiles alioqui errores cōpegerunt. Non dissimili ratione Ioannes Sturmius an. 1578. mediam viam instituit, nouam n. religionem ex protestantium & Catholicorum sententijs, iudicio virorum septuaginta conflari volebat: qui omnium Theologorum in se iras concitauit. Refert doctissimus noster Gaulterius tab. Chron. pag. 380. col. 2. Ioannem Serranum ministrum Arausicanum potenti cuidam Catholico Domino dixisse: ***Suam religionem à Romana non nisi cærimoniis discrepare, suamq; paucas nimis cærimonias habere; Romanam nimis multas: neq; difficile esse vnam alteri conciliare: nempe illarum numero adaucto, harum imminuto***, qua de re inchoatum librum morte præuentus, non absoluit. Idem tentauit quidam *Christianus Constans* ficti nominis conciliator, qui Romanam, & Caluinianam religionem, non duas esse religiones, sed vnam asserit, si verè & Germane iudicandum sit, vt in an. 1600. p. 824. col. 1. multis exponit idem Gaulterius, qui si Parei Irenicon, & Lutheranorum Polemica vidisset, quę omnia post eius tabulas Chronographicas edita sunt, multo magis quam Augustinus de Rhetorianis admiraretur.

ἑνωτικὸν Zenonis diuisit Ecclesias.

Concordiæ liber omnium errorū tartarus.

Hodie quoque multi sunt Rhetoriani.

8. Cū igitur tot sint hæreses, eæq; indies augeātur, augmento suo Respúblicas in partes trahant, membra Europæ diuellant, alia alijs, vniuersa Turcis obijciant: Agnoscite ô reges & principes statum religionis vestræ, animabus vestris, subditorūq; saluti Reipublicæ & Politiæ prospi-

Consulite acta Belgarum.


prospicite, ad vnam religionem redeundum est, vel enim suas quisq; opiniones obfirmate propugnabitis, atque ita tot erunt dissidia, quot homines; vel cuiq; opinandi & docendi potestatem facietis, & sic vno verbo Rempublicam euertetis, venient enim qui negabunt Magistratui quicquam esse iuris, qui omnia communia dicent, & efficaciam errorum lenocinante voluptate in mores inducent.

Nulla spes pacis nisi in vna religione.

CAPVT V.

Quid causa sit cur Lutherani & Caluiniani iubilent?

Insusitata hostium, suspecta.



QVi de militaribus stratagematis pręcepta ducibus scribunt, tum maxime formidandū esse hostem, maximeq; cauendum censent, cū inusitatum aliquid, & in speciem absurdum molitur; rationem n. occultam esse oportet, cū nulla propalam apparet. Ego considerato iubilātium omnium statu cum afflictissimos animaduertā Lutheranos ministros, vt qui videntes, scientes, perire etiam nomen Lutheranū experiuntur, & palpant, initium iubili fecisse, signumque sustulisse, de causâ serio cogitare cœpi. Iubilandi, triumphandi, ludendi causa lętitia esse non pōt, cū in dolore, & squalore versentur; quemadmodum igitur, si naues post naufragium coronatas in portum inuehi, fasces laureatos cæso exercitu referri videamus; non lætitiæ, sed occultiori prudentiæ illa gaudiorum imitamenta adscribimus; ita quoque de Lutheranorum ouatione, tripudioque iudicādum est. Explicuit mihi rationem fucatæ iubilationis negociator Belga, cum enim quidam ex eius collegio decoctores συναχθειαν fecissent, grauiq; damno cæteros afflixissent, monui, tanquam veterem amicum, vt in posterum cautius pecunias concrederet, bonum nomen quæreret, & quia bona nomina crebro mala fiunt, bono nomine meliorem hypothecam opponi curaret suis talentis.

Intima iubilorum causa detegitur.

2. Tum

2. Tum ille, *fide*, inquit, *constat negociatio, credendum est multis, si tibi vis credi ab aliquo, emolumenta lucrorum, & pericula damnorum insolubili nexu deuincta sunt. Sed nulli artificiosius fidem sibi præstruunt, quā illi qui χρεοκοπίαν meditantur & rationes, conturbare, argentum auferre statutum habent. Vt rem eorum fractā nemo suspicetur, diuitias iactant, vestem sericam, torques, annulos, supellectilem magnificam signa exuberantis opulentiæ spectanda exhibent, domos etiam nouas & regias moliuntur, prædia emunt, & latifundia, omnia dant spectaculo, nihil sinceritati, plurima & latissimè possident, sed omnia aliena sunt; cum ad extrema peruenisse arbitrantur, tum maximè artem intendunt, omnia læta, omnia lauta simulant, tabernas implent, merces segestribus inclusas simulant, titulos preciosarum rerum loculamentis inscribunt, cum tamen fœnum, aut carbones asseruent. Ante fugam, & cessionem conturbatores omnes triumphant. Hannibal cùm Romanos fugeret, eadem die in oculis, & luce ciuium versatus est, vt omnem suspicionem fugæ auerteret, contra omnium tamen opinionem noctu profugit. Hac ratione quamdiu possunt, creditores lactant, & famam diuitis tuentur. Vidi qui emptum cum palatio latifundium cum tubis & tympanis adiret, altera die fraudatis creditoribus nusquam comparuit. Illa iam consuetudo sic inualuit, vt minus fallat, cum primum etiam in aliquo gestiens lætitia notatur, cū extraordinaria nobilitatis, opumue ostentatio, continuo clamant, velamenta esse domesticæ paupertatis, criteria fugæ, nouarum tabularum exasciationes. Nonne vides simile aliquid Theologos conari, cum deseri se & conuinci vndiq. animaduertunt, nouo aliquo stratagemate calamitatem obruunt, aut alio spectantium oculos diuertunt, & miseri tamen populi illis animas credunt, quid tu miraris si nos impostoris iactantia decepit? Vt me vera dicere videas: lege præfationem Dauidis Rungij Lutherani strenam* pro Reformatoribus Marchionatus pag. 2. *Iesum*, ait, *post deiectū papatum, etiā infelicis Caluinismi abominatio-*

Artes conturbatorū

Sectarij τὰς χρεωκόπας imitātur.

Mire clarum ψεῦδος.

nem in oculis Ecclesiæ suæ ita detexisse, vt omnes Deum diligentes animæ eam cohorrescant, (darfür erschaudern) vt etiam aduersarij ad eristica scripta, & rationes obmutescant, calamum contineant, nec ad obiectas approbatasque tartareas abominationes pro causa respondere audeant, sed Lutheranos sinant, de Caluinianorum spiritus deiectione fidenter iubilare, & lætari: ecce profitentur se iubilare, & lætari, cum tamen Marchionatus ille, cum Lutheranis superintendentibus currat ad Caluinismum, sed arte tenendum est vulgus, quod veritate pauca, opinione pleraque iudicat. Nisi nouum, inusitatum, & efficax aliquid inueniant, cedendum est tempori, itaque solatium præsentium malorum, ne ad eos pertinere putent simplices, iubilatum promulgarunt, & mente tristi iocos fingunt.

Causa iubili vt velent tristitiam.

3. Miratus sane illam sum rationem, & εὐστοχίαν negare non potui, prudens esse hoc, & callidum iudico consilium huius sæculi, vt ebrietate iubilandi attonitos teneant auditores, ne sua damna sentiant, Carthagine de generoso optimatum sanguine Saturno hostiæ immolabantur, in valle gehennon idolum Moloch similis feritas placabat, parentum, & propinquorum sensus tympanis tubisque obtundebant, ne affectuum suorum vltimos ploratus audirent; Vos ô ministri Lutherani quotidie non denos, aut centenos, sed μυριάδας, & integras prouincias de vestris offerri deo Caluinistico videtis, certè intra annos triginta duplo plus perdidistis, quam modo possidere vobis videmini: Videtis, inquam, & tamen iubila festa constituitis, cur nō potius Deum oratis vt post centum annorum millies mutatos errores misereatur vestri? Ne forte negetis damna illa vos sentire, testimonia vestra, & quidem Iubilæi anni in promptu sunt. Ita enim præfatio Dauidis Rungij Epistolâ ad Pelargum apostatam habet pag. 11.

Nulla hæresis diuturna.

Wir klagen / daß die Caluinische Schwermer Christschänder seyn / die vnsern hertzlieben Jesum / vnd sein Wort zu lästern / die Glaubens Articul durch vnd durch plündern / zerwülen / vnd vns einen leichtfertigen / geylen / arglistigen / blutdürstigen Moloch vnd Sündenvogt / den leidigen Teuffel selbst zum Gott mit gewalt auffdringen wollen / vnd in Summa / nach D. Luthers Rede / eingeteuffelte / durchgeteuffelte / vnd vberteuffelte Hertzen haben.

Accusamus Caluinianos fanaticos, esse in Christum contumeliosos, dicimus eos dilectissimum nostrum Iesum, & verbum eius blasphemare, articulos fidei à capite ad calcem diripere, disijcere, eos velle nobis leuem, petulantem, dolosum, sanguinarium Moloch, & peccati auctorem, abominabilem cacodæmonem ipsum pro Deo violenter obtrudere, & vt verbo dicamus, eos iuxta Lutheri sententiam ἐνδεδιαβολωμένα, διαδεδιαβολωμένα, ὑπερβεδιαβολωμένα habere corda. Cum verò iam vestro iudicio Regnum Sueciæ, Electoratus Palatinus, Marchionatus Brandiburgicus, Landgrauiatus Hassiæ, cum multis principibus, & gentibus à vestra pietate scilicet desciuerint, & diabolismis illis intoxicati sint, quotidieq; ante vestros oculos in aduersam partem transfugia vsurpetis, quam habetis per Deũ, per vestras vos conscientias rogo causam tam inusitatæ lætitiæ, nisi vt illis qui nesciunt discrimen inter dextram, & sinistram, aliquem fucum possitis facere? Interim ministeriorum vestrorum prouentus in vestra prœmia vertere, & ex alienis ruinis domos vestras exstruere.

Gaudia quadam sunt mæroris, vt lacrymæ gaudij.

4. Neque alia causa est, cur in politioribus ciuitatibus, aut nulla, aut non seria iubila fuerint. Hoc fatetur poëtaster adulatorio versu, quo Caspari Holsteinio Lubecensi ministro placere voluit. Sed quid si totum tibi carmen reddam, vt Balthici maris succinum agnoscas lector. Habe igitur mi lector, & fruere.

Politiores Lutherani minus Iubilarunt.

Lutherani Antistites, Iubileum impedire conati sunt, pudore ineptiarum prædicanticarum.

Quid querar aut dicam? O secli inclementia nostri!
O mores! O præsentis vesania vitæ!
Annon dedecus est nostri *tædere Lutheri?*
Dedecori non sit memoratio tarda Lutheri?
Est: Secura quies fuit: ast neglectio vbiq;
Nostri fermè Martini, quo authore fideli
Occœpit vera instauratio relligionis;
Et monstrata quibus tua Sancta Ecclesia Christe,
Deformata tuo se indignam nomine præbet,
Tam varijs longo polluta erroribus æuo.
Sed quis tardauit Festum hoc age, dic mihi, quæso?
An non hi in templis, quibus est iam summa potestas?
Immo: Sed Deus hæc, Deus ipse hæc puniet ausa.

Tu disce hinc lector Lubecam puduisse Iubilæi, quo annicula fidei imitamenta versuram fecerunt. 2. eos tædere Lutheri, 3. Tardam esse Lutheri cõmemorationem. 4. securam quietem. 5. Vbiq; neglectionem esse Martini. 6. Tardasse festum hoc, quibus est summa in templis potestas, hoc est magistratus, & superattẽdentes. 7. Quosdam tamen esse Lubecæ, in quibus est Religio Lutherana. 8. Inter eos Holsteinium excellere, vt φωσφόρος vel Lucifer inter ignes cœlestes. 9. Reliqui igitur mali, contra quos clamat:

O sæcli inclementia nostri!
O mores, o præsentis vesania vitæ!

His minatur: *Sed deus hæc, deus ipse hæc puniet ausa.*

Itane vero, peccatum est iam non iubilare? non festa celebrare? non iam olim illam ἐθελοθρησκίαν damnastis? Sed hæc mira non sunt, nimia lætitia mentem non habet, felicibus, cum adsunt omnia, deest sapientia. Itaq; & Petrus Lauruthanus, poeta-medicus sic Lutherum alloquitur.

At

At Luthere tibi Christus tua proemia soluet,
Pro tantis MERITIS te iustitiaq; corona
Cinget, cœlesti in regno, æternumq; beabit.

Luthero merita affinguntur à Lutheranis.

Sed nollem in me prouocare genus irritabile vatum, præsertim cum alter medicus sit, & sibi ipse anticyras meracas exhibere queat.

5. Lutheranorum igitur iubilatus est tantum aliqua à tristioribus curis aberratio, breue delinimentũ perpetui doloris, à somno, à vino à cõfabulatione tristes huiuscemodi solatia emendicare solent. Ignoscamus illis igitur & dicere sinamus:

Τί μοι πόνων, τί μοι γόων
ὅταν θέλω μαθῆναι.


Caluiniani iubilant, vt simplices putent se adhuc esse Lutheranos.

De causâ ab quam Caluiniani iubilant, facilius est loqui, est enim apertior. Idq; magis ex eo, quod non omnes Caluiniani, sed pars tantum iubilauit, nec magno admodum zelo. In Palatinatu, Marchionatu, partibus Hassiæ, paucisq; aliis locis iubila instituerunt, ne populus recens à Lutherismo ad Caluinismum tractus, exprobrari sibi tanquam apostatis illam mutationem arbitretur, cum enim Pelargum apostatam nominet Apfelmannus non est dubium, quin de cæteris quoq; nigrum calculum vrnæ sit iniecturus. Iubilum igitur excitatur, vt Lutheranorum gaudia temperent, & sua incrementa demonstrent. Hanc ob causam Belgæ, Galli, Angli, Heluetii, aliæq; nationes, quamuis ad Caluinismum se referant, iubilum intermiserunt.

CAPVT VI.

Cur Caluiniani ambiant Lutheranorum fraternitatem, hi verò illos detestentur?

I. Caluiniani Lutheranos inuitos prẽsant.



EM ita habere manifestum est, à principio, deinde anno 1529. multò magis anno 36. cum precibus & lacrymis, etiam Palinodiæ simulatione

latione amicitiam prensarunt Zwingliani, eos semper Lutherani repudiarunt. Nec hoc modo, sed idem notare licet inter partes Caluinianas: Molles in Belgio nihil aliud hactenus desiderarunt, nisi inter se, & rigidos piã tolerantiam: Rigidi eam pernegarunt, tanta indignatione, vt etiam vita exturbandos iudicarint. Quid igitur est, quod toties repulsi, vexati, cõtempti, easdem fores pulsent? cur obdurare & perdolere non possunt? Natura ita comparatum est, vt cum vtriq; est causa diligendi, mutuus sit amor, cũ vna in parte causa deficit, odio vel irrisu pẽsetur amor: Inter Pyramũ & Thisben mutua erat dilectio: erat enim

Amor non est mutuus nisi cum est vtrinq; amandi causa.

Iuuenum pulcherrimus alter,
Altera quas oriens habuit prælata puellis.

Par igitur vtriq; causa, licet non ex virtute amoris: Mariamnen inter & Herodẽ diuersa ratio: Herodes perdite amabat, Mariamne ferociter oderat, quia nihil in Herodis belluina atque importuna crudelitate erat amabile. Hinc Aristoteles senum querelas cum negant mutuum sibi amorem rependi, putat maxime ridiculos, quando ipsi ea amant in aliis, ob quæ amari non possunt. Necesse est vt Caluiniani in Lutherismo aliquid cernant, quo amor concilietur, & in Rigidis Molles causam habeant, cur fœdera, & amicitiam optent. Lutherani è contrario malum aliquid in Caluinismo Rigido, Caluiniani Rigidi in Mollibus quod fugiant, nam constanter oderunt. Hoc igitur aut verum, aut φαινόμενον bonum, malumque quærendum est.

Lutherani merito Caluinismum oderunt.

2. Lutherani Caluinismum ob hæresis absurditatem, horroremq; oderunt: Omnibus enim libris, cõcionibusq; protestantur, dirissimam esse hæresim, papatu septuplo peiorem, ita Iacobus Andreæ in colloquio Herzbergensi, & Lutherus, teste eodem colloquio.

Hoc

Hoc quidem odiũ inculpabile est, vitiatur tamen, quia non minimam accessionem propter impugnatam à Caluinistis Vbiquitatem accipit; Vires autẽ summas à timore mutuatur, *quem enim metuunt, oderunt.* Metus causa est, quod in omnibus regnis se pressos, & deinde loco motos ministri Lutherani à Caluinistis experti sunt, & iam intra annos triginta multa millia Lutheranorum prædicantiũ fidem suam, aliquot centeni stationem mutarunt, ex quo etiam sequitur primariam odii causam ex damnis rerum oriri, & illis pro honesto velo religionem obtendi. Nunquam igitur inter se illi conuenient, nisi sensim Lutherani ita peruerti se sinant, vt sponte, vel metu inopiæ Caluinismum amplectantur. *Fomes odij maximus, timor.*

3. Sed cur Caluinianorum artibus & familiaritate pereunt Lutherani, nõ è contrario, eadem arte vicissim Caluinistæ pereuntur?

Conantur quidẽ illud Lutherani, sed Caluiniano strategemate vincuntur. Primo reipsa, quia quosdam errores nimium crassos, vt duplicem deitatem, omnipræsentiamq; carnis tuentur, quorũ absurditatem vulgus ipsum agnoscit, licet autem Caluiniani absurdiora quædam doceant, artificiosius tamen, & fucatius tradere didicerunt. Deinde modo ipso, & agendi ratione superant Lutheranos, hi enim in concionibus & scriptis licentiores sunt, multa profanè, multa obscenè, spurcè in symposiacis Lutheri, aliisq; tomis legunt, & imitantur, qua quidem ratione, vt risum mouent leuibus animis, ita apud populum, proceresque contemptum, & nequitiæ suspicionem subeunt. Fere enim fit, vt qui delectationis causa alitur, ita spernatur, vt seriis rebus idoneus esse minimè iudicetur: Caluiniani ficta grauitate, & pietatis affectatione animos incautorum occupant, & contemptum Lutheranorum ministrorum admirabiliter augent. *Cur Lutherani à Caluinistis vincantur.*

Ag

Voluptatũ administri contemni solent. Ad modum agendi pertinet genus pugnæ, quo vtrique vtuntur, Lutherani cæsim, Caluiniani punctim feriunt. Lutherani malleo pertundere, Caluiniani cuneo, (cuius ad miraculum magna vis est) penetrare satagunt. Itaque Lutheranorum sunt iræ in aperto, professa odia, anathemata in promptu; Caluiniani latenter sese insinuare Magnatibus, Fratrum cõpellatione dignari Lutheranos, ferre contumelias, consensum simulare, peierare, donec rem eò promoueant, vt superiores sint. Imo fere hoc agere, vt ante pugnam arma Lutheranis adimant, & Duces. *Artes Caluiniana.* Tutissimum & prudentissimum vincendi genus est exarmare inimicum. Edicto igitur cauent, primo vt Lutherani odiosa Caluinianorum & Zvinglianorum nomina ne vsurpent, eò quod iam publicè notis non oporteat plebis aures obtundere. Hac ratione odium ignotæ sectæ mitigatur, & desinit; hoc vbi successit; variâ fraude, & calumnijs vehementiores, & peritiores ministrorum amouent; Lutherum laudant, & quia ille multa inter se pugnantia scripsit, diligenter ea colligunt, & Lutheri verbis, Caluinismum sine suspicione inducunt; Zvinglij, Caluini, Bezæ nomina tacent. Lutherani interim plenis irarum velis in partem contrariam inuehuntur. Denique Lutheranorum religio vetustioris est nominis, ideoque contemnitur.

Caluiniani suis artibus petuntur. 4. Nec tamen diu tuti esse suis artibus possunt Caluinistæ, etsi enim Lutherani sint impares, ex ipsorum nihilominus corpore subnascuntur Arminiani, alijque, qui eruditione, calliditate, simulatione tantum anteeunt Rigidos; quantum hi Lutheranos. Eoque maxime proficiunt, quod manifestissimas Caluini, & aliorum blasphemias primò fugerunt & nunc anathematizant, nec ita tamen blandi sunt, vt non omnibus, quibus possunt, vrbibus, eos eijciant.

5. Hinc

5. Hinc igitur apparet cur Caluiniani Lutheranorum fraternitatem societatemque eblandiantur, non amore sectæ, quam detestantur, sed quia specie vnionis & amicitiæ facillime eam se euertere posse arbitrantur; Celeriter vincit hostis, dum ignoratur. Non amant aliquid in eâ sectâ boni, sed vt vultures vetulam orbam captant, & quod maximè in eâ placet est tussis, quâ non dëtes quatuor, sed regna, & principatus iam excussit. Non ignorāt ista Lutherani; opum, non sectæ connubia istis stratagematis peti aduertunt. Itaque & hoc Anno 1618. orationem contra Zvinglianos fanaticos recuderunt.

Tussu Lutherismi amatur à Caluinianis.

Oratio Lutheranorū contra Caluinianos.

HErr Christ du Schöpffer aller Ding/
Der du bist worden ein Knecht gering/
Hilff vberwinden alle Tück/
Der Meuchler arge Bubenstück/
In jhren Schulen rotten sich/
Vnd reden fälschlich wider dich/
Vnd lachen vns doch freundlich an/
Ihr Hertz ist aber weit daruon.

O Christe rerum conditor, qui vilis factus es seruus, adiuua vt vincamus dolos malos, versutias, & facinora fraudulentorum, in scholis sese coniungunt, & falsa contra te loquuntur, interim amice nobis arrident, sed cor eorum longissime abest Ita factum Anno 1529. 1530. 1531. 1532. 1536. 1545. 1561. 1563. 1566. 1577. 1586. 1600. & totos annos septemdecim. Hac de tota re Lectorem remitto ad Ioannem Georgium Sigwarten Tubingensem, qui Pareanum Irenicum, & orationem, quâ illud Pareus palliare conatus est, oppugnat. Ille sane vehementer Lutheranus, de euersione Caluinismi propter Belgicas tragœdias largiter sperat, quia plerique iam non audent propalam religionem suam profiteri: Omnes iubet perpēdere, quam

Lutherani sperant interitum Caluinismi.

grande malum sit, quamq; opprobriosum, *aduersariæ partis doctores, quadam doctrinæ horrenda capita, hodieq; (quibus tamen bona pars librorum eorum tam neuorum, quam veterum referta est) tam confidenter inficiari, & contra perspicuam, totoque orbe cognitam veritatem profiteri, nunquam se illa credidisse, docuisse, scripsisse. Quod irrefragabile iudicium, & testimonium est, cauterio inustam conscientiam habere, & vereri propria dogmata, quæ maximam partem occulta tenent, coram suis magistratibus cætibusque libere, rotunde, significanter profiteri. Quid ex eo lucri sequatur, Christiani magistratus in Hollandia & aliis Belgij locis exemplo manifesto discent. Quo enim fortius contra Remonstrantes, hoc est, qui crassi Caluinistæ nominantur, abominationes suas negant, eo magis quotidie deteguntur, ex eorum libris ab aduersariis extracta & cum exigua cōmendatione in vniuersa Christianitate manifestantur, ita vt iam absq; hæsitatione, Manichæi, & Tiberiani doctores vocentur, itaq; multis hominum millibus aperiuntur oculi, vt eiusmodi abominationes agnoscant, toto corde eas horrescant, atq; execrentur.* Hic igitur crescendi, ac decrescendi status est: Crassi Caluinistæ, vt eos vocat Lutheranus, supplantant Lutheranos, & eorũ exitio, transfugioq; castra sua augēt, sed vicissim à subtilioribus Remonstrantibus circumueniuntur, & cum omnia tentarint tamen minuuntur, ita vt paulatim ad nouos inclinare Germania videatur: inde ad Socinianos, & Arianos ac plane ad Turcismũ via sternetur; quamuis enim Arminiani in plurimis rectius & religiosius sentiant, quam Crassi, quia tamen illis se Vorstiani, Venatoriani, Sociniani associant, multos hæreseon stolones enasci ex illis necesse est. Hinc etiam apparet quid sit, cur iidem crassi Caluiniani Remonstrantium cōmunionem, familiaremque congressum cane peius, & angue fugiant: Lutheranorum, à quibus trecentis articulis amplius quam à Remonstrantibus diffident, amicitiam exam-

Caluiniana mysteria passim deteguntur.

Lutherani prædæ sunt Caluinianorum, Caluiniani Arminianorũ.

exambiant: quia Lutheranos capere possunt, à Remonstrantibus capiuntur, Circūforanei paganis verba dant, ab vrbicis ridentur, negociatores cum iis tractant, à quibus spes lucri affulget, Lupus hœdum sequitur, leonem fugit. Huius periculosam, illius vtilem familiaritatem esse nouit. Iuuatur etiam res illa ingenio, & more gentium, Galli, Belgæ cœteriq; qui Caluinismum sequuntur, facile in Germaniam penetrant, ibi sedes locant, dexteritate, labore, industria opes, nomen, principum amicitiam parant: itaq; illis nationibus omnia in Germania replentur, Germanorum non est eadem in aliis nationibus cōditio, vel enim diuites sunt, & postquā suo sumptu aliquamdiu apud exteros vixerint, in patriam redeunt, vel tenues, & laboriosé seruiunt, honorum & opum rarissima spes est; cum igitur Caluinismus in actuosa illa, & practica ingenia inciderit, facile propagatur, cum videamus eos, qui domi inter agnatos & vicinos ætatem degunt, tanquam simplices, à πολυτρόπῳ & peregrinâ calliditate facile in fraudem induci.

Caluinismus ingenio gentis adiuuatur.

CAPVT VII.

Quæ retrahant errantes, ne ad Catholicam fidem accedant?

MAGNO omnibus Catholicis est solatio, cum vident sensim ex optimis, prudentissimisq;, qui apud nouarum religionum doctores nihil stabile, nihil certi experiebantur, multos quotidie ex variâ errorum iactatione ad veritatis portum appellere. Essetque eorum qui veniunt numerus multo amplior, nisi ad assuetas mandras vinculis escariis plurimi alligarentur. I.

2. Hæc quidem priuatorum sunt, sed publicè duo sunt, quæ ad tenendos animos vsurpant, Primum est temporum præsentium iactata felicitas: alterum vetustæ

Duplici calumnia omnia inbila nitūtur.

Ecclesiæ miseria. In hunc enim scopum omnia [illegible]n-tur, vt ostendant iam se esse felicissimos, clarissim[illegible] Dei cognitionem tenere, olim in maximis omnia te[illegible]s, quas quidem ab anno domini 900. alii à 600. [illegible]as affirmant, alii in alia tempora conferunt, ita [illegible]ue iubilantes. Christophorus Schleupnerus de [illegible] & ruinâ papatus pag. 3. concionis primæ, item [illegible]ne tertia, & quarta. Nicolaus Pormannus in bigâ [illegible]a-rum concionum, conc. 1. fol. 15. & 16. & seq. & [illegible]o-ne 2. initio. Haidelbergenses in programm[illegible]nc partitionem fecerunt, & multi Lutheranorum [illegible]o-mnes furores ministrorum eò incubuerunt, v[illegible]r-rores laudarent, veteres patres condemnarent [illegible]ue collegerunt, quicquid scandalorum fuit à nato [illegible]sto in Ecclesia, deinde quicquid falsorum fratrum [illegible]o-stium malignitas finxit, qua in re stupido labor[illegible]u-ribus commentis versatus est Georgius Zeam[illegible]i-ster Kemptensis. Sic Academici argentoratenses, [illegible] de-cem ministri, Wittebergenses, Ienenses, Haidelbergen-ses. Pareus, Gaudentius de iubilantibus, Hartmannus Braun, Polycarpus Leiser, Paulus Laurentii, Rostochien-ses, Tubingens. tota illa *νεκυία*, & damnationis ministerii. Quorum rationes examinabo, pacis consilium adferam, & causam nullam fuisse ostendam, cur à nobis recesse-rint. Quis euentus sit futurus ignoro, de malis toerr-rantium dolui, & malignè meas lacrymas interpretati sunt, nunc qui sperare possum futurum vt audiant? Hart-mannus Braun in concione cui titulus est: Lutherus An-gelus Dei, Anno 1618. edita Giesenæ, pag. 33. recenset dixisse Monachum: (sine dubio Lutherizatum) *Papam similem esse Lucio pisces omnes deuoranti.* Id quidem falsò, cum Papa ad defensionem multorum, & imprimis Hun-gariæ aliarumque ditionum plus conferat, quam multi Principes.

Cum lachrymas spernunt verba oderunt.

Caluinum

Caluinum autem similem esse anguillæ, quæ lubrica est, nec capi facile potest. Ideoque in Caluinianorum insignibus esse tria λαμβδα, L. L. L. Id est, Lästern/ Liegen/ Laugnen. Lutherum autem comparauit Salpæ, vel asello, quem vulgus Stockfisch appellat, *quem vtcunque tundas, durus tamen permanet*, ita eum quoque constantem permanere, id de pertinacia recte dicitur, nam in malo, & in leuitate constans fuit, in varia mala mobilis. Cum lubricis & duris mihi res est, & si omnia agam, canent mihi tamen illud vsitatum, quod eodem loco habet Hartmannus: *Insignia Caluinianorum,*

Bapisten Plattenkopff/
Jesuitischer Teuffelskopff/
Caluinischer Spitzkopff/
Lutherischer harter Dickkopff/——weicht nicht. *Famosa politicorũ carmina.*

Ita ludere impiis lubet, & piorum necessariam in antiqua veritate constantiam cum nouatorum pertinacia confundere. Cum his igitur talibus mihi res est, quam solam expendam, & maledicentibus & conuitiantibus nõ maledicam, monebo, instruam, viam ostendam salutis.

3. Interim in omnibus omnium iubilis, si vana gaudia falsas calumnias, prauas veteris doctrinæ interpretationes auferas, nihil sani inuenies. Tu memento Lector, inter tot narrationes de veteri Historia falsas, quæ hodierna die de innocentibus confingunt. Ne vero ignores optime eos posse non facta fingere, vnum par quod nuper Neuhusianis dedi, & Haidelbergensibus tibi iterum ob oculos ponam. Primarius Remonstrantium in Hollandia est Nicolaus Greuinchouius, eum nobis depingit hunc in modum Adrianus Smoutius antagonista: Nicolaus Greuinchouius est *ambitione & dominandi libidine abreptus; spermologus, schismaticus, omnium quotquot sunt hominum acerbissimus: Apostata tergeminus, pseudodidascalus, summus hypocrita, tantum non Diabolus, profanus, contemptor, irrisor, & violator ordinis Ecclesiastici: Purgandus* *Supra humanam malitiam calumniatores sunt*

dus à perfidia, à periurio, à profanatione numinis sacrosancti. Impius in Deum, in parentes, in patriam: odio Ismaelitico, inuidia, acerbitate, zelo siue studio Pharisaico, susurris, obtrectationibus, delationibus, calumnijs persequens Christi Ecclesiam & dignos caritate Christiana, nycticorax, nocturnus coruus, matacologus, eadem fretus conscientia, qua Ioannes & Iambres contra Mosen steterunt: inimicissimus atq; iuratissimus Ecclesiæ florentissimæ perturbator, receptorum Ecclesiæ canonum morumq; violator. Aeolo ipso ventosior siue inflatior: Lucifuga αὐτοκατάκριτος: *qui se ipsum oderit, qui metuat omnes &c. Tanquam Ethnicus & Publicanus (quorum princeps G. Smoutius, cuius tu genuinus filius) habendus, nec salutandus: qui conscientia scelerum suorum agnoscit odium omnium iustum & diu sibi debitum: quem nec pudor à turpitudine, nec metus à periculo, nec ratio à furore reuocarit. Hæreticus ab omnibus merito vitandus, ebrius liuore, ebrius odio, ebrius amore gloriæ, impietate, improbitate, impatientia, vafritie, perfidia, inuidia, acerbitate, necnon mentiendi, atq; ciues, fratres, symmistas, atq; senatorij ordinis viros, Patritiosque vexandi, persequendique libidine: Polyphemus cum Cyclopibus suis: mirificus præstigiator & improbus, qui nec inuitus verum quicquam dicat: ducit autem cum quid mentitur, verborum iusiurandum aduersus inuerecundos oculos: affectus, ad fratres ac symmistas, & iam, inlacessitus, colubrino ingenio exagitandum: velut Elimas quispiam, iure suo ac merito inclamatus apostata, Iesuita, scilicet ob faciem suam Iesuiticam, bipedum virulentissimus, Anomos, intinomos, legirupa illex, legis aduersarius.*

Sed quid opus est multis paginis? in qua vno spiritu aut vomitu potius crapulam quandam tuæ improbitatis in me diffundis: Ea est 133. *Habetis Apostatam pontificiæ idololatriæ pontificem, tentatorem, pseudoprophetam, hypocritam, blasphemū, perfidum, periurum: verbi Sacrosancti, sanctionisq; Ecclesiasticæ violatorem, & receptorum Ecclesiæ canonum profanatorem,*

natorem, anoſcon, atacton, aſyntheton, diſciplinæ oſorē, ampliſſimi ordinis ſenatorij Roterod. totiusq; adeo presbyterij ſibi obnoxij quaſi veneratorem, reliquorum contemptorem, Eccleſiæ à patre ſuo & ſocero tantopere Chriſto collectæ perturbatorem, Eccleſiarum vicinarum vexatorem, procellam patriæ, turbonem ac tempeſtatem pacis atq; ocij, labem ac perniciem reip. impium in Deū, impiū in parentes, in presbyteros: impium in Eccleſiam &c. oppletum omni iniuſtitia, malitia, improbitate, plenum inuidia, contentione, dolo, malignitate, plenum præſtigiarum & deceptionis atq; falſiloquij, fraudis, ſceleris, parricidij, periurij pleniſſimum, legirupam, impudentem, impurum, inuerecundiſſimum, caritatis expertem implacabilem, immitem, odioſum, acerbum, amarulentum, virulentum, comitialem, minime amantem bonorum, ſui amantem, malorū inuentorem, logomachum, Sophiſtam, mendacem, maledicum, ſuſurrorem, obiocutorem, iniurioſum, diabolum, calumniatorem, criminatorem, ſuperbū, glorioſum, inflatum, irrepentem in familias, & captiuos ducentem actos varijs cupiditatibus, delatorem, interceptorem, quadruplatorem, ardelionem, vaferrimum quendam & ſumme calumnioſum delatorem, veritatis aduerſarium, alterum Ioannem atq; Iambrum, Elymam, Incantatorem, ſycophantam, holophantam, Cacum, Protea, verſipellem, verſutum, malitiarum omnium euerriculum, flagitii ſtabulum, & multis ſimulationum inuolucris tectum, aretalogum, chreſtolagum, inanilogum. Qui iure Dei agnito (nempe eos qui talia faciant, dignos eſſe morte) tamen non ſolum ea facit, ſed etiam cum iis, qui ea faciunt, conſentit alienis malis, malisque artibus oblectatur. Cur frigida mens eſt criminibus: noſtrum nulla virtute redemptum à vitiis, æger, ſolaq; libidine fortis.

Hæc ſunt, adoleſcētes, dicta Smoutii: rigidi Caluiniani in mollem: quem ſtatus tuentur, quē Roterodamum miratur, hæc nō olim ſed hoc anno poſt Iubilæum, quo in vnū omnes iubilant, edita; [illegible]o etſi edita poſt Iubilæum, in medio

medio tamen æſtu iubilandi meditata, ſcriptaq;. Ad eum modum in lachrymis meis non loquor. Placetne audire quomodo ſe Nicolaus vlciſcatur? cur enim ſi eum

Quis atra mente momorderit,
Inultus vt fleat puer.

Doleo non feciſſe Smoutium quod fecit Nicolaus, & in vnum faſcem commendationes, quas à Nicolao habet colligarit: nunc odioſum mihi negotium reliquit. Veſtri tamen gratia id præſtabo, vt intelligatis quinam ſint qui de veſtris præceptoribus duriuſculè loquuntur. Sunt vero quæ breuiter ſcribi potuerunt iſta:

In præfatione; *Smoutius olim pene mutus, nunc lingua digladiator confidens ſtrenuus, plenas conuitiorum fauces diffundit, tãta bile, vt aut ſibi pereũdũ, aut me perdẽdũ dux ſſe videatur. Tanta eſt hominis rabies, vt nullæ prorſus Anticyræ ei pfuturæ videantur. Amſterodamenſes ſunt hoſtes iurati Remõſtrãtium: Smoutius Satyricus non ſeruus Chriſti. ſcatet Plauti, Horatij, Iuuenalis, Perſij, aliorumq; Satyricorum dicterijs falſis & aculeatis Bacchidem, aut furias Aiacis agere inſtituerat. Venenata ſpicula iacit*: p. 2. *Blaſphema & procaci lingua qua exclamat, Aſcende Calue. Inhumanus & ridiculus eſt comœdus, puerilis*: p. 3. *Perſpecta eſt eius cerebri animiq; intemperies, vacuũ cerebro caput, Baccha Bacchans ſtultus*: p. 4. *Agnotos Smoutij pudet latet animo eius virus*: p. 5. *Homo eſt præfractus, iracundus, cõtentioſus, inflatus, domui ſuæ præeſſe neſciens*: p. 6. *Satyræ eius vbique atro ſale & ſpiritu tetro perfuſa, calumnijs ac dicterijs referta; nullum in ea Chriſtianæ moderationis, aut pietatis veſtigium, mendaciorum & calumniarum catalogum contexit, aretalogus eſt*: pag 7. *Ethnici & publicani genuinus filius*: p. 8. *Vno ſpiritu aut vno vomitu crapulam improbitatis diffundit*: pag. 9. εἴρων *eſt &* λοιδορῶν *conſcientiam habet non ſopitam ſed exſtinctam, radicitus auulſam ac deſperatam*: pag. 10. *Amor in Smoutio fortis eſt & amarus vt mors, amor acerbus, ſæuus, veſanus, qui docuit natorum ſanguine*

matrem

matrem commaculare manus: pa. 11. *In Smoutio est charitati-crepantia, simulacrum amoris; nihil solidi, nihil sinceri, omnia plena cædis ac sanguinis, Crocodili lacrymæ; plenus est inuidia, contentione, malignitate, venenum aspidum sub labiis eius; veloces pedes ad effundendum sanguinem; contritio & calamitas in viis eius, viam pacis non cognouit.* Hæreticida: pag. 12. Rigidi caluinistæ sunt *turbines & tempestates ocij*; fratres sunt mollium sicut Cain Abeli, Iacobo Esau: Symmistæ, sicut Iudas Christo. Molles Rigidis dicere Aue non debent: pag. 13 *Molles & rigidi non magis iungi possunt*, quam Placidis immitia, serpentes auibus, Tigribus agni, Smoutius est ἐμπνέων ἀπειλῆς καὶ φόνου *spirat minas cædesque, est in felle amarissimo & nexu iniustitiæ positus: studet Nicolaum interficere: Homicida est*: pag. 14. VVtenbogardus *est veneficus, qui Helmichium occidit veneno*; ita Smoutius. *Smoutius apri instar, obliquo dente ac scommate ferit: Polypragmon est fides eius subtecta, inuidus est*: pag. 19. *Oculus eius malus: Rigidi sunt hirundines, sanguisugæ, hæreticidæ: satiari sanguine non possunt abdomen eorum est insatiabile: Ordinum clementiam in Hispanicam, aut illa inclementiorem tyrannidem conuertere volunt, atque hæreticæ prauitatis inquisitionem*: pag. 20. *Ecclesiastæ rigidi sunt similes equis & mulis: ergo vt flagellum equo, frenum asino, ita & virga tergo stultorum: nam seuere sunt habendi, qui nulla benignitate ad sanitatem reduci potuerunt*: pag. 21. *Amsterodamenses ministri sunt Aristarchi criminatores*: pag. 2 *Bassecurtius bis apostata, est censor Remonstrantium, & hæreticæ prauitatis inquisitor. Smoutium manifesti mendacij, nisi depuduisset, puderet; iure suo calumniator audit*: pag. 23. *Narratio Smoutij mendaciorum, fraudum; neque vnius plagij, & perfidiæ conuinci potest: eius mendacia sunt tam crassa, vt, quicquid in posterum dicturus est, non nisi ab iniquissimo odio proficisci videatur*: pag. 25. *Ex plaustro classicum canit*: pag. 26. *Rigidi omnia contra leges, moresque maiorum gerunt, per nouitia dogmata, per*

vim, per furorem. Amentia eorum euidens est: p. 27. Smoutij mores leues, & lasciui. Edicta ordinum vt captiosa perstringit; Vox est praetereaq; nihil: p. 28. Inducias notat, ordines papismi incusat, vocat improbos religionis hostes, Pōtificios, Hunianos, Cornhertistas, Libertinos. Durum est illius atq; impenetrabile caput; garrula lingua, alienum semper potest assumere vultum: mordet Ordines, illis adulatur: p. 29. Amsterodamenses vero sunt

Fronte politi

Astutam vapido seruantes pectore vulpem.

Magna eos vis metus, & inuidiae inuasit: p. 35. Magistratus propter Rigidos nec imperij negotia videre, nec cognoscere pōt. Imperiū eius est imaginariū, seruile mancipatū libidini Rigidorū; actores, & iudices sunt, habent potestatē in ipsos Magistratus: p. 36. Interdicta Tyrannica, violenta, hispanicae inquisitionis exēpla vocant. Licentia illos deteriores facit: p. 38. Smoutius terrae filius, hominum iniquissimus, Proceres, Iudices editiones ἐπιρομόλιον δίκην exercentes, persecutores, tyrannos vocat: p. 39. Bonum dicit malum, tenebrionibus arrogantior, & impudentior. p. 40. Virulentus. p. 41. Splendidis mendacijs populū decipiunt, & turbant omnia Rigidi. p. 42. Rigidi praedestinationem habent abominandam, fatum Mahometanum, furenti populo inimicos obijciunt. p. 44. Tribuni concionales sunt, Smoutius armiger, & aquilifer praecedit. p. 45 Turbines labem inferunt ἀταξίας, licentiae impunitatis, polypragmones, Ephialtae, aures lancinātes, veritatis aduersarij, pacis & ocij tempestates, fratrum mastiges, calumniatores maledici, mendaces &c. Furor insolentia clemagagorum illorum fregit iudiciorum religionem. p. 46. Smoutij os impurum. p. 47. Omnia transformat: Rigidi Deum hypocritam dicunt, tyrānum, personarum Histrionem. p. 49 Libertini sunt. p. 52. Blasphemi. p. 53. Rigidi Deum iniustum, saeuum, dirum, horrendum truculentum, immanem habent. p. 56. Atheismo viam sternunt, Libertinistica impietatis, & securitatis Belelygma tantum non ponunt in loco sancto. p. 56. Smoutius audacia peruertit

tit ſcripturas: p.59. *Doctorum ſuorum blaſphemias auget.* p.71. *Stoiciſmum, Libertiniſmum, Manichæiſmum tenet. Deum facit periurum:* p.74. *Rigidi nil adeo falſum, neque tam mirabile quicquam dicunt, quod non pro ſummo certoq́; fidei oraculo haberi velint.* p.75. *Smoutius mentitur ſplendide: Smoutius falſiſſimæ atq; iniuſtiſſimæ calumniæ fidem aſtruit: Smoutius nec miniſter Chriſti, nec Eccleſiæ paſtor, ſed turbator ocioſus venter, gegenes ingenuus terræ filius, indignus qui conſulatur, qui audiatur, qui conſpiciatur in paſtorum choro, aut ſuggeſtu: quin ipſius quoq; Eccleſiæ reformatæ iudicio paſtoris ac miniſtri titulo indignus.* p.105. *Caninæ facundiæ, Ruardus Friſius Bos. Rigidorum petulca ſæuitia; præbent ludos taureos, truculenter & cyclopice agunt.* p.114. *Smoutius omnium Satyricorum Satyricotatos, hoc eſt, dicaciſſimus ac maledicentiſſimus.* p.115. *Molles à Smoutio vocantur Lapythæ, & ſemihomines centauri; Presbyterium Polyphemorum ſynedrium. Claſſem vocat hominum maleferiatorum colluuiem,* pag. 115. *Smoutij eſt Iſmaeliticum in fratres odium.* pag.115. *Molles alea, fœnore, ſcortatione inſignes mouent:* pag.118. *Zelotæ Rigidi, ſtrenui potatores, tabaciſugæ, aleatores, mendaces, periuri, maledici.* pag.118. *Smoutius Inſignis ſuſurro & impoſtor.* pag.120. *Infrunitus puer:* pag.121. *Ne inducias quidem admittit,* pag.122. *Rigidorum facinora & in Hollandia latrocinia.* pag. 132.133. *Smoutij craſſa & portento ſimilia mendacia, ſtultitia, & fatuitas, Smoutio pænorum nemo pænior eſt, dicit quæ neſcit, incerta vana.* pag. 135. *Famæ detractor eſt. Smoutius Gracchus nefaria conſilia, & inſidias habet; diſſidia meditatur, vt patriam concidat: Paſtor anniculus, deſertor miniſterij, ordinis Eccleſiaſtici violator:* p.140. *Frigide, ad tuſſim, & nauſeam cōcionatur.* p.142. *Bubulcus.* p.143. *Vxorius* p.144. *ἄτακτος, ἄνομος, αὐτόνομος:* pag. 153. *quidlibet in Symmiſtas molitur:* pag. 155. *Triumphi Smoutiani Aeolo ipſo venteſiores:* pag. 158. *Vaniloquus & ridiculus.* pag.170. *Aſyllogiſtas.*

pag.174. *Eius scripta Augiæ stabulum: dimittendus cum fucis, mendaciis, sycophantiis, calumniis, fraudibus, perfidus & mendaciloquens est Smoutius.* p.174. *Mendacio mendacium cumulat.* p.174. *Cretizat more suo. Tandem concludit Nicolaus. Ita tibi profluunt mendacia ex liquido canali aperti pectoris.*

Habeo alia multa, quæ nunc condonaberis,
Quæ proferentur post si pergas lædere.

Nolim tamen existimes lector, olim Lutheranos minus erga se mutuo, vel contra nos acerbos fuisse. Mansfeldici prædicantes & quidem quinquaginta, capite de Iesuitis, & errore Canisij folio 51. & seq. Canisium aiunt principē ordinis Iesuitarum. Deinde folio 52. quærunt. Quis igitur error sectæ Canisianæ, seu Iesuiticæ? & respondent. *Quod Christus, etsi mediator, & intercessor noster fuerit, nunc tamen non sit amplius; sed solos iam sanctos mediatores atq; intercessores nostros esse. Item Iesum Christum hoc vel simili modo non esse inuocandum: Fili Dei, ora pro nobis apud æternum patrem.*

Mansfeldicorum impudentia.

Nec eo contenti argumenta nostra ponūt, quibus probemus Christum non esse mediatorem: quo mendacio nihil potest esse luculentius, nisi viri illi ita ignari, vel ebrij fuerunt, vt nihil nec nostrorum, nec suorum intelligerēt. *Canisius est quidam ordinis Iesuitarum princeps & autor. Is ordo ante paucos annos in Germaniam irrepsit, vt per eos tanquam medias personas regnum pontificium nunc fere collapsum integritati pristinæ restitueretur. Porrò ante annos complures quorundam Cardinalium pontificis nomine congregatorum, vltimum & constans decretum fuit, vt scholæ erigerentur, in quibus pueri cognitione religionis & doctrina Papisticæ imbuerentur, quo deinceps per eos Antichristi religio instaurari, plantari, seruarique ac præterea doctrinæ Lutherianæ multum accedere detrimenti posset. Tum vero sperari aliquando posse, fore vt pontifex Romanus & qualiscunq; ipsius doctrina crescere, & de integro florere inciperet.*

Scholæ sūt arces religionis.

Cum hisce mihi negocium est, caninâ in facundiâ versatissi-

satissimis, à quibus mitiora si exspectem illis ipsis insanior sim, qui omnes à se dissentientes condemnant. Si verò viuum omnium calumniarum specimen desideras, lege Thema seculare Parei, & illi oppositũ verissimũ & eruditissimũ Thema seculare à nostro Maximiliano Sandæo.

CAPVT VIII.

An ob neglectam à nobis, curatam vero à suis scripturam iubilare debeant Euangelici?

1 INITIVM ducam ab eo in quo vel maximè illi gloriantur, à verbo Dei, à Scriptura, illã à nobis contemni aiunt, illa nostrã fidem euerti. Non memini vllum esse ex Iubilantibus, qui non eius criminis nos reos agat. Iubilæus Academicus Heidelbergensis p. 24. ita habet. *Scripturæ crepant eius euersores.*

8. *Principium fidei, quæ creditur, fidem Christianam vltimo terminans, est Scriptura diuina, Prophetarum & Apostolorum libris comprehensa, & quidem sola.* *Solum verbum Dei est, fidem terminãs.*

9. *Tota enim scriptura diuinitus inspirata est, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionẽ, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte instructus.* *Omnis scriptura vtilis est.*

10. *Hoc principium fidei, quæ creditur, non vno modo, sed variè iam pridem conuulsit, hodieq; conuellit Papatus Romanus.* *Omnis Ecclesiæ totius traditio vtilis est.*

11. *Scripturis sacris nihil* DIVINITATIS *inesse docet, nisi quantum accipit ab Ecclesia.* *Scriptura nihil diuinitatis accipit ab Ecclesia.*

12. *Neq; pro authenticis Scripturas habet, nisi authoritate Ecclesiæ.*

13. *Imo Deo non credit, nisi propter Ecclesiam.* *Scripturæ credimus propter Deum, eas nobis Ecclesia proponit.*

14. *Diuinam Scripturarum authoritatem à Papæ arbitrio suspendit, quia in Papa, tanquam in Ecclesiæ totius capite, authoritas illa resideat.*

Omnes scripturis credunt quia sunt verbum Dei, Ecclesia illud proponit.

15. *Et quia Papa solus, vel cum prælatis, est Ecclesia, ideo Papa & prælati Scripturis credunt, si credunt, propter seipsos: laicos scripturis credere volunt propter Papam, & prælatos.*

16 *Sic Papæ, prælatorum, laicorum fides de Scripturis stat super testimonio humano, hoc est, super arena, & est nulla.*

Scripturæ non nisi diuino Spiritu intelliguntur.

17. *Scripturas in ijs, quæ ad fidem, cultum, & mores pertinent, tantæ obscuritatis arguit, vt à nemine, nisi ex Papæ interpretatione intelligi possint.*

18. *Papam omnium de fide quæstionum Iudicem supremum facit, in quo fidem nostram vltimatè sisti oporteat, etiam in ijs, quæ cum Papa Euangelici habent controuersa.*

Papa discipulus est scripturæ, iudex vero contrariarum interpretationum.

19. *Scripturas imperfectionis accusat, quia neq; ad fidem pietatemq; colendam, neq; ad salutem consequendam sufficiant, nisi traditionibus suppleantur.*

20. *Traditiones inde suas vocat* VERBVM *Dei non scriptum, æque certum, infallibile, canonicum, ad salutem necessarium, pari pietatis affectu & reuerentia cum verbo Dei scripto suscipiendum.*

Scriptura sic vtũtur hæretici, teste ipso, Luthero.

21. *Scripturam blasphemat nasum cereum, ambiguam, literam mortuam, atramento scriptam, chartaceam, quæ Ecclesiæ consensu pro confirmatione* INDIGVERIT, *instar Vaginæ recipientis quemuis gladium, galybeum, plumbeum, ligneum, æneum.*

De quibus verè, & erudite disseruit noster Maximilianus Sandæus in themate sæculari. Rudius sed maledicentius eadem de re egit affixis thesibus Iacobus Martini dialecticus Wittembergensis. Ehrartus Lauterbach Conc. 2. Romanos nec biblia legisse, nec grammaticam, credere se ait nullum Pontificem tota vita biblia perlegisse, Leonem Decimum dixisse Bembo sen-

Calumniæ de Biblijs.

tentiam

tentiam è biblijs adferenti ; *Quid tu Bembe mihi allegas illam fabulam ?* Et Sadoleto commentarios ſcribenti in Epiſtolam ad Romanos. *Omitte eas nugas , non decent virum grauem tales ineptiæ.* Ad quæ Polycarpus ſic exclamat. *O vos damnati Italici nebulones , an veſtra politica grauiora ſunt verbo Dei ? Audite doctiſsimos Leonem , & Bembum , ſi illi nihili fecere ſcripturam , quomodo eam indocti æſtimarent ? Eiuſmodi farinæ pene omnes erant Epiſcopi, Cardinales, Monachi*; Polycarpus tamen Leiſerus biblia non planè perdita, ſed ſub ſcamno abdita fuiſſe ſcribit.

Chriſtophorus Schleupnerus generalis ſuperintendens , & aulicus ſtentor , cum facetijs oblectare ſuos vellet , Catholicorum Theologiam facit quinquepertitam , Canoniſticam , Scholaſticam , Monaſticam , Interimiſticam , Ieſuiticam pagin. 8. 9. 10. 11. conci. 1. Tanta verò id imperitia facit , vt videatur nullos vnquam libros Catholicorum vidiſſe. Paucos nominaui , omnes in eadem ſunt cauſa , omnes elaborant , vt perſuadeant populo, nos ſcripturam contemnere, ſe eam venerari , & ſequi. Præcipuè in inuidiam vocant, æſtimationem Canonum , Conciliorum , & Pontificiorum, quaſi illa decreta ſacræ ſcripturæ anteponamus. Sed totam cauſam explicemus.

Catholicorum Theologia.

2. Primo Catholicorum eſt hæc communis ſententia, & fides: ſacrarum literarum eſſe eam profunditatem, ſapientiam, perfectionem, vt nulla hominum ſcripta illis æquari poſſint, aut debeant.

Secundo. Fide eadem tenēt omnes; ſcripturam ſacram habere infallibilem auctoritatem , veritatem diuinam, nullo errore miſtam.

Scriptura vera eſt.

Tertio, Quicquid ſcriptorum, dictorumq; aliorum vel vni

vni sententiæ, vel apici sacrarum literarum repugnat, id falsum esse.

Quarto, Cuilibet Christiano moriendum esse potius millies, quam vel vnum scripturæ dictum, falsum iudicet, aut dicat, aut esse posse falsum affirmet.

Catholici scripturã venerãtur.

Quinto. Quicunq; de scriptura contrarium docet, aut sentit, Catholicus non est, nos ei anathema dicimus, & iudicium domini minantes clamamus, Maran-atha. Iniuria igitur, & quidem insignis nobis infertur, cum Scripturæ contemptæ accersimur, qui pro toto eius corpore, & pro singulis apicibus totum nostrum sanguinem profundere parati sumus, aut sanè fundendum esse docemus, potest enim fieri, vt aliquis Catholicorum Spiritum quidem promptum, sed carnem infirmam experiatur, in mortem, & in carcerem ire cupiat, sed ad vocem ancillæ expauescat, & dominum in verbo suo neget. Non ergo causa est cur hac ex parte, à nobis deficiant, multo minus nos velut sacræ scripturæ violatores traducant.

Cõcilia & pontifices scripturæ expositionem vrserunt.

Nec meum est hoc solius iudicium, sed totius orbis Catholici, Cõcilium Trident sess. 5. c. 1. Serio mandat, vt scripturam prælati exponi diligenter curent, idq; à Synodis, & Pontificibus curatum affirmat. *Eadem sacrosancta Synodus, pijs, summorum pontificum, & probatorum Conciliorum constitutionibus inhærens, easq; amplectens, & illis adijciens, ne cælestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat, statuit ac decreuit, &c.* Nempe, vt in Cathedralibus Ecclesiis, in monasterijs, in conuentibus Regularibus, in Gymnasiis publicis explicetur. Id nec tum primum factum est, sed exempla synodorum, & summorum Pontificum præcesserunt.

Et sanè Leonem Pontificem maximi fecisse scripturam multa testimonia sunt, imprimis constitutio eius in

Conci-

Concilio Lateranensi data anno 1516. 14. Caland. Ian. vbi non modo scripturam citat, & magni facit, sed etiam eius interpretibus optimas leges ponit. Quod igitur Bembo & Sadoleto in aurem dixisse fingitur, ex eadem pharetrâ depromptum est, ex qua calumniarum myriades prodiêre.

3. Scripturam igitur sequimur, neq; iam à sæculo ostensum arbitramur à minima eius particula nos recessisse, causa igitur cur à nobis recesserint nouatores vnica est, quia scripturas ipsi, quas citant, quasque ad euersionem stomachi & cerebri iactitant, penitus contemnunt. Ita rem sese habere iam sæpius ostendi. Tu rem expende.

Primo enim si ex tot centurijs eorum, qui ab Ecclesia recesserunt, vnus est, qui rectè scripturam, & non fallente vestigio secutus est, ille nominetur, & reliquos probabo secutos esse non scripturam, nec Spiritum Dei, sed proprium sensum, eumque scripturæ veritati anteponere. *Scripturarum horribilis est cõtemptus apud sectarios.*

Secundo Primores eorum cum scriptura vrgentur, in illarum accusationem vertuntur. Vorstius cum in scriptura quædam errata esse dixisset, Caluini & Iunij auctoritate causam suam contra æternam Dei veritatem tuetur. Alias locum citaui, sed nec mihi quisquam respondit hactenus, & nunc quoque calumniantium importunitas extorquet, vt eadem proponam. *Denique obÿcitur in primis illud de Apostolis, aliÿsque N. T. Scriptoribus, quod dicantur in rebus leuiculis errare, aut memoria labi potuisse, &c. Sed annon eadem, aut similia habet Caluinus, cum interdum eosdem N. T. Scriptores aut superflua quædam tradere, aut alia magni momenti omittere, aut ordinem temporis in historia turbare, aut quædam ex V. T. minus apposite citare, &c. non obscure scribit? Pro multis sit vnus ille locus* *Sectarÿ scripturã falsam aiunt.*

in 1. Ioh. 2. 14. Vbi disertè ait, repetitiones illas Apostoli esse superfluas, in his scilicet verbis: Scribo vobis pueri, &c. Sed, vt Caluinum hic omittamus, quid de Francisco Iunio videtur, qui in locis communibus, recenter hic impressis, lib. 1. cap. 19. non veretur affirmare, Scriptores N. T. aliquando scientes, prudentes præter veritatem historiæ quædam scripsisse. Sic enim aperte scribit, pag. 61. & 62. eos intendum recepto errori aliquid, ex charitate condonasse, & propter opinionem publicam, à veritate historiæ deflexisse, adeoq; præter veritatem quædam S. textui inseruisse, &c. idq; speciali exemplo S. Lucæ confirmat, qui contrà veritatem Historiæ Mosaicæ nomen Kenanis in genealogia Christi posuerit, ne videlicet eos offenderet, qui græcæ V. T. versioni assueuissent, in qua nomen istud extabat, &c. Quod si hæc assertio Fr. Iunij excusari potest (de quo sententiam meam proferre iam nolo) cur non saltem alia similis hæsitatio, aut concessio, excusari poterit? Certe enim grauius est, scientem prudentem aliquid contra veritatem historiæ scribere, quam σφάλμα μνημονικὸν in re leuicula admittere. Et rursum maius quiddã est certo illud prius de aliquo asserere, quã per concessionem posterius istud aduersario largiri. Sed ista iam sufficiant. Plura id genus exempla ex doctoribus nostris, vbi opus erit, alia occasione afferri poterunt: saltem vt appareat, eos magna prosopolepsia laborare, qui eadem aut similia dicta in vno liberaliter excusant, quæ in alio tãquam hæretica & impia traducũt. Caluinus certè in 24. 32. Iosue. Stephanum act. 17. 15. arguit, quasi Abraham pro Iacobo nominarit, & manet tamen apud illos error indicatus à Caluino, & Harm. in Matth. 20. 26. Negat quadrare illam sententiam, seu ad rem esse. *Multi vocati, pauci electi*; At Christi sententia fuit. Si igitur vnus in scripturam error admittitur, tota fides eius vacillat, mendaci enim scripturæ non creditur.

Blasphemi in scripturam sunt Caluiniani.

4. Nec mitior hac est in parte Lutherus, Scripturam enim Deo opponit, in Galat. 3. Tom. 5. fol. 345. *Potius honorem*

uxorem habere & credere velim uni Christo, quam permoueri omnibus locis, quos contra fidei doctrinam pro iustitia operum statuenda producere possent. Quare simpliciter eis ita respondendum est. Hic Christus est, illic Scripturæ testimonia de Lege & operibus, Christus autem Dominus est Scripturæ & omnium operum. Et paulo post. *Nihil moror Scripturæ locos, si etiam sexcentos producas pro Iustitia operum contra fidei iustitiam, & clamites scripturam pugnare. Ego authorem & Dominum scripturæ habeo, à cuius parte volo potius stare, quam tibi credere.* Et paucis interiectis: *Tu urges seruum, hoc est, scripturam, & eam non totam, neque potiorem eius partem, sed tantum aliquot locos de operibus, hunc seruum relinquo tibi. Ego urgeo Dominum, qui est Rex scripturæ.* Si igitur errores scripturæ obijciunt, quomodo nobis contemptum eius obijciunt? Hæc ex fontibus impurissimis Ebionitarum, Cerdonistarum, Gnosticorum, Marcionistarum, Tatianistarum, Seuerianorum, Helcesaitarum, Manichæorum, Bongomitarum, Albigensium deriuata sunt, & in venenatissimum lacum Anomenorum, & Libertinorum quasi in sentinam confluxerunt.

Scriptura Deo non repugnat.

Libertinorum auctores Scripturam repudiant.

5. Tertio, De illis qui sacras literas nobis reliquerunt, quiq; in illis commendantur, pessime senserunt. Scriptura Abrahamum ut fidelium patrem, ut fide iustificatum, Deo placentem nobis depingit, Caluinus & illum, & uxorem eius Saram contra diuina oracula grauissimorum scelerum reos agit. Abrahamum *nimiæ facilitatis*, Saram *festinationis* accusat commentario in cap. 16. 3. Genes. *Fidem Abrahæ concussam ait, & medium prætextum fuisse inter fornicationem & matrimonium, honesto nomine palliatum. In medio seu agendi ratione, non in substantia eos peccasse ait, quia extra Dei legitimam ordinationem sobolem quæsiuerũt,* Sed modus ille substantiam fidei penitus sustulit;

Sacros scriptores & patres infamant.

Bene-

Abraham pro benedictione adulterauit iudice Caluino.

Benedictionem enim per adulteria, & lenocinia quæsiuerunt, si Caluino credimus, *Abraham enim id egisse, ne benedictione priuaretur*, affirmat: At sanè flagitiosum est, adulterare, vt benedictionem consequaris. De Sara ait. *Cum sciret in semine Abrahæ benedicendas esse omnes gentes, mirum non esse si societatis honore noluerit priuari, ne resecta à corpore benedicto, quasi putridum membrum, extranea quoq; à salute promissa fieret.* Quæ si vera sunt; Sara & Abraham infideles fuerunt. Nam credere se à corpore benedicto resecandam, nisi domi suæ lupanar erigat, aut extraneam fore saluti, nisi sit lena mariti, productrix ancillæ est, infidelem esse. Nec mitior est in Mosen Ex. 2. 12. & 4. 10. Deut. 34. 10. *Contempsisse eum diuinam obedientiam, voluisse quasi Deum ad abrumpendum opus adigere, fuisse mentis omnium oblitæ.* Dauidem, Eliam, Danielem, alios eodem modo excipit. Non igitur nos scripturam, & auctores eius contemnimus, sed illi qui nos ea de re accusant.

CAPVT IX.

Quo iure nos de canone Scripturæ accusent.

Canō scripturæ apud nos integer est.

1 

ON est legitima causa recedendi à nobis, quia inter libros sacros, numeramus, Iudith, Tobiam, Librum Sapientiæ, Ecclesiasticum, Baruch. 13. & 14. caput Danielis. Canticum trium puerorum adiectum cap. 3. Danielis. Libros Maccabęorum, & quæ sequũtur c. 3. n. 10. Hesteræ, Ratio prima est manifesta. Nec Lutherani, nec Caluinistæ suos patriarchas condemnant, quia quosdam, quos nunc veros, & legitimos scripturæ libros arbitrãtur, è canone sustule-

ſtulerunt,non ergo in nos debent eſſe iniquiores, etiamſi præter eorum ſententiam aliquos in canonem admittamus.

Lutherus in prologo huius Epiſt. Brentius in conf. W ittemb, Kemnitius in exam. 4. ſeſſ. Conc. Trid. Magdeburgenſes cap. 1. nec tamen eâ de causâ Lutheranos fugiunt Caluiniani. Iacobi etiam Epiſtolam, & Iudæ repudiant, de ſecundâ Petri, & tertiâ Ioannis dubitant, Apocalypſin Lutherus, & Primores Caluinianorum è canone expunxerunt. Graſerus in hypoth. plagæ regiæ fatetur Apocalypſin ob difficultatem à ſuis præceptoribus non receptã. Poſteri Caluinianorum receperunt, fieri igitur poterit, vt aliquando etiam, & hos quos nunc ferre nolunt, in canonem recipiant.

Sectarij ſuo arbitrio libros in canonem recipiunt, & reijciũt.

Si igitur Zwinglius alijque ſine ſcelere Apocalypſin capite minuerunt, & hoc illis ignoſcitur à poſteris, non debent eſſe tam iniqui in nos iudices, vt facilitatem noſtram ita grauiter interpretentur, quia eos libros admittimus, quos vetuſta Eccleſia Canonicos iudicauit. Secunda ratio eſt etiam euidentior; Magnam enim cauſam habemus cur libros eos in canonem recipiamus, aut vt magis proprie loquar, iam olim receptos non temerè expungamus: quanquam enim olim quidam dubitauerunt, plerique tamen admiſerunt, plures & doctiores fuerunt, qui in canonem receperunt, ita probat Bellarminus l. 1. de verbo c. 7. & ſequentibus, Nicolaus Serarius in proœmijs commentariorum, quos in pleroſque illos libros conſcripſit. Argumento huic vim apud ſuos addit Bezæ auctoritas, is enim poſtquam contra Eraſmum, & doctores ſuos Apocalypſin canoni reſtituiſſet; nam argumentum eorum, qui dicebant; *eruditiſſimis non eſſe viſum librum canonicum, quod in eo nihil eſſet Apoſtolicæ grauitatis*; ita reſpondet: *Quicunque tandem iſti eruditiſſimi viri fuerint, magnam eos reprehen-*

Non ſine manifeſta cauſa canõ minuendus eſt.

Argumentum Catholicum pro libro Apocalypsis.

sionem mereri in eo quod conuitiis ausi sint eum librum exagitare, qui sane sit breuissimus, si ea demas, quæ ad verbum ex Prophetis sunt exscripta. Longe aliter Basilius, Gregorius, Cyrillus, Epiphanius, Irenæus, Hippolytus, vt Arethas testatur, qui hunc librum non modo (vt Dionysius Alexandrinus) putarunt à sancto viro scriptum esse, sed apertè etiam Ioanni Apostolo vendicarunt: nunquam id certè facturi, si nulla grauitatis Apostolicæ vestigia in eo animaduertissent. Vtros vero pro eruditioribus habebimus? an istos quorum & singularis pietas & summa eruditio testata est plurimis ipsorum monimentis: an illos potius, quorum ne nomina quidem apparēt: argumenta vero satis indicant quam merito eruditissimi appellentur?

Bene sane ille, sed multo plures sunt, Dionysius Areopagita, Iustinus, Tertullianus, Hilarius, Athanasius, Origenes, Cyprianus, Damasus, Ambrosius, Eusebius, Chrysostomus, Hieronymus, qui & ipse ita sentit Epist. ad Dardanum, *& eam sententiam omnium Latinorum esse affirmat* Augustinus, Isidorus, Gelasius, Innocentius, Theophilus Antiochenus apud Euseb. lib. 4. cap. 23. Apollonius apud eundem lib. 5 cap. 17. Pamphilus, Deinde Concilia Florentinum, Romanum sub Gelasio, Tridentinum, Ancyranum, Carthaginense 3. Toletanum 4. Nicenum secundum. Si simili nos argumento vtamur pro libris quos recipimus, quo Beza contra suos, pro Apocalypsi, non video cur eâ causâ damnemur vt impij in scripturam, cum in eâdem damnatione sit vetus Ecclesia? Beza de Erasmo sic optat: *Atque vtinam his ille doctoribus proficere, quam nixus confidentia sui nomen sibi parare maluisset.*

Hæretici nomē parare, quā discere malunt.

Hoc si Beza ipse secutus esset, nec in tot hæreses incidisset, neque nunc à Lutheranis, omnibus, & moderatioribus Caluinianis oppugnaretur. Nunc si pacem obti-

obtinere non possum, si non adducere aduersarios, vt cum antiquitate sentiant, spacium duntaxat ac moderationem flagito, ne nos tam multis, tam firmis argumentis consensu eruditissimorum, & sanctissimorum asserentes canonem, velut diuinorum eloquiorum proditores calumnientur. In quo laudem meremur, in eo veniam dent. Lutherus multos libros reiecit, Epistolam Iacobi, Iudæ, Apocalypsin, & illum tamen colunt Lutherani; postquam sæpissimè asseruisset, certo certius scire se verbum Dei à se stare, suam doctrinam esse Christi doctrinam, verbum Dei negauit; partem enim eius è canone erasit. Quid hic Lutherani? Puduit eos erroris Lutherani, Brentiani, Chemniciani; nam è libris quibusdam illa de Apocalypsi Lutheri extriuerunt. Ideoque Hunnius negat se tale quippiam in Luthero inuenisse. Sed ostendit illi noster Gretserus; nam Biblia Norimbergensia anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo septimo ea verba in præfatione habent. Nolite obsecro vti tam apertâ προσωποληψία, vt Lutheri quidem Apocalypsin reijcientis scripta corrumpatis, deinde errorem eius mendacio veletis; & negetis eum scripsisse, quod vos ex eo deleuistis, nos vero omnibus diris deuoueatis, quod cum veteri Ecclesiâ, Concilijs, Patribus quosdam libros retineamus, qui vobis displicent.

Lutherus scripturã negat.

Lutheranos pudet sui Lutheri.

3. Quod si vestra argumenta expendamus ad trutinam, plumâ leuiora inueniemus, edidit Geneuæ hoc anno 1618. cursum Theologicum Ioannes Scharpius, quem sodales eius vt ex stulto insanum faciant, Herculem rediuiuum vocant. Ille in fascem suorum errores colligens ita veritatem oppugnat pag. vndecima. *Omnes libri Canonici V. Testamenti à Prophetis scripti sunt: At nullus horum librorum est à Propheta scri-*

Scharpius ponit fere argumẽta Bellarmini omissis solutionibus.

ſcriptus: Ergo non ſunt Canonici. Probatur propoſitio ex 2. Petr. 1.19.20.21. Rom. 1.2. & 16.26 Lucæ 1.70. & cap. 16.30. & 4. 27. Eph. 2.20. Hebr. 11. Et hoc ipſum inductione probari poteſt. Aſſumptio vero tribus argumentis confirmatur.

1. *Malachias omnium confeſsione Iudæorum fuit Propheta vltimus; inter quem & Ioannem Baptiſtam nullus Propheta interceſsit; At hi libri poſt Malachiam ſcripti ſunt, vt ex libris Eccleſiaſtici, & Machabæorum patet: ergo à Propheta ſcripti non ſunt.*

2. *Omnes libri à Prophetis exarati lingua qua vſi ſunt Prophetæ, id eſt Hebraica aut Chaldaica ſcripti ſunt. At hi libri lingua Hebraica, aut Chaldaica, tum vernacula & vulgari, non ſunt ſcripti; ſed peregrina & ignota: vt Patres affirmant, res ipſa probat, & maxima parte concedunt Pontificij: Ergo &c.*

3. *Si libri iſti à Prophetis ſcripti fuiſſent, tum ijs vt teſtibus doctrinæ ſuæ vſus fuiſſet Chriſtus, & Apoſtoli (omnes enim ſcripturæ propheticæ de Chriſto teſtantur; iiſq; Chriſtus & Apoſtoli vſi ſunt:) at nec Chriſtus, nec Apoſtoli horum librorum teſtimonio vſi ſunt: Ergo non ſunt à Prophetis conſcripti.*

II. *Omnes libros Canonicos Veteris Teſtamenti Eccleſia recepit: At hos libros non recepit: ergo non ſunt Canonici. Probatur propoſitio: ſi illa Eccleſia partem aliquam ſcripturæ Canonicæ reieciſſet, maximi criminis in eo rea extitiſſet: & Chriſtus & Apoſtoli illam hoc nomine reprehendiſſent. Si enim in eo reprehendit eos Chriſtus Matth. 5. quod male ſcripturas interpretati ſint, multo magis ſi partem ſcripturæ tanquam non Canonicã reieciſſent, reprehendiſſet: At hac de cauſa non reprehendit. Deinde Rom. 3. 2. dicuntur τὰ λόγια τοῦ θεοῦ, hoc eſt ſcripturæ Sacræ Iudæis traditæ: Iudæos autem ſtudioſe omnem veterem Canonem ſeruare teſtantur Iuſtinus ſermone ad Græcos: Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Euangeliſtarum. Et Epiſt. 3. & 59. Denique ſi tum libri fuerunt Canonici, & non recepti à vetere Eccleſia tum ſequetur multos libros Canonicos à tota Eccleſia, quamdiu illa fuerat Eccle-*

Ecclesia, non receptos fuisse. At totam Ecclesiam, in qua fuerunt Prophetæ, Sacerdotes, & postea Christus ipse, & Apostoli, voluntatem Dei reiecisse est absurdissimum. Ergo probatur assumptio omnium Patrum, ipsorumq; etiam Pontificiorum consensu, & postea patebit. Ergo.

III. *Duobus tantum modis cognoscitur librum aliquem esse Canonicum 1. Testimonio Prophetæ alicuius aut Apostoli: 2. vel eorum, qui tum temporis viuebant, cum liber ille ederetur, quibus certo constare possit: sitne à Propheta vel Apostolo editus necne: At neutro horum modo scimus, libros controuersos Canonicos esse. Non primo, quia iam nulli sunt Prophetæ aut Apostoli; non altero, quia tantum abest vt quis testari possit Prophetam vel Apostolum hos libros edidisse, aut recepisse, vt ne Hieronymi tempore, ipso teste, fuerint quidem in Canonem recenti: Atq; si Apostoli hos libros recepissent & agnouissent, vt vult Bellarm. lib 1 de verbo Dei cap. 10. horum librorum testimonio, vt aliorum veteris vsi fuissent. At non sunt ijs vsi, ergo hi libri non sunt pro Canonicis agnoscendi.*

4. Hæc igitur argumenta, quibus maior pars Christiani orbis damnatur inspiciamus. De maiore non magnopere laboro, nomen Prophetæ non eodem modo accipi constat. Minoris probationem examinemus; nam reuera multos errores, multam imperitiam continet; sed audacem imperitiam, quæ se verbo Dei opponit.

Malachias pene Synchronos fuit Haggæo, & Zachariç, qui anno circiter 20. iuxta probabilem Chronologiam prophetarũt, eos secutus est paruo interuallo Malachias, toto illo tempore plus quam quadringentorum annorum negat fuisse Prophetam, vsque ad Ioannem. *Malachiæ tempus.*

Refutat tamen eum Euangelium, nam & Zacharias pater Baptistæ propheta fuit, Luc. 1. 67. & Simeon senior Luc. 2. 27. & v. 36. Anna prophetissa filia Phanuel, quæ iam octoginta annos minimum præcesserat. Deinde

tempore Maccabæorum cum tot essent insignes martyres, quis dubitet etiam prophetas fuisse? Quanquam enim ordinarium officium non fuerit tempore quo occubuit Iudas Macc. 9. 27. Postea tamen non defuerunt Prophetæ, qui vt prophetarunt, ita libros scribere potuerunt: Nec obstat quod Simonem constituunt ducem, *donec surgat Propheta fidelis*, 1. Macc. c. 14. 41. & l. 1. c. 4. 46. Exspectāt Prophetam, sed eum quem Deut. 18. Moses prædixit; *Prophetam de gente tua, sicut me suscitabit Dominus.* Cum igitur fuerint Prophetæ, qui legem exponerent, hortarentur ad martyria, in persecutione acerbissima consolarentur, fuerunt etiam Prophetæ scribendis libris idonei, cur enim non Deus illis quoque infallibilem auctoritatem dare posset?

Prophetæ fuerunt etiam post captiuitatem, sed rari.

Quanquam enim proprijssime sint illi Prophetæ, qui futura prædicunt, alijs tamen etiam proprie prophetia tribuitur, qui occulta pandunt, sic mulier Samaritana ex eo quod Christus sibi gesta vitæ suæ exposuerat Prophetam appellat, atque hæc vsitatissima scripturis est ratio prophetiæ.

Secundo Prophetarum etiam nomine miraculorum patratores censeri solent, nam Prophetæ pene omnes miraculis illustres fuêre. Moses, Aaron, Iosue, Elias, Elisæus, alij, auctoritatem enim per opera admiranda seruis suis diuinitas comparabat, itaque cum illi qui miracula faciebant, etiam præditi essent Spiritu prophetiæ, factum est vt τὸ θαυματουργεῖν diceretur, prophetare. Sic Eccl. lib. c. 48. 14. Eliæ corpus prophetauit. Καὶ ἐν κοιμήσει ἐπροφήτευσε τὸ σῶμα αὐτοῦ. & c. 49. 18. de Iosepho, & ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetauerunt, quanquam illa posterior pars in græcis plerisque desideretur.

D. Hieron. in Priorem ad Corinth. c. 14. Prophæ-

tæ

tæ sunt qui explanant obscura Prophetarum, & qui homines exhortantur, sicut alibi dicit. Nam qui prophetat hominibus loquitur ad ædificationem, exhortationem, & consolationes.

Tertio. Satius etiam prophetandi vocem extendunt, vt prophetare dicantur illi, qui monẽdo, increpando, docendo, consolando à vitijs auocant, ad virtutis studium adducunt, scripturas interpretantur, quæstiones Christianæ doctrinæ exponunt, nam hoc munus prophetarum fuit, quo fungentes sunt diuinæ voluntatis internuncij. Ita Exodi 4. & 7. Aaron est Propheta Mosis. ita 1. Cor. 14. 5. monet Apostolus Christianos magis curare vt prophetent.

Quarto. Qui sancto Spiritu afflati psalmos Deo concinunt prophetæ interdum dicuntur. 1. par. 25. 1. 2. 3. vbi prophetare dicuntur in citharis, & psalterijs, & cymbalis, in cithara prophetare super confitentes, & laudantes Dominum. vbi esse v. 1. legant 70. ἀποφθεγγομένους, בתינמ famen v. 3. vtuntur verbo προφητεύεσθαι, quidam volunt esse prophetias canere, at canebant psalmos quos habemus; id igitur, & nunc recte dicitur prophetare. Hac significatione accipiunt illud 1. Regum 10. v. 7. vbi grex prophetarum, & Saul inter prophetas, quod significat, non quouis modo laudes Dei canere, sed singulari instinctu, neque enim negandum multos esse solitos Dei laudes canere, de quibus tamen illa admiratio non erat, neque negandum ex his fuisse aliquos proprie & primo modo nominatos Prophetas.

Quinto, prophetare in malam partem sumitur, vt sit idem quod more arreptitiorum Spiritu fanatico agitari, ita 1. Regum 18. 10. Post diem autem alteram inuasit spiritus Domini malus Saul, & prophetabat

M 2 in

in medio domũs ſuæ. Quia namque vates gentilitium ore ſpumante, corde fero, rabie agitati flexiloquis oraculis gentes dementabant, inde factum eſt, vt furere eſſet illis prophetare, cum in antro vates baccharentur; eſt enim in re diſſimilima quædã ſimilitudo, vt enim prophetæ ſancti à bono ſpiritu agebantur, vt facta dictaque ad eius voluntatem componerentur, ita pſeudoprophetæ à malo ſpiritu dire exagitabantur, vt omnia ſua ad eorum nutum facerent. Sic clamores inconditos prophetarum Baaliticorum, geſticulationes, & ſaltus, inciſuras, & vulnuſcula facta, totam actionem cæremoniarum impiarum vocat ſcriptura prophetare, 3. Reg. 18. 29. poſtquam autem trãſijt meridies, & illis prophetantibus venerat tempus quo ſacrificium offerri ſolet. Nec mirum, aut nouum, cum prophetę nomen frequenter falſis prophetis, & impoſtoribus tribuatur, vt Ierem. 6. 13. & 26. 7. 8. 11. & 27. 7. & 28. 1. & 29. 1. Zachariæ 13. 2. Ezech. 22. 25. quo loco 70. verterunt ἀφηγουμένους, cum prioribus locis citatis verterint; ψευδοπροφήται. Nos de prophetis propriè dictis agimus, & negamus tanto interuallo nullum fuiſſe.

Ad ſecundam rationem reſpondeo. Primo quoſdam eorum librorum à prophetis ſcriptos eſſe Hebræâ linguâ vel Chaldæâ, eâ de re audiatur Nicolaus Serarius, prol. 3. in Tob. *Refert in epiſtola centeſima, quæ ad Chromatium & Heliodorum Epiſcopos eſt D. Hieronymus, fuiſſe librum hunc ſermone Chaldæo ſcriptum, & extat hodie Græca libri eiuſdem verſio, & Hebraicæ duæ, quarum alteram à Conſtantinopolitanis acceptam, ante annos amplius 40. noſtra hæc edidit Germania: vt valde mirer, quæ vel ignorantia, vel impudentia Britannum illum doctiſſimi Bellarmini, vel doctrinæ potius Catholicæ hoſtẽ, Caluinianum Vittakerum ſubierit, dum hoc ipſo decẽnio; Non niſi in Græco & Latino Tobias legitur. Hoc n. ab ipſis ẽt hære-*

Tobias etiam Hebraicè ſcriptus.

hæreticis alijs, falsi damnatur, Fagio, Munstero, Geneuensis editionis Vatablo, vel potius Baduello & Drusio. Quin vero & in Bibliothecis quibusdam Syriaca versio inuenitur, prout de sua Bibliotheca refert in Iosuam, dedicatoria ad Philippum Regem epistola, doctissimus Andreas Masius,

Iudith vertit ipse ex Chaldeo (Ep. 111. teste) Hieronymus. Hestheris auctor primarius fuit Mardocheus, de Sapientia, Ecclesiastico, Maccabæis arbitror priores duas Hebraicè scriptas, deinde conuersos in linguam Græcam, qui sanè potuerunt esse tempore prophetarum, Macchabæorum auctor vt mihi videtur vernacula lingua scripsit, hoc est Græca, cuius periti erant, pleriq; Iudæorũ in regno Græcorum viuentes; nam plures Iudæos ignorasse Hebraicam, quam Græcam ex eo facile colligimus, quod auitam hebræam, mutauerint in Syriacam, deinde quod Iosephus doctus inter Iudæos linguam illam ignorauerit. Deniq; per totam Asiam, & Græciam erant Coloniæ Iudæorum, non igitur græca lingua post bella Maccabaica erat Iudæis ignota. Alioqui eo argumento totũ fœdus nouum euerteretur; nam Græcè scriptum esse cõstat. At Hebræa lingua non minus peregrina erat imperante Latino principe quam Græco: sanè passim vulgo notam fuisse linguam Græcam ipsis Ierosolymitanis constat, tum ex multis alijs, tum ex eo, quod act. 22. 2. dicitur: *Cum audissent autem quia Hebræa lingua loqueretur ad eos, magis silentium præstiterunt.* Græca igitur peroraturum arbitrantur, quod & frustra illi exspectarent facto silentio, & Paulus conaretur, nisi turba sæuiens etiam Græcè intellexisset.

Iudith, Hesther, Sapientia, Ecclesiasticus, Maccabæi.

Septuaginta interpretes prophetæ fuerunt.

Iudæorum pleriq; hebraice nescierunt.

Tertia probatio turbas excitare, & alios multos libros euertere potest. Non enim omnium librorum veteris testamenti auctoritate vsus est Christus, & apostoli. Nam Abdiæ, & Sophoniæ non meminerunt, ex alijs verò

hinc inde pauca in scriptis exstant, vt si hoc argumento nitamur, duos prophetas ex canone eradere oporteat. Ecce qualibus argumentis ab Hercule Iubiliario prisca veritas oppugnatur.

Altera ratio Scharpij est multo infirmior column. 12. *Libros illos prisca veteris testamenti Ecclesia non recepit, nec tamen ab Apostolis reprehensa est, cum tamen maximi criminis sit aliquam partem canonicæ scripturæ reiecisse. Deniq; Ecclesia tota non recepisset omnes libros canonicos, quod est absurdissimum.*

Liber apud quosdam dubius in canonem publice recipi potest.

Respondeo, quod de Ecclesia pronunciat, hoc in Lutheranam & Caluinianam conuenire, maximi criminis rea est Lutherana teste Scharpio, quod partem canonicæ scripturæ reijcit, nec minoris prima Zvvingliana, quæ apocalypsin exterminauit. Ad veterem Ecclesiam quod attinet: Quamuis in canone Hebræorum primo non fuerint, *eas tamen Christi recipit Ecclesia, vt monet* S. Isidorus & Aug. l. 18. de ciuit. c. 36. In primo canone Iudæorum non fuerũt, in secundum reiecti sunt nec ab omnibus accepti, postea tamen ab Ecclesia Christiana Canonici iudicati, fieri enim potest, vt liber aliquandiu dubius, postea pro Canonico habeatur, vt in Caluiniano coetu de Apocalypsi dictum est.

Ratio tertia, *nec Apostoli, vel prophetæ testimonio, nec alicuius qui eo tempore vixit, quo scripti sunt, canonicos esse constat, nullo ergo modo sunt canonici.*

In secundo canone fuerunt libri quos nouatores reijciunt.

Respondeo, Habere nos testimonia Hebræorum qui in secundo Canone eos habuerunt. Esdræ tempore factus est primus Canon, in eo esse non potuerunt, quia posteriores erant, in altero deinde fuerunt, vt colligere licet ex Iosepho l. 2. contra Apionem. Nam illa verba Eccl. 42. 14. κρείσσων πονηρία ανδρὸς, ἢ ἀγαθοποιὰς γυνή, in hunc modum citat. γυνὴ δὲ χεῖρον, φησιν, ἀδρὸς εἰς τὰ πάντα, καὶ ἡ πονηρία

αὐτῆ

αὐλῆ ὑπὲρ ἀγαθοποιῦ γυναικός. Librum verò ex quo hæc citat, vocat νόμον legem, vt planè appareat eum Ecclesiasticum ad legẽ referre. Iunilius Firmus libros Macchabæorum ait eadẽ authoritate apud Iudæos fuisse, quo Paralipomena, Iob, Esdras: cur non igitur apud nos eodem loco sint? Quod si opus testimonio est, quale de Apocalypsi habetis? Multa vos habere dicetis, sed non omnium, idem & nos quoq; de his affirmamus. De difficultatibus quas ex singulis partibus obijciunt, respondere supersedeo, quod ab interpretibus satis superq; explicatæ habeantur, & alioqui eadem ratione omnes oppugnari queant.

5. *Duobus* TANTVM *modis cognoscitur librum aliquem esse canonicum*, inquit Scharpius. *Primo testimonio prophetæ alicuius, aut Apostoli, 2. Vel eorum qui tum temporis viuebant, cum ederetur, quibus constare possit, sitne à propheta vel Apostolo editus, necne:* Primo modo negat cognosci posse, quia iam non sunt prophetæ vel Apostoli.

Secundo modo nego Caluinianos cognoscere posse: Quia alterius cuiuscunq; quamuis eo vixerit tempore testimonium humanum est, vt semper iactant, at humano testimonio fides niti non potest, hoc n. argumento Ecclesiæ auctoritatem oppugnant, quod si verè faciunt, nõ habent vllam amplius scripturam, cui credant, nam apostolus aut propheta nemo nunc est, vt fatetur Alcides Britannicus Scharpius, & testimonium aliorum omnium, etiam totius Ecclesiæ, fallibile est, & incertum. Hoc igitur argutando efficiunt, vt dum Scripturam laudant, simul tollant. *Scharpius totã scripturam tollit.*

CAPVT

CAPVT X.

An iure nos de versione, & interpretatione scripturæ accusent Iubilaarij.

1 MVLTIPLEX hoc loco nobis lis intenditur, versio nostra reijcitur, interpretatio oppugnatur, libertas prophetãdi, hoc est interpretandi quæritur. Huc pertinent pugnantes versiones, lectiones vulgares, idiotarum interpretationes, facilitas scripturæ.

Accusationes variæ sunt, & variorum. Ioãnes Gisenius in reformationis recordatione, Thesi 14. *Editio authentica in veteri testamento est hebræa, in nouo græca*, & Thes. 18. *Scriptura in dogmatibus, quæ sub salutis ratione esse necesse est, clara, perspicua, & manifesta est.* Sic thes. 22 & thes. 20. *Scripturæ interpretatio non est aliunde inferenda, sed ex ipsa afferenda.* Palmam sibi tamen maledicentiæ hac in parte vendicat Ioannes Salmut. pag. 10. & sequentibus. Librum legis ait, partim contemptu, partim deprauatione, partim exustione quasi amissum. Bibliorum versionem latinam malam Hebrææ, & Grææ prælatam. Biblia esse dubia, nullum certum sensum haberi ex illis posse, vocari librũ hæreticorum, matrem omnium hæreseon, literam mortuam, nasum cereum, normam Lesbiam, maiorem dici auctoritatem Papæ, quam Sacrarum literarum. Decreta Pontificum multis modis scripturæ anteposita. In concionibus D. Thomam, & alios sæpius, quam scripturam citatos esse, rarò Scripturam explicatam fuisse. Pauli Epistolas pro fabulis habitas, Pontifici asseri potestatem contra eas agendi. Balthasar Meisnerus Wittembergensis, festum Iubilorum suorum nominat festum inuentorum Bibliorum. Wolffgangus Fiantzius in sua concione, hyperbolicam Lutheri calumniam approbat, qua scribit

Tota lu de interpretatione scripturæ.

Festum bibliorum.

Ioanni

Ioanni Syluio, nullum ex ſui temporis concionatoribus eſſe, qui vel vnum ſcripturæ caput exponere poſſit, idq; iureiurando aſſeruit. Idem Meiſnerus in concione ſecundi diei, ait. *Scripturam vocari à nobis Euangelium nigrum, Theologiam atramentariam, expreſſum diaboli verbum, niſi ſenſu Eccleſiæ intelligatur.* *Calumnia dirus morſus.*

Quin & olim Pareus *in Oſeam prolog. 3. q. 1. p. 13.* eadem nobis impoſuit, & nunc *in themate* repetit. Eadem Erhartus Lauterbach *in concione præparatoria, & concione ſecunda*, qua ait, *prædicationem publicam non fuiſſe, ſed in cordibus tantum piorum.* Verum optime in hac re ſentiunt Catholici, peſſimè ſectarij. Rem hiſce propoſitionibus declaro.

Propoſitio 1. Non ſatis eſt ſcripturæ auctoritatem agnoſcere, ſed neceſſe eſt etiam habere certum, & notum exemplar, quod authenticum ſit. Alioqui nullius erit apud ignaros auctoritatis; neq; enim cuiquam dubium eſt, verbum Dei eſſe ſummæ veritatis, ſummæque auctoritatis, ſed hoc ipſum eſſe verbum Dei, verum atq; authenticum exemplar cognoſcere oportet. Hoc extra controuerſiam eſt. *Authenticũ exemplar opus eſt.*

Propoſitio 2. Authenticum exemplar legis diuinæ in arca repoſitum fuit, ex eo exemplaria diuerſa deſcripta fuerunt. Creſcente deinde librorum ſacrorum numero, ſine dubio autographa prophetarum exemplaria publicè conſeruata ſunt, multaq; exſcripta: quæ tamen in arcam poſita non puto. *Exemplar in arca.*

Propoſitio 3. Quidam Biblia penitus interijſſe bello Nabuchodonoſoriano arbitrantur, quos benè refutant, Bellarminus li. 2. de verbo Dei ca. 1. & Serar. in prolegomenis ca. 12. qu. 1. Eſdras itaque ordinem inſtituit, forte quaſdam particulas ratione temporis, Spiritu Dei monitus *Nõ interierunt exẽplaria bello Chaldaico.*

nitus adiunxit, vt de morte Iosuæ, & Samuelis. De hac quoq; controuersia non litigamus: Hoc solum notandum est, Esdram veteres Iudæorum characteres in chaldæos mutasse. nam prisci Sicli diuersos exhibent.

Charactere res mutati sunt.

Vetus testamentũ Hebraicè Chaldaicè Græcè scriptum.

Propositio 4. Vetus testamentum, si pauca excipias Chaldæa, scriptum est Hebraicè, & quædã Græcè, nouũ Græcè, quamuis alij Matthæi Euangeliũ, & alia nonnulla Hebraicè scripta contendant, verum vtcunq; res illa habeat, hodiernæ editiones hebraicæ, quæ circumferuntur auctoritatem non habent.

Textus hebræus non omnino corruptus.

Propositio 5. Vetus textus, hebræus, non est malitia, aut incuria Iudæorum omnino corruptus. Non enim ante Christi aduentum, neque postea. Non ante, quia caussa nulla erat, nec ea de re à Christo, vel Apostolis accusati sunt, deinde cum variè dispersi essent, non potuerunt in vnum errorem conuenire. Tertio Christus ipse ad scripturas Iudæos remittit, eas citat, explicat, Ioan. 5. 39. Luc. 4. 17. Matth. 22. 47.

Aquila & Symmachus prauè verterunt.

S. Hieronymus quidem Epistola ad Augustinum, vertisse se ait biblia, vt ea testimonia quæ à Iudæis prætermissa essent, vel corrupta in medium proferret. Sed intelligit Iudæos interpretes, qui in Græcum verterunt. Aquilam Symmachum,

Propositio 6. Nihil mutatum est à Iudæis malitiose annis mille & centum proximis: nam Masorethæ versus, voces, literasq; omnes adnumerarunt, vt nulla demi posfit, R. Sadaia ita numerauit.

Aleph		42377.
Beth		38218.
Gimel	inuenitur	29537.
Daleth		32530.
He		47554.

Vau

Vau		76922.
Zain		22867.
Chet		23447.
Tet		11052.
Iod		66420.
Caph		48253.
Lamed		41517.
Mem		77778.
Nun	inuenitur	41696.
Samec		13580.
Ain		20 75.
Phe		22725.
Tsade		21822.
Koph		22972.
Resch		22148.
Schin		32148.
Tau		59343.

Summa 8211081.

Propositio 6. Tempore Hieronymi malitiosè textus Hebræus non erat corruptus, ita ille in 6. Isaiæ. *Si dixerint aliqui post aduētum Domini Saluatoris, & prædicationem Apostolorum, libros hebræos esse falsatos, cachinnum tenere non potero, vt Saluator; & Apostoli ita testimonia protulerint, vt Iudæi postea falsaturi erant.*

Propositio 7. Postea tamen aliqua immutarunt, in illis exemplaribus in quibus potuerunt. Exempla sunt apud Bellarminum, l. 2. c. 2. de verbo Dei, & apud Serariū c. 12. q. 2. Idem fatentur Brughtonus in c. 9. Danielis pag. 45. Hunnius contra Bellarminum l. 2. c. 2. Iunius in Psal. 22. c. 2. l. 2. *Hac lectione quam nunc Iudæi defendunt, nihil in sulsius, οὐδὲν ὑγιές, nihil sanum. nec vox integra nec sensus*; Legatur loco citato Serarius. *Iudæi aliqua corruperunt in biblijs: Ita Caluiniani testantur.*

Propositio 8. Hebræus igitur textus, vt rectè docet Serarius, c. 12. q. 2. prop. 7. *Qui in hodiernis exemplaribus communiter cernitur, si mathematicè, vel physicè consideretur, simpliciter corruptus dicendus est: moraliter tamen non omnino, sed secundum quid corruptus dicendus. Secundum scil. exemplaria non omnia, sed quædam, vel secundum loca tantum aliqua. Prior pars patet, quia & ex humana vel oscitantiæ vel imperitiæ alicuius infirmitate menda ei nonnulla insunt, & è Iudæorum nequitia corruptelæ aliquot, vti ostensum. Quando autem de totius alicuius integritate, debitaq; perfectione agitur, ea sanè tam mathematicè, quam physicè dicitur abesse, si vel vna desit, aut peruersa corruptaq; sit pars. Posterior pars probatur, quia moraliter non videtur vel author vel textus ille omnino corruptus ac perditus: qui aut in exemplaribus aliquibus syncerus ac integer est, aut cuius vera germanaque lectio in libris alijs notatur, Doctorumque memoria & iudicio custoditur.*

Biblia hebræa moraliter non sunt corrupta.

Hinc igitur apparet, fontem illum quem iactant purissimum non esse. Nō modo quia incuria scriptorum, & humana imbecillitate factum est, vt errata contingerent, sed quia malitia hinc inde se exseruit.

Biblia pūctata non sunt authentica.

Propositio 9. Biblia vt iam fere eduntur cum punctis vocalibus, non sunt authētica exemplaria, nam puncta ipsa cum initio nō fuerint, sed postea addita sint, non sunt pars sacræ scripturæ. Docent hoc pleriq;, & eruditissimè Nicolaus Serarius in proleg. bibl. c. 3. q. 5. Mūtzerus Tiberiade inuenta ait, & quæ est in Paphlagonia. Sed melius Serarius Tiberiade Palestinæ id factum refert, circa annum Domini quingentesimum, & consentiunt illi etiā Nouatores. *Zvvinglius præfatione in complanationem super Isaiam: Hebræorum, ait, litteras caruisse vocalibus notis, quas parum ciuiliter ipsorum Rabbini, & finxerunt, & supposuerunt; non tantum hinc colligitur, quod & D. Hieronymus.*

nymus nullam prorſus ipſarum fecit mentionem, & vetuſtiſsimi eorum Codices, etiamſi nunc habeant eas notas, aliquãdo tamen eas non habuiſſe, cum ex atramenti diſsimilitudine, tum ex ſitu earum deprehenditur. Et paulo poſt: *Vſu igitur conſtabat huius generis lectio.* *Huius diſcipulus Pellicanus: olim, ait, notis vocalium & diphthõgorum Hebræos caruiſſe magni viri exiſtimant: & Iudæorum authenticos libros adorandæ vetuſtatis etiamnum reperire eſt literarum ſolum von vocalium characteribus exaratos.* *Wittenbergenſes, & Tübingani Lutheranæ Theologiæ aſſertores libro contra Schererum; Initio*, inquiunt, *Biblia non habuerunt puncta vocalia.* Et paulo poſt: *Si eo tempore, quo latina translatio, qua vtimur, facta eſt, habuiſſent pũcta Biblia, non potuiſſet latinus interpres in vocalibus quidquam mutare. Ideoque non eſt quod negotij quidquam cuiquam faceſſant puncta, cum vera in veteris Teſtamenti libris ſcientia quæritur.*

Punctorũ nulla auctoritas.

Ad biblia igitur punctata appellare non poſſunt Nouatores vt authentica, cum puncta ſint opus perfidorum Iudæorum. Ex quibus ita concludo. Cum in aliquibus infirmitate humana, incuria, nequitia textus Hebræus ſit corruptus, cum dimidia eius pars quæ hodie legitur non pertineat ad textum, ſed additamentum ſit, omnia nempe pũcta vocalia, non oportere ad illum vt puriſſimũ, illibatiſſimumque fontem appellare, nec ex eo omnes alias verſiones corrigere.

Propoſitio 10. Verſio noſtra Latina ſincera & erudita, quæ partim eſt S. Hieronymi vt interpretis, partim vt correctoris. Nam Hebrææ, Græcæ, Latinæ linguæ eruditiſſimum fuiſſe omnes fatentur, vnus Lutherus, in Symp. cap. 69. id negat, quod orbis concedit, **Wer Hieronymum für einen Hebreer ſchildt / der thut jhm gewalt vnnd vnrecht**: Qui Hieronymum Hebræum vocat, iniuriam

Hieronymus Hebraicè & Græcè doctus.

illi facit. Sed idoneus ille tantæ rei testis non est, cum in eisdem sympofiacis se fateatur ignarum Hebrææ, & Græcæ linguæ, Ich kan weder Griegisch / noch Hebraisch / & deinde. Ich bin kein Hebreer nach der Grammatica, dann ich laß mich nicht anbinden / sonder ich gehe frey hin- durch. *Nec græce scio, nec hebraice*, &c. *Non sum Hebræus iuxta Grammaticam, non enim alligari me sino, sed libere pertransco.* Multo rectius Cochleus de R. Eliâ refert. *Dum ego*, ait, *Romæ agerem, & in Hebraicis Rudimentis qualibuscunque, vterer præceptore Helia Germano, dicebat ille mihi, si quis labori eius pretium daturus esset, vellet, me adiutore, (ipse enim latinæ linguæ ignarus erat) Hieronymi interpretationem (quam ego inter legendum conferebam eius ex Hebræo Germanicæ interpretationi) contra omnes illius impugnatores, siue Iudæi essent, siue Christiani, ex Hebræo ita defendere, vt à nullo iuste impugnata videri posßit.*

Hebræus Lutherus sine Grammatica.

Summæ peritiæ addit diligentiam plusquam humanam, de quâ ipse testatur, & ad omnes hebrææ linguæ peritos prouocat, Epist. ad Sophronium, apologiæ prioris lib. 2. Ep. 6. Ep. 65. ad Pammachium. Epist. 4. ad Rusticum. Erasmus in præfat. ad Tomum 4. ita eum describit.

In optimo, ait, *Theologiæ genere primas tenet Diuus Hieronymus (de latinis loquor) & ita primas tenet, vt omnes post se longo relinquat interuallo: & adeo neminem habemus, quem vllo pacto cum hoc conferre posßimus, vt inter tam innumerabiles Theologos vix quenquam habeat & ipsa docta Græcia, qui nostrum æquet Hieronymum. Si modo non vnam aliquam laudem, sed vniuersas eius dotes simul expendas. Tantam in vno homine reperias sæcularium, vt vocant, literarum cognitionem: tantam omnis antiquitatis peritiam, tot linguarum absolutam scientiam, tam admirabilem locorum & historiarum omnium*

omnium notitiam, tam non vulgarem mysticorum voluminum eruditionem, tantum inimitabilis eloquentiæ, tam exactum vtique iudicium, tam sacrum afflati pectoris ardorem, rerum adeo diuersarum tam digestam, ac præsentem memoriam, tam fœlicē iuxta ac diuitem mixturam, deniq; tanto lepore conditam seueritatem, vt quemadmodum per se facundi, si cum Cicerone conferantur, protinus videntur obmutescere, ita omnes Doctores, quos citra collationem suspicimus; cum Hieronymo compositi vix sapere, vix loqui, vix viuere videantur. & Dauid Chytræus in Onomastico: Hieronymus Hebræo simul, & Graio, Latioq; venustus eloquio, morum exemplar, mundiq; Magister.

Propositio 11. Auctoritatem accepit à tempore S. Gregorij Magni, donec deinde doctorum approbatione sola in vsu esse cœpit, Hugo de S. Victore q. 9. Ecclesia Christi per vniuersam latinitatem, versionem hanc solam legendam, & in auctoritate habendam constituit. Sed hoc non statim à tempore Gregorij vsitatum fuit.

Hieronymi versio quo tempore celebrata.

Propositio 12. Hanc Concilium Tridentinum approbauit, sed eius editionem voluit esse, quam emendatissimam. Et merito; est enim antiquissima, optimi auctoris, à multis laudata, etiam olim ab Ecclesijs probata.

Propositio 13. Vt vno tandem verbo tot calumnias repellam. Libere affirmo; versionem latinam nostram ita probatam, vt tamen, & Græcis, & Hebræis fontibus maneat sua auctoritas. Nicolai Serarij præceptoris mei sententiam, quę est in proleg. c. 19. q. 11. & 12. dignam quę non vno in codice legatur, lector accipe.

Quanta vulgatæ versioni nostræ à Concilio Tridentino tributa auctoritas.

Auctoritatis, quæ vulgatæ nostræ à Tridentina Synodo tribuitur editioni, quantitas seu magnitudo spectari potest bifariam. 1. Simpliciter. 2. Comparate. Comparationem n. significat illa in decreti prooemiolo particula,

cula, *ex omnibus latinis editionibus*. Et quia hanc valde vrgent ac flagitant Nouatores, de ea in secuturis agetur quæstiunculis, nunc tantum de auctoritate, quæ absque comparatione huic nostræ conciliata editioni.

Versio vulgata ita probata, vt intra solum versionis genus maneat probatio.

II. Auctoritas, quæ in decreto isto editioni nostræ tributa est, intra solum versionis genus continetur. Quod vt intelligas, notandum *primo*, posse scriptum aliquod authenticum esse, & non eius versionem. *Secundo*, posse versionem esse authenticam, non scriptum. *Tertio*, posse & scriptum & versionem esse authenticam. *Primi generis exemplum* est in tot hæreticis Bibliorum versionibus. Biblia enim authentica sunt: non istæ istorum versiones. *Secundi generis* exemplum est, si quis falsam epistolam, aut pseudepigraphum, & mendacem librum fideliter verteret, verbi causa, Origenis libros περὶ ἀρχῶν; Caluini aut Lutheri schedas & dogmata quæpiam, vt in concilio examinarentur. *Tertij generis* exemplum est in Biblijs, & nostra eorum versione. Dico tamen, quamuis tam Biblia, quam nostra eorum versio authentica sint, in hoc tamen decreto, ipsam tantummodo versionis auctoritatem sanciri. *Primo*, quia hoc & decreti scopus, & verba ostendunt. *Secundo*, quia Bibliacorum librorum ac partium omnium auctoritas priori de Canonicis scripturis decreto sancita iam erat.

III. Hæc versionis nostræ auctoritas, quomodo accipienda sit, exponi solet dupliciter. *Primo infinite*, absque vlla restrictione. *Secundo definitè*, ac restrictè. *Priore modo* videntur decretum hoc hæretici, de quibus quæst. 10. accipere & exagitare: nonnulli etiam Catholici quandoq; innuere, vt Suarez in 3. part. Tomo 1. q. 7. disp. 21. & quæ hoc ipso anno 1608. nuper Francofurti excusæ

sunt

sunt declarationes concilii Tridentin. seß. 4. *Posteriore modo* accipiunt complures Catholici. Nam *primò* Driedo. lib. 2. cap 1. sępius vt fol. 33. 35. sed maximè in concl. 3. fol. 24. ait, authenticam hanc editionem declarari non quoquo modo, sed eo duntaxat, *vt ad scripturas in suo fonte diligenter collata, excussa, & examinata nihil contineat subdole, vel adiectum, vel immutatum. Secundo,* Canus lib. 2. c. 13. concl. 1. editionem hanc retinendam, *in his omnibus, quæ ad fidem & mores spectabant.* 3. Andr. Vega lib. 15. cap. 9. versionem hanc ita esse authenticam, *vt certo sciant fideles, nullum inde haberi posse perniciosum errorem : & tutò illam, & citra periculum posse legi.* Et postea: *Eatenus voluit Synodus eam authenticam haberi, vt certũ omnibus esset, nullo eam defædatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide & moribus colligi posset. Quartò* Adradius lib. 4. Driedonem. fol. 254 255. ac 256. Et Vegam fol. 257. sequitur. *Quinto.* Sixtus Senensis in extremo lib. 8. concedens *errata & leues defectus* in editione vulgata reperiri, authenticam tamen vult, *quia certum est,* inquit, *neque in veteri, neque in noua editione aliquid vnquam inuentum esse, quod fuerit à veritate Christianæ fidei deuium, falsumue ac mendax, vel contrarium dogmatibus ac regulis orthodoxis; vel præter veritatem additum, vel contra veritatem mutatum, vel in præiudicium veritatis omissum; vel adeo deprauatum, vt occasionem perniciose errandi attulerit; vel hæresibus ac prauis dogmatibus materiã & fomenta præstiterit; vel ita obscurè & ambiguè versum, vt mysteria nostræ fidei occultauerit, aut non ad sufficientiam, & quantum satis est, ad salutem, explicauerit.* Et rursum paulo post dicit, *leues illos defectus* in editione quidem esse, sed citra *vllum fidei ac morum detrimentum. Sexto* Bellarminus lib. 2. cap. 11. *certos nos reddere voluit Ecclesia, in iis præsertim, quæ ad fidem & mores pertinent, nulla esse in hac versione Interpretum errata. Septimo* ipse Bellarmini propugnator lib. 2.

Versio vulgata est approbata restrictè.

O cap. 10

cap.10 pag.537. editionis huius auctoritatem ita exponit, *vt Spiritus sancti sententiam vbiq; assequatur, quod ad doctrinam & mores attinet. Similis restrictio pag. 542. quod attinet ad fidei & morum dogmata pag. 565. Num errauit S. Hieronymus in iis, quæ Ecclesia tanquam authentica approbauit? quæcunque ad dogmata fidei & moru͂ pertinent.* S. P. 10. Sacroboscus apud eundem p. 541. *Cum dicimus nos habere scripturam latino sermone authenticam, aliud nihil volumus, quam nostram translationem esse verum Dei verbum, integrum, incorruptum, ex quo grex Christi doceri, & quæstiones de fide ac moribus i[illegible] finiri queant.* 9. Alph. Salmero proleg. 3. in 2. de vulgata edit. quæstio: *liberum relinquit Concil. Trident. omnibus qui scripturas profundius meditantur, &c. non tamen, vt eam falsò interpretatam, præsertim in rebus ad fidem vel bonos mores spectantibus, vel errorem intolerabilem continentem condemnent.* Duæ Propositiones. I *Quæ à Trid. Conc. versioni vulgatæ tribuitur auctoritas, non est infinitè accipienda, sed definitè certis cum modificationibus.* Patet 1. Quia concilii scopus & decreti causa optime cum modificationibus istiusmodi tenetur. 2. Quia ita sentiunt tot & tam idonei auctores. 3. Quia per huiuscemodi istas modificationes fræno veluti quodam & chamo compescitur effrænis ac immoderata hæreticorum in decretum hoc procacitas & maledicentia. 4 Quia Theologus grauis ac fide dignus citatus Andr. Vega, loco indicato sanctè asseuerat, se ab ipsius concilii præside S. crucis Cardinale audiuisse crebrius, eam Concilii mentem fuisse, vt id genus cautiones intelligerentur. Et scripsit hoc ille, cum superstes adhuc esset Cardinalis ille, posset q; de re tota interrogari: imo hic est ille ipse, qui postea anno 1555. inter Trid. sess. 16. & 17. Pontifex Max. vocatus Marcellus II. 5. Memorat rem eandem lib. 4 fol. 257. Andradius. *Vir*, ait, *eruditissimus, frater Andr. Vega, qui concilio Trid. sub Paulo III. maxima*

Synodi in sancienda nostra versione mens.

cum

cum laude interfuit; multis confirmatur. 6. Neq; auctoritate sola sed & ratione idem rem eandem probat Vega. *Et hanc ait, fuisse mentem Synodi, nec quicquam amplius statuere voluisse, ex verbis ipsis & aliis consuetis approbationibus concilij, potes colligere.* 7. Non possunt hæretici negare, iustum esse, vt in auctoritate hac explicanda bonæ adhibeantur modificationes, quia vel in suarum versionum auctoritate idem faciunt, vel facere, velint nolint, debent. Nam 1. Wittakerus contr. 1. quæstione 2. cap. 8. *Etsi,* ait, *nostrorum aliquæ interpretationes, in quibusdam locis differant, tamen nec in multis nec periculose.* Ecce hisce in verbis postremis cautio & modificatio. 2. Fatentur versiones se nondum habere perfectas, & in quibus mutari nihil debeat. Ideo enim, 1. eas quas habent crebrò mutant & corrigunt, vt cap. 18. quæstione 1. dictum, & patet in Bezæ noui Test. versione, ac Epistola 80. p. 348. in Geneuensi correctione ac editione Bibliorum anno 1588. 2. ideo & nouas adhuc meditantur & parant versiones Hollandi teste Io. Drusio præf. in lib. Tetragrammato Dei nomine, & Angli, prout mihi sæpe retulit, qui ad id opus multorum studiis ac literis, quin & regiis præmiis inuitatus & penè pertractus est Hugo Brugththonus, ita vt vtrique quidem sed nouo præsertim Testamento manum iam admouerit, pleraque interpolarit, vt ipse in Veteri Testamento Londinensis editionis anno 1578. Bibliis Anglicanis vidi. Et Robertus gentilis anno 1605. in Patris sui libellum ante citatum *de latinitate veteris Bibliorum versionis male accusata:* Procemiaco ad Ioannem Housonum Epistolio: *In Anglicana*, inquit, *versione cum aliis nunc* (anno 1605.) *iussu Regis versaris conficienda.* Pastores sanè ac professores Ecclesiæ Geneuensis, vt seipsi appellant, in Geneuensis antea nominatæ correctionis Præf.

Hæreticorum versionis quales.

ſcribunt: *verſiones pedetentim perfici, vt vna tandem haberi poßit* (nondum igitur apud eos habetur) *quæ ſi non omninò perfecta (quod optandũ potius, quam ſperandum)* (Ecce de perfecta translatione deſperant) *ad minimum tamen tam pura ſit, vt qui ea præditi ſcientia non ſunt, qua poſſunt Dominum ore ſuo proprio* (ſeu lingua Hebraica & Græca) *in Prophetis & Apoſtolis loquentem audire: ei verſioni poßint inniti, ſeu in ea ſe ipſos ſtatuere ac firmare. Ita vt quod deeſſe adhuc videretur, id magna cum cura notaretur à diligentibus Paſtoribus dum ſuos docent greges.* Accedit, quod vt dictum eſt cap. 11. q. 2. verbum Dei non putant iſti Nouatores verſionibus ipſis authenticè contineri. Neceſſarium igitur eſt vt ſuis omnibus ingratiis, verſionum ſuarum, quas aut legunt, aut legendas populo proponunt, auctoritatem varie modificent ac reſtringant. Ita vt culpare nos haud poſſint, dum explicationes & cautiones bonas noſtræ apponimus verſioni.

Nulla verſiones nouatorum authentica.

II. *Modificationes quibuſcum noſtra auctoritas verſionis accipienda*, ſunt potiſſimum quatuor, è quibus 1. ad enunciationis huius Latina verſio eſt authentica, ſubiectum pertinet: ad prædicatum reliquæ. 1. vt verſio hæc ſit emendata, vel potius emendatiſſima. 2. vt nihil, quod veritati, ac fidei, boniſque moribus repugnet, habeat. 3. nihil item, quod iuſtum vlli opinionis cuiuscunque noxiæ aut inutilis occaſionem præbeat. 4. vt in ipſo verſionis genere bona ſit: id eſt, primogenium textum vertat: eiusque ſententiam reddat. Probantur ſingulæ.

I. Ex ſuperiore q. 10. Sed addidi iam, *vel potius quam emendatiſſima*, quia ſuperlatiuũ quo editionem hanc imprimi iubet Trid. Synodus; aduerbium *emendatiſſime*, de ipſa ſe loqui oſtendit, quatenus emendatiſſima eſt, ob Paronomy miam ſc. atque à cõiugatis argumentum. Ideoq; Andradius lib. 4. fol. 257. Kemnitii, qui *multa enumerat errata*.

errata, quæ pro diuinis oraculis contendit nobis à Tridentinis Patribus obtrudi, vafriciem ac malitiam arguens subiungit: *Neque enim potuit non illam decreti partem perlegere, qua S. Synodus statuit, vt posthac Sacra scriptura potissimum hæc ipsa vetus & vulgata editio, quam emendatissima imprimatur; vt demonstraret illam à se vulgatam editionem solum approbari, quæ ab omnibus sit erratis summa diligentia expurgata.* Et fol. 257. *Cum ab Apostolica sede veterem vulgatam Latinam editionem quam emendatissimam acceperimus, omni erimus cura atq; dubitatione liberi.* 2. Ex consentiente multorum, qui citati sunt Theologorum, & eorum quidem, qui ferè omnes contra hæreticos depugnant; explicatione, ac vt dictum est, ex ipso decreti scopo & verbis. 3. Indidem. 4. Ex ipsius, quę agitur hic, rei natura. Versionem enim aliquam approbare, aliud nihil est, quam iudicare ab ea bene reddi, quod alia lingua scriptum erat. Adeo vt fieri possit, & sæpè quidem fiat, librum aliquem aut epistolam lingua, quapiam scriptā esse authenticam, eius verò translationem non: & è contrario, librum aut epistolam non esse authenticam: versionem vero esse. Gregorius de Valentia lib. 8. Analyseos, cap. 5. *Esse*, ait, *versionem aliquam authenticam, nihil hoc loco aliud est, quam esse eam omnino in sententia conformem scripturæ originali.* Esse autem superioribus hanc adiungendam explicationem patet. Quia vix alioquin aliquid amplius vulgatæ versioni nostræ tribueret Synodus, quam eorum, qui Catholicorum censent libros, bona & accurata tribuere solet censura. Ex hac porrò explicatione quemadmodum & citato loco Gregor. de Valentia, sequitur à cōcilio declarari hic auctoritatem versionis nostræ diuinam esse, ob causam nimirum quæ c. 11. q. 2. exposita est. Dico autem semper in positiuo, *benè*, & *bonam*, quia de comparatione in seqq. agetur quæstionibus, vt in superioris quæst. extremo dixi.

Quid sit versionem probari.

Vnum verò præter ea, quæ ſuperiore obiiciebantur quæſtiuncula, *occurrit, quod obiici poſſit.* Editæ ſunt nuper hoc anno 1608. Francofurti declarationes Tridentini concilii. In earũ principio ad ſeſſ. 4. ita legitur: *Acriter reprehendendus eſt Vega lib 15. c. 9. de Iuſtificat. qui tam audacter locutus eſt de hac re.* Sed Reſpondeo. Iſtiuſmodi declarationum, ſiue Iudicum ſententiæ, ſiue doctorum opiniones, ſiue ſapientum reſponſa, ſiue huiuſmodi aliud quippiam ſit, auctoritatem, vti par eſt, reuerendo; dubitari poſſe an abſq; deprauatione ac mendo editæ ſint. Nam neq; in verbis proximè antecedentibus Grammatica ſatis bona eſt: neque quod iis aduerſetur, affirmare quicquam eo loco videtur Vega. Deinde Typothetæ, operæq; aliæ ac iſtarum herus hæretici fuerunt. Et iſte in ſua ad Lectorem præfatione ſubindicat aliquid alicubi prauum eſſe, quod in ipſius tamen exemplaris intricatam manum conferat. Et vidi ipſe declarationes eaſdem manuſcriptas, in quibus horum nihil eſſet. 2. Declaratio iſta eſt ad ea, quæ decretum, quod tractamus; antecedit, verba, cum omnibus ſuis: declaratq; libros Bibliorum integros cum omnibus ſuis partibus ꝓ ſacris & canonicis habendos. Addit enim: Etiam quod ſola periodus, ſola clauſula, vel ſola dictio, aut ſyllaba, iotaue vnum, quod repugnaret vulgatæ Latinæ editioni. At hoc totum non modo nos, ſed & Vega ipſe de emẽdata ſeu emendatiſſima verſione libenter fatetur. De eiuſdem ergo verſionis magnitudine pergamus porro per comparationem diſſerere.

CAPVT XI.

An ſectarij poſſint habere vera Biblia?

Qui valde aſſeuerãt, valde errare ſolẽt.



IMIVM amando quidam nocent, multo magis nimia amoris ſimulatione id agunt hypocritæ; nam noſtri miniſtri quotidie clami-

clamitando, purum verbum Dei, fontesq; puros Hebraici, Chaldaici, & Graj sermonis: iam eo peruenerunt, vt si vera sunt, quæ contra nos dicunt, necesse sit eos omnino biblijs carere. Ratio mea ista est.

Quicunque hactenus nulla biblia authentica in suis Ecclesiis legerunt, vel audierunt, illi Dei verbum suo iudicio non habuerunt: nam de ratione seu essentia verbi diuini est, τὸ αὐθεντικὸν, imo vt etiam prosit animabus, necesse est cognosci & amari vt authenticum, & verbum immutabilissimæ veritatis. Sed in Ecclesiis Euangelicis nulli hactenus authentica biblia habuerunt, quibus secundum suam doctrinam tanquam authenticis credere potuerint: non ergo biblia habuerunt, imo nec manente sententia habere possunt. *Sectarij nō habent authentica biblia.*

Maior propositio consensu datur, minorem probo.

Primò. Non hebræam, non græcam, non latinam, non alterius versionis habent, nullam igitur scripturam, quam pro authentica agnoscere possint, vnquam habuerunt. *Non hebræam,* quia primum exemplar originale à Mose aliisq; scriptoribus editum non viderunt, apographa tantū longa serie ad nos translata acceperunt, illa fideli manu, & non errante calamo exscripta esse, certo cognoscere nō possunt. Neq; enim ex ipsa scriptura possunt certo statuere, hoc est enim τὸ κρινόμενον, quodq; in controuersiam trahitur, an scriptura quæ se diuinam appellat, reuera talis sit, & an hoc emendate scriptum sit exemplar. *Hebræum exemplar authenticum non habent.*

Zwinglius nempe, & alii *Apocalypsin* diuinam esse negarunt: verbis illis quibus prophetia inchoatur, *Apocalypsis Iesu Christi, quā dedit illi Deus,* falsa, & impostoria iudicarut, qui Apocalypsin repudiarunt. Nunc admittunt, non quia verba illa libro prætexuntur, quę Caluinianos, & Lutherū non permouerunt, sed alias ob causas: vt scilicet pontifici Romano

Romano maledicant. Sed iam de fide notariorum, & librariorum loquor, & quæro, quo argumento ducti sibi persuadeant recte exscripta esse: Non ex scriptura, nusquam enim testatur, se per duo vel tria annorum millia inter tot hæreseon fraudes, iactationesq; ad nos illæsam, incontaminatamque peruenisse.

Nec cognosci hoc potest, ex priuato spiritus instinctu ad Ecclesiæ ædificationem. Ratio manifesta est, quia licet mentem illustrare Deus, & reuelare arcana sua possit, non tamen alienæ mentis certitudo ex occulto instinctu obsignatur, quur enim credam illis, qui Enthusiasmos, & instinctus suos mihi obtrudunt? verbum Dei quæro.

Nullam scripturã authenticã habent.

Neque ad rem facit primitiuæ Ecclesiæ attestatio, quia humanum est testimonium & fallax, vt illi volunt, nec de sequentibus exscriptoribus iudicare potuit.

Quod si omnem sibi viam præciderunt, quâ ad certitudinem scripturæ primogeniæ peruenire possent, multo minus de vlla versione certi sunt: atq; id sanè fatentur ipsimet. Lutheri superius verba citaui, dicentis: **Jch kan weder Griegisch/ noch Hebraisch.** *Nec Græcè, nec Hebraicè scio.* Si verum dicit: sine verbo Dei docuit: nam eius discipuli & Caluiniani solam Hebræam scripturã, & Græcam authenticam aiunt. Ita Scharp. conc. 2. de script. & Chamerius libello contra Iacob Suaresium pag. 12. profitetur nolle se vlli bibliorum versioni stare, sed tantum natiuis linguis, Hebraicæ quidem pro veteri, Græcæ autem linguæ pro nouo testamento. Merito autem versioni nulli fidunt, nullam enim non vitiosissimam habent, ita rex Angliæ in collatione Hamptoncurianâ: *Edendam omnino esse aliquam vniformem Bibliorum translationem, quod, Anglicam hactenus bonam vidisset nullam, omniũ vero pessimam iudicaret Geneuensem, eiusque notas ad marginem adiectas censeret partiales, falsas, seditiosas, periculosiq; ac peruersissimi ani-*

Versio Anglicana.

mi animi machinationes nimium redolentes. Sic autem edendam, vt post duarum Vniuersitatum laborem, post Episcoporum ac doctiorũ clericorum reuisionem, consilio priuato offeratur, & à Rege demum authoritatem accipiat, vniuersaque Anglicana Ecclesia ad eam vnam amplectendam adigatur.

Cum igitur multi versioni vt authenticæ stare possint, & versiones suas sibi mutuo tanquam erroneas obiiciant, nec ad fontem omnes recurrere possint, omni auxilio destituuntur: Nam quotus quisque est ita gnarus Hebrææ, vt ex certa scientia de puro fonte hauriat: cætera turba è cænosis, & varia hæresi venenatis riuis potatur. *Ignarus hebrææ & Græcæ linguæ ex sententia aduersariorum incertus est salutis.*

Non concedo hoc illis qui biblia vertere se ex Hebræis confessi sunt, quod vnius hominis esse negat Beza in præfatione ad nouum testamentum. Nam quamuis sibi eruditi videantur, cum tamen nati hebræi non sint, cum vtãtur glossis, lexicis, interpretationibus Rabbinorum, nisi putent se memoria, iudicioq; posse falli, omnium sunt hominum vanissimi. Lutherus post annos prope 20. fassus est, *Santem, Munsterum, se, crebro errasse, quod glossis Rabbinorum nimium crediderit.* Munsterus ait, *plurimos versus omissos in Sante, sicut & recognitione Lutheri.* Versionem suã ille aliquoties recognouit, sannis eam Tigurini exceperunt, Osiandrini aiunt loca scripturæ à Luthero magna falsitate, & dolo interpretata, in confess. Mansfeldica. *Versiones hæreticorũ* *In præf. bibliorum.*

Non sunt illi certi de suâ propriâ versione, eam esse scripturæ, nisi insanissimâ arrogantia fidem suam vltimo resoluant in accuratissimam quatuor linguarum Hebrææ, Chaldeæ, Grææ, Latinæ cognitionem.

Secundo argumenta quæ contra veterem editionem inualida sunt, in hæreticos conuertere, & retorquere valide possumus. Statuamus igitur aliquem ex quacunq; religione harum quas nominaui linguarum magna ex parte ignarum, salutis tamen cupidum, veritatis studiosum: *Nulla hæreticis est authentica.*

Huic Biblia Germanica offeramus, ex verbo Dei vt discat veritatem. Si Lutheri, vel Tigurinorum illa fuerint: dicet Scharpius, de sacra scriptura controuers. 2. colum. 27. Si hæc versio est authentica, vel propter interpretem Lutherum, vel propter approbationem Ecclesiæ, vel quia cum hebræo textu conuenit. Non prius, quia ne Lutherus quidem authenticam putauit. Nec approbatio Ecclesiæ, quia non potest facere canonicam ex non canonica. Multo minus, quia cum Græco vel Hebræo conuenit, quia id ille iudicare non potest, sed credendum est Lutherano alicui ministro, qui forte nec ipse est hebræus, nec Græcus. Quid si autem Matthesio ille credat, Lutheri versionem pro cōcione cedenti virgis, & dicenti: *discas melius*.

Biblia Lutheri virgis cæsa.

Deinde nulla ergo hactenus Biblia habuimus nisi sola Hebræa, & Græca. Nulla igitur fuit Ecclesia iuxta Sectarios Lutherana vel Zwingliana. Nam vnum mihi ostendant, qui Biblia Hebræa, & Græca intellexerit, & suæ religionis fuerit. Quid igitur huic facies, an ad Grammaticas Scholas Græcorum, Latinorum, & Hebræorum ablegabis? Hoc sane frustra fuerit: sed tamen nulla est authentica scriptura, si versio septuaginta Græca, si Latina reiiciuntur: nam Hebræa à nullis fere Christianis, nisi paucissimis intelligebatur: aduersarii autem nostri, sola scriptura, sola Hebræa veteris, & Græca noui testamenti vtendum censent: quæ quamuis authentica sit, nō tamen id constare potest, illis qui codices hebræos nunquam viderunt. Falsum est, inquit, Scharpius, *Græcam Ecclesiam vetus testamentum habuisse authenticū in lingua Græca*. Deinde ait. *Vera Ecclesia debet habere, & habet adhuc viros, qui has linguas intelligunt: licet Romana forsan Ecclesia nullos aut paucos*. De Romana Ecclesia alias videro, nunc illa verba examino.

Ecclesiæ nescientes hebraice, & Græce non habēt authenticam scripturam.

Vera

Vera Ecclesia debet habere gnaros Græcæ, & Hebrææ linguæ? An si non habeat: eritne vera Ecclesia? si asseris, quid fiet tot vestris Ecclesiis, quibus præsident quadrati prædicantes, sartores, alii quos nominant toties Arminiani in Belgio. si concedis fore Ecclesiam sine Græcis, & Hebræis prædicantibus, necesse est etiam statuas eam fore sine scriptura, quæ cum sit sola verbum Dei, erit Ecclesia Dei sine verbo Dei. Quod est absurdissimum. At Germanicum aut Britannicum verbum habeat. Nihil ad vestras imaginationes hoc facit. Scriptura Germanica aut Britannica nulla est authentica, omne verbum Dei est authenticum, ergo nulla scriptura Germanica vel Britannica est verbum Dei.

An sit vera Ecclesia in qua non sunt docti, hebraicè & græcè.

Quid scriptura hebræa si non intelligitur?

Omnem ergo fidem necessario tollunt ab idiotis, qui tam multa credere coguntur, quorum certi esse non possunt. Primo libros esse scriptos à prophetis, 2. Recte exscriptos, 3. Bene conuersos, 4. Hæc ex scriptura clare doceri, 5. Talem instinctum se habere, qui non fallat. Horum singula plurima continent: Videlicet interpretes linguarum doctissimos fuisse, diligentissimos, eorum notarios fidelissimos, & licet multi errarunt, in versione suos tamen non errasse. Biblia igitur vertendo euertunt, idque efficiunt, vt nihil sincere credatur, sitq; pro fide curiositas, & contentio.

Notauit id Beza in 10. act. in digressione. *Nam eo res iam deuenit, vt non modo qui ex ingenio aliquid commentantur, à consuetis, & familiaribus Scripturæ verbis, tanquam obscuris, insipidis, obsoletis abhorreant: Sed iam qui scripturam è Græco conuertunt in Latinũ, aut aliud aliquod idioma, quiduis sibi in interpretando licere putent. Quos si reprehendas, statim audies, interpretis officio fungi, non qui verbum conuertat è verbo, sed qui sententiam exprimat. Ita fit vt dum quisque*

ſuum iudicium libere ſequi mauult, quam religioſè Spiritus Sancti interpretem agere, plurima non tam conuertat, quam peruertat. Cui libidini & audaciæ niſi occurratur, ne aut ego vehementer fallor, aut intra paucos annos paulatim ipſarum quoque rerum poſſeſſione depellemur. Non itur obuiam illi libidini, ſed gloria, præmijs, & infidelitate accenditur, ideoque iam ipſa rerum poſſeſſione depulſi ſunt.

CAPVT X.

An de Bibliorum auctoritate, & interpretatione nos rectè accuſent iubilantes.



CCVSATIONES graues ante protuli. Scharpius antiqua mendacia refricat controuerſia ſexta.

Eckius citatur quaſi dicat *ſcripturam non eſſe authenticam, niſi Eccleſiæ authoritate.* Deinde Hermannus quidam à Pareo, à Scharpio, ab aliis producitur, quaſi dicat *ſcripturas non plus valere, quam Æſopicas fabulas, ſi deſit auctoritas Eccleſiæ.* Sed Eckius loquitur de Bibliis quoad noſtram cognitionem, Hermannus ille nuſquam eſt, nuſquam fuit, niſi in eorum cerebro, qui ſibi hoſtem finxerunt, vt vincerent, & magna tamen pars iubilantium tanquam niue ſua cõmenta texerunt hac fabula. Verum vt hac quoque parte veram ſtabilemque catholicorum fidem animaduertant, paucis rem exponam.

Summa eſt Eccleſiæ vtilitas. Propoſitio prima. Auctoritas ſacræ ſcripturæ ſumma eſt, à Deo efficienter, in ſe formaliter ob veritatem, quæ eſt vocis, & rerum, ſiue ſigni, & ſignificatorum conformitas. Hac in re cautiores non diſſentiunt à nobis, niſi quod Caluinus aliique nonnulli, quædam falſa, & mendaciola illi imputent, vt paulo ante docui.

Propo-

Propositio secunda. Vt veritas aliqua cognoscatur atque approbetur, non satis est eam esse in se ἀξιόπιστον, ex se habere firmitatem, & dignam creditu esse, sed necesse est etiam, vt idoneis testibus, atque instructione doceatur. Tres sunt in deitate personæ: Orbis conditus est per sex dies, homo lapsus est, diluuio orbis oppressus est: Hæc certa sunt, sed vt credantur, non sufficit certa esse in se, opus est, vt ignorantibus, dubitantibusque illa certitudo exponatur. Hæc quoque ad ipsa Biblia accommodanda sunt. Nam quemadmodum credo Mosen eduxisse populum ex ægypto, legem promulgasse in monte Sinai, ita quoque credo eum libros illos, qui vocantur Mosis, scripsisse. Eadem enim fide librorum veritatem, & historiæ amplector: Id vero non ab ipsis sufficienter bibliis, quia ex natura rei non cognoscitur historia, nec audita creditur, nisi sit ratio aliqua, quæ nobis eius persuadet veritatem. Errat igitur Robertus Rollocus, & Caluinus, & Pareus, & feruor iubilantium; Cum negant opus esse alio quopiam vt scripturas discernamus, *sicut solem cognoscimus & tenebras à luce discernimus, album à ingro, sapores suaues ab amaris.*

Auctoritas scriptura cognoscenda est.

Si quis enim ignaro memoret Mosaicam historiam, aut legat eam, nonne adhuc dubitabit de veritate historiæ, ac proinde de fide libri quo continetur. Apocalypsin reiecerunt Caluiniani, nunc probant, an ergo priores cæci fuerunt, an solem à tenebris non distinxerunt? Et si in re αὐτοπίστῳ, natura sua notissima, & clarissima, & causa lucis illius, quæ est in Ecclesia, & cordibus hominum erraruut, cur illis adhuc manet auctoritas apud errantes?

Propositio tertia. Auctoritatem scripturæ quoad homines Deus primo dedit illi, cui reuelauit, vt certo

cognoſceret, à Deo ſe illa habere. Deinde ille populo indicauit, miraculiſque firmauit: hinc Eccleſia quæ tum fuit, recepit, & poſteris tradidit: Eccleſia, hoc eſt cœtus, qui Dei ſpiritu regebatur. Hinc illud Auguſtini eſt: lib. contr. Epiſt. fund. cap. 5. *Ego vero Euangelio non crederem niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoueret auctoritas.*

Ratio credendi eſt reuelatio.

Propoſitio quarta. Scripturæ auctoritas, & Eccleſiæ creditur à nobis ſub hac formali ratione, quia Deus reuelauit, præter illam reuelationem ſunt motiua credendi, quæ inducunt nos vt euidens ſit rem prudenter credi poſſe, non ſunt tamen ipſa ratio credendi, ſed motiua duntaxat, quæ poſſunt ita proponi alicui de ſcriptura, vt eius auctoritatem credat, quamuis expreſsè de Eccleſiæ auctoritate non cogitet, implicitè tamen creditur auctoritas Eccleſiæ etiam in hoc actu.

Eccleſia eſt obiectum fidei, & motiuum.

Propoſitio quinta. Eccleſia non modo eſt obiectum cognitum, ſeu obiectum fidei creditum, vt eſt in Symbolo, *credo Sanctam Eccleſiam Catholicam*, Sed vnum etiam ex motiuis: Eſt vero antiquior, notiorque quam ſcriptura, ideoque eius auctoritas in credendis ſcripturis plurimum momenti habet. Ea tamen neceſſaria non eſſet, ſi alia eſſent argumenta, quibus perſpicuè, & ſine falſi ſuſpicione Bibliorum auctoritas probaretur. Verum id fieri non poteſt: quomodo enim non modo Indi occidentales legendi ignari, ſed Iapones etiam, Chinenſesque continuo omnes bibliorum libros perlegere, eorum auctoritatem cognoſcere poſſunt: imo quomodo Hebræam & Græcam linguam addiſcere, qui pronunciare non poſſunt.

Scripturæ auctoritas maior, quã Eccleſiæ.

Propoſitio ſexta. Scripturæ auctoritas in ſe eſt maior abſolutè quam Eccleſiæ. Quia tota, omneſque eius apices ſunt à ſpiritu ſancto: at in Eccleſiæ definitionibus, ſententia tantum quæ definita eſt, à ſpiritu ſancto

eſſe

esse creditur, disputationes antecedentes, rationesque, non sunt de fide, verba etiam non necessaria & superflua esse possunt. Deinde, scriptura à prophetis, sanctis, sapientissimisque tradita est, sine meditandi, studendi, disputandi labore, cœlesti penitus magisterio scripserunt, miraculis confirmarunt. Denique omnia, & singula scripturarum sunt certissima, siue de fide, & moribus generatim agant, siue de rebus singulis, præteritis, futuris. At Ecclesiæ definitiones illæ, solum fide creduntur, quæ sufficienter propositæ sunt, & generales sunt, quæque ad fidem, aut mores faciunt.

Propositio septima. Cum igitur Conciliorum, Summi Pontificis, vel vno nomine Ecclesiæ auctoritas, à quibusdam æquatur scripturæ. Tantum de illorum decretorum veritate intelligendum est, sic accipienda verba Diui Gregorij libro primo Epistolarum vigesima-quarta. *Sicut sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia venerari me, ac suscipere fateor:* vbi particula *sicut* est similitudinis, non æqualitatis. Vt Bellarminus & Serarius in proleg. docet, cap. septimo quæstione duodecima. Nec offendi quisquam hac propositione debet: nam rectè Sanct. Athanasius Epistola ad African. Epis. *Verbum Dei, per œcumenicam Nicæa Synodum manet in æternum.* Spiritus enim sanctus assistit Ecclesiæ suæ, eandemque gubernat in æternum. Nec mirum videri debet vlli hominum Ecclesiæ auctoritatem esse constanter veram, nunquam fallacem, cum illos, qui eam aspernantur, videamus totum suæ propriæ auctoritati tribuere, quod Ecclesiæ abstulerunt. Nam priuato instinctu certos se esse profitentur? Si cuiuslibet ideotæ tanta est in suo sensu certitudo, cur eam Ecclesiæ negant? cum Deus ipse testetur, verbum Ecclesiæ esse verbum Dei?

Decreta Ecclesiæ quædam æquantur scripturæ.

quique

Ecclesia verbum est verbum Dei. quique illud contemnunt, Deum ipsum respuere. Matth. 16.18. & 18.17. Luc. 22 32.

Propositio Octaua. Ecclesiæ auctoritas aliquo respectu quoad quosdam homines est maior quam scripturæ. Hoc nemo mirabitur, qui animaduerterit, simile aliquid in omni secta. *Ecclesiæ auctoritas aliquo aliquando respectu maior est quã scriptura.* Primo Ecclesia scripturã credendam proponit, exponit, & quo potest modo auctoritatem illius probat Catechumenis, qui Ecclesiæ proponẽti credunt, estq; eius auctoritas euidentior, quam scripturæ, cuius multas partes illi ignorant. Lutherani pluris suam Ecclesiam faciũt, quæ Epistolam ad Hebræos, & Iacobi reiicit, quam verbum Dei, vt Caluiniani testantur. Est vero id omnino illis necessarium, vt constat ex antedictis: Cum enim pleriq; exemplaria Hebræa, & Græca non habeant, & vix vllus sit, qui omnia ad primæuas linguas examinarit, nullus omnino qui ἀντίγραφα legerit, credunt suis Ecclesiis, Lutherani sua biblia recte aiunt versa, & damnant, Tigurina, Caluiniani è contrario damnant Lutherana, & suis credunt.

CAPVT XI.

An scripturæ auctoritatem vllam ex suis principijs possint agnoscere aduersarij?



OSTENDI varie id eos facere non posse. Nunc videamus, quid illi, qui de scriptura gloriantur, hoc anno scribant. Scharpius Conc. 6. Quatuor officia Ecclesiæ de scriptura recenset. *Ecclesiæ officia circa scripturas.* Primo, *est testis, custos, tabellionis instar. Secundo, vindex, quia falsas à veris discernit vt aurifaber aurum à cupro, quia ad hoc spiritum Dei habet. Tertio est præco scripturæ. Quarto, Interpres, sed vt scripturam ex scriptura interpretetur, nihil de suo immiscendo.*

Quatuor

Quatuor item media ſcripturæ cognoſcendæ. Primum, *eſt ipſius ſcriptura vel Dei in ſcriptura loquentis teſtimonium*. Secundum, *inſtinctus priuatus*. Tertium, *doctrina ſubſtantia, qualitas, forma docendi, euenta miracula, Satana aduerſus illam furor, hoſtium pœna*. Quartum, *Eccleſia teſtimonium*. Hoc pertinere ait ad eos, qui ſunt extra Eccleſiam, priora teſtimonia minimè, fideles ex prioribus teſtimonijs certius cognoſcere ſcripturæ auctoritatem, ſed præcipuè ex teſtimonio Spiritus ſancti.

De officijs vno ſyllogiſmo rem conficio, Eccleſia eſt cuſtos, teſtis, vindex, præco fallax iuxta Scharpium, nõ ergo habet Spiritum Dei ad dijudicãdum libros germanos, & genuinos à falſis, & ſuppoſititijs, quemadmodum prima Eccleſia Caluiniana non rectè de Apocalypſi iudicauit, quum eam Chriſti ſponſi vocem eſſe negauit, illa igitur officia non rectè conſtituta ſunt. Ex hiſce igitur nihil certo præſtat Eccleſia.

Officia Eccleſiæ de ſcripturis nulla poſſunt eſſe apud ſectarios.

Media quæ proponuntur, fidem ſcripturarum apud illos penitus euertunt. Primum ait eſſe ipſius ſcripturæ, id eſt, Dei in ſcripturis loquentis teſtimonium, per quod primi motus in cordibus excitantur. Hoc teſtimonium à ſecundo, hoc eſt, teſtificatione ſpiritus diuerſum non eſt, aut ſi diuerſum eſt, nihil efficit.

Si enim motus excitat credendi, id neceſſe eſt teſtificando efficiat, de qua teſtificatione poſtea loquar, quia enim plura continet, in poſtremum locum differam. De tertio medio nihil certum eſt. Nam primum, *ſubſtantia doctrinæ*, ait Scharpius *in ſcripturis contenta omnem terrenum captum ſuperat*; 1. Corinth. 2.14. Non igitur ex ſubſtãtia poteſt probari ſcripturæ auctoritas, quia nondum intelligitur à Catechumenis, deinde multæ eius partes non intelliguntur à valde peritis. Tertio, quædam neſciuntur etiam à peritiſſimis, ex illis igitur quæ in ſcriptura continentur,

Ex ſubſtantia doctrina non poſſumus penitus eſſe certi.

nentur, non poteſt certo eius auctoritas cognoſci, niſi omnia quæ in eo ſunt, accurate intelligantur, etſi enim quædam veritates perſpicuæ ſint, multæ tamen recondi-tæ manent, quæ probari non poſſunt incognitæ. Ille igitur modus eſt difficillimus, longiſſimi temporis, & vt certè iudico, hoc tempore ἀδύνατος; quomodo enim quiſpiam totam ſcripturam, hoc eſt omnia illius myſteria ἐναντιοφανῆ, inter tot millia pugnantium interpretum ita diſſoluet, nulla vt in re hæreat? Id autem neceſſe eſt facere, ſi ex illis quæ in ea continentur auctoritas ſcripturæ dependet. Nam vt dicat quiſpiam de libro Heracliti, aut aliorum σκοτεινῶν: quæ intellexi præclara ſunt, puto & illa eſſe quæ non intellexi, facile permitto, de ſacra ſcriptura ita loqui illi non poſſunt, qui ex perfecta eius intelligentia eius auctoritatem colligunt.

Totum approbare nō poſſumus ex ſubſtantia doctrinæ, quod non intelligimus.

Addit Scharpius, *à puritate, quia nihil vitioſum continet*; Veriſſime credo nihil vitioſum continere, ſed, vt ex eo de auctoritate ſtatuam, opus eſt, vt omnes eius partes, ac membra non modo perſpectiſſima habeam, ſed etiam cum Hebræis, Chaldæis, Græcis exemplaribus, & quidem diuerſis omnia conferam. Nam vt de hac maiore nihil dicam: Quicunque liber nihil vitioſitatis continet, eſt diuinus; minorem hanc ſine ingenti cognitione nemo ſibi perſuadebit. Hic liber nihil vitioſitatis continet; probanda eſt enim inductione, nec hæc, nec illa pars vitioſitatem continet. Nam probanda eſt ex illis quæ continentur, at hoc modo nemo probare poterit, niſi qui ſummo ingenio, longiſſima ætate, quietiſſimo ocio, adamantino labore ei inſudant. Demonſtro hoc exemplo quod mihi Scharpius ſuppeditat. Eccleſiam probare, & diiudicare ſcripturas, vt aurifaber aurum, at ſi aurifaber centena aureorum millia vno vaſe contentorum explorare, & pro-

Nihil vitioſitatis eſſe in ſcripto aliquo difficulter cognoſcitur.

probare debeat, ex illis ipsis quæ vase continentur, non alieno testimonio certe singulis lydium lapidem atterere oportet, neque enim sciet nullum aureum adulterinum esse, nisi postquam singulorum δοκίμια perceperit.

Omnes partes eius quod probatur noscēdæ sūt.

Id inquam necessarium est, si ex illis quæ vase continentur sciendum est, nullum aureum esse vitiosum. Itaque qui hæc prædicant, homines etiam doctissimos ad desperationem adducunt, nec quicquam scripturis ipsi credunt, nec alios credere permittunt. Non ignoro ex eo quod nihil in scripturâ vitiósum ostendatur, credibile fieri eam diuinam esse, sed hoc, *nihil ostendi tale esse*, plerique testimonio Ecclesiæ adducti sentiunt, nec in experientia fundamentum fidei ponunt.

At rapit scriptura in admirationem: Ita est, sed rapiunt & alia nonnulla, grauiter, simpliciter, & bene, vereque dicta.

Ex illis quę in scripturis sunt, *consonantiam* etiam medium esse affirmat, sed experientiâ suâ nemo illam cognoscit, nisi omnia cum omnibus conferat. Miracula, pœnæ, iræ hostium contra scripturam, eam credibilem faciunt, certissimos sectarios facere non possunt, quia multæ scripturæ carent miraculis, nec pœnis hostium sancitæ sunt.

Consonantia scripturæ magnā exercitationem requirit.

Sed his tandem omissis in quibus nec ipsi multum præsidij ponunt, arcem omnium hæreseon, & latibulum inuadamus, illud est, *Instinctus cuiusque priuatus, qui facit, vt quisque nouerit quæ scriptura sit canonica, quæ non sit.*

Verum dum hoc rei caput ponitur, miseris animabus desperatio inijcitur; & scriptura euertitur. Nam primo, quomodo idiota instinctu suo discit, hanc esse scripturam ex hebræa in Gallicam linguam bene

Instinctus priuati nulla est ratio probabilis.

translatam, qui Hebræam nunquam vidit. Deinde, si sufficit ille instinctus, quid opus est alijs criterijs & argumentis? Tertio, ne docere quidem possunt, qui instinctibus illis vtuntur, nam intimo latet ille abditus pectore, nec in aliorum venit cognitionem. Quarto, diuersus est, Castellio cantica canticorum reijcit, alij alios, quisque prout Enthusiasmus dedit. Quinto, Instinctus circulum habet, Vnde credis scripturæ, quia eam veram esse testificatur spiritus, vnde scis hanc esse veram testificationem, quia scriptura ita asserit. Sexto, Blasphemia est, ex suo instinctu verbi diuini auctoritatem ita comprobare, vt tandem in tuum iudicium omnia resoluas: Hæc enim ratio omnibus hæresibus ansam, & prætextum præbuit. Fatetur etiam, Scharpius non omnes Ecclesias quæ habent spiritum Dei, consentire de scriptura. Denique disputando tandem inuiti in nostram sententiam delabuntur, & nomine scripturæ doctrinam etiam non scriptam accipiunt. Scharpius enim ne scriptura antiquiorem Ecclesiam fateri cogatur, cum manifesto constet sola traditione primam Ecclesiam contentam fuisse. ita scribit colum. 63. *In prosyllogismo est captio homonymiæ in nomine scripturæ: Sumitur enim aliquando nomen Scripturæ, pro Scripturæ substantia, & re scripta, h. e. Dei verbo: & tum nihil aliud est quam doctrina θεόπνευστος: aliquando pro huius doctrinæ accidenti, scil. scriptione, & exaratione in libris. Primo sensu Scriptura est antiquior Ecclesia, sicq; Propositio est falsa: Scriptura enim, seu verbum Dei, est Ecclesiæ fundamentum: Ephes. 2. 20. At fundamentum est antiquius ædificio: ita scriptura est Ecclesiæ semen, Matth. 13. 1. Petr. 1. 23. At semen sobole illa, cuius est semen, antiquius est: Denique hoc idem verbum quod iam scriptum fuit, tunc non scriptum.*


Si scriptura est traditio non scripta, & scripta, nō ergo lis inter nos esse potest.

Vbi aperte scripturam vocat verbū Dei non scriptum, quod cum postea scriptum est, non statim vniuersum, potuit

tuit tamen à multis non scriptum retineri. Sed hac de re mentio erit cum de traditionibus agetur.

CAPVT XII.

An vere dicamus scripturas esse difficiles?



LARISSIMAM esse scripturam docere solent Sectarij. Ioannem Fayium ministrum Albenacensem dixisse in concione refert Iacobus Gaulterius in tabulis Chronographicis, sęculo 1. c. 4. *Nullum esse opificem, qui modo legere norit, Euangelium non intelligat*. Iacobus Martini in thesibus Iubiliarijs thesi 91. *Abstinete ergo vos Pontificij, & cumprimis vos Iesuitæ, à fœdissimo vestro coccysmo, quo non tantum sacras scripturas, obscuras, difficiles & intricatas esse clamitatis, sed etiam ita ambiguas, & flexiloquas calumniamini, vt instar nasi cerei flexibiles, nullam præbeant certam, constantē & immotam sententiam, imo multorum errorum, eorumq; grauissimorum, latibulum eas blasphematis*. *Scriptura difficilis.*

Et 92. *Admittite quoq; Laicos ad Sacrarum literarum lectionem. Quid dico admittite? Quum non tātum admissi sint à Domino ipso, sed etiam ad illam inuitati, certisq; mandatis adstricti vt ab eadem nō nisi summo cum sacrilegio arceri poßint.*

Cæteros recensere superuacaneum fuerit. Soli qui hoc anno iubila concinnarunt, vel adiuuerunt, aliud senserunt Pareus, & Scharpius. Pareus in Apocalypsin hoc anno vltimum maledicentię opus edidit, nam sacrum χαριστήριον supremum nominauit, in quo fatetur Apocalypsin difficilem, primo in commonefactione: *Filijs se illam in peculio relinquere, præsertim; quod sentiret se altitudinem mysteriorum nondū attigisse, neq; satisfacturum alijs, qui ipsi in multis non satisfecissent, iudicia interpretum magis exquisiuisse*. Petit et- *Pareus difficilem fatetur Apocalypsin.*

tit etiam veniam pro non inuestigatis. Sequitur Clemãgem hominẽ suspectę fidei, à Luthero suspectissimo fictũ. De obscuritate tractat c.3. proleg. De obscuritate, inquit,
Lib. 20. de C. D. c. 17. Apocalypseos scribens Augustinus: *In hoc*, inquit, *libro cuius nomen est Apocalypsis, obscura multa dicuntur, vt mentem legentis exerceat, & pauca in eo sunt, ex quorum manifestatione indagẽtur cætera cum labore, maximè, quia sic eadem multis*
Tom. 3. ad Paulin. cap. 1. *modis repetit, vt alia atq; alia dicere videatur, cum aliter atq; aliter hæc ipsa dicere inuestigetur.* Et Hieronymus: *Liber in Apocalypsi septem sigillis signatus ostenditur, quem si dederis homini scienti literas, vt legat, respondebit tibi : Non possum, signatus est*: Et postea: *Apocalypsis Ioannis tot habet sacramenta, quot verba. Parum dixi pro merito Voluminis. Laus omnis inferior est. In verbis singulis multiplices latent intelligentiæ.* Ita sanè est. Nam tum in omni scriptura sacra reliqua: tum verò in ista satis intelligenda humanæ mentis acies, nisi diuini spiritus illustretur radijs, magis cæcutit, quam oculi noctuarum ad lucem meridianam cæcutiunt. Obscuritatis verò huius non obscuræ causæ sunt.

Obscuritatis Apocalypseôs causæ.

Primo totus liber est propheticus de rebus futuris: *Scribe*, inquit Angelus, *quæ Vidisti, & quæ sunt, & quæ futura sunt*. Futura autem vt futura, quia nondum sunt in vllo sensu, vel omnino ignorantur, vel præcognita non tam intelligentia, quam spe concipiuntur.

Adde, quod hæc futura non apertis verbis enuncian-tur, nec temporum, locorum, personarum notationibus definiuntur. Sed tectis visionum ænigmatibus B. Ioanni scribenda reuelantur. Sunt quidem in Scripturis multæ visiones apertæ, mentis vel corporis oculis obiectæ, quomodo [c] rex *Balthasar* Vidit manum scribentem in pariete: [d] *Elisæus* vidit currus igneos circum se : [e] *Moses* vidit rubum ardentem ante se : [f] *Petrus* vidit linteum cum

Visionum differẽtia.
c Dan. 5. 5
d 2. Re. 6. 17.
e Ex. 3. 2.
f Act. 10. 11.

cum quadrupedibus demissum in terram: [g] *Paulus* vidit [g] Ac. 23. 11
nocte Dominum supra se stantem, &c. quæ difficultate magna caruerunt. Sunt vero aliæ visiones magis tectæ, quando dormientium, vel vigilantium mentibus imagines arcanum quid significantes exhibitæ leguntur: quarum mysteria nisi reuelarentur, obscuritatem haberent, humana indagine imperuestigabilem. Ex quo genere fuerunt somnia *Pharaoni*, & *Nobucadnezari* oblata: *Ezechielis* item & *Danielis* ac *Zachariæ* visiones, ad quas visiones Apocalypticas merito referimus. Et illorum quidem somniorum arcana Deus singulari bono non modo somniantibus reuelauit, sed ad omnium quoque intelligentiam scribi voluit. Visionum vero mysteria etsi prophetis seruis suis etiam patefecit, alijs tamẽ omnibus abdita reliquit, nempe vt profani quidem homines res tam obscuras semper fastidirent: pij verò ipsa obscuritate ad inuestiganda diuina mysteria magis excitarentur.

Et pag. 18. *Etsi vero ad intelligentiam omnium arcanorum huius libri difficulter & vix penetrare queamus, non debet tamen difficultas ab inuestigatione nos absterrere.*

Deinde c. 4. cum de interpretibus agit, concludit Apocalypsin à nullo intellectam. Verba eius sunt pag. 21. *Ex nostris vero seculo proximè elapso haud pauciores Theologi eruditione clari manum huic Libro admouerunt. Quibus omnibus tamen meo quidem iudicio facem prætulit Henricus Bullingerus Ecclesiastes Tigurinus, quem ferè secuti sunt alij, Dauid Chytæus, Alfonsus Cunradus Mantuanus; Franciscus Lambertus, Sebastianus Meyerus, Nicolaus Collado, Iohannes Foxus, Benedictus Aretius, Matthias Myricus, Augustinus Mardoratus, Petrus Artopæus, Franciscus Iunius, Daniel Tossanus. Et recens nouo hoc seculo Ioannes Napeirus Scotus, Thomas Bircktmannus Anglus, Raphael*

Pareus Apocalypsin à nullo ait intellectã

Raphel Eglinus Iconius, Conradus Graserus Francus, Iohannes Piscator, Matthias Hoe, Matthæus Cotterius Gallus, aliiq; mihi non noti.

Quorsum vero, inquis, ista tam multa? vt nimirum ostendam, quod institui, nihil de authoritate huius Libri diminui ex eo, quod insigniores aliquot Theologos ab eius interpretatione abstinuisse, obiectum fuit.

De interpretandi ratione, quam quisq; illorum tenuerit, atq; an effecerint tam multi, quod voluerunt & debuerunt: nimis longum foret explicare, & à præsenti instituto alienum. Vnum hoc fortè citra iniuriam omnium quis affirmauerit, id libro huic euenisse, quod de muliere in Euangelio sanguinis fluxioni obnoxia Marcus Euangelista scripsit, multa eā à medicis perpessam, nihil verò adiutā fuisse, sed potius in deterius venisse non tā forte medicorum imperitia, quā immedicabilis mali pertinacia, quippe cuius curatio illustrandæ gloriæ Christi reseruata fuit.

Nemo cohærentia de Apocalypsi scripsit iudicio Parei.

Dum enim tam multi suam quique ingenij vim rationemque secuti tam varia de ænigmaticis hisce visionibus protulerunt, pia quidem illa, vt arbitror, commenta, sed parum plerumque inuicem cohærentia, vel ad scopum mentemque spiritus quadrantia: factum est, vt cumulati quidem in hunc librum commentarij extent, quorum nullus non lucem nouam polliceatur. Obscuritas vero eius non modo parum sit imminuta, sed densioribus alicubi tenebris inuoluta. Alij enim ænigmata Reuelationis ad veteris populi historiam accommodant: Alij ad noua Ecclesiæ continuam periodum aliter atque aliter applicant: Alii in quibusque particulis, quasi sub quouis lapide, quod dicitur, aurum rimantes, mysticos sensus sibi effinxerunt: Alij omnia in tropologias & allegorias morales conuerterunt: Alij inde quasi ex Apollinis specu futurorum præsagia etiam supra,

quam

quam homines ſcire fas ſit, fatidicè ſcrutando eruere conati ſunt: vixque in tanto numero (quod de chronologis vulgo fertur) duos vel tres videas conſentire. Quæ perturbatio ſanè difficultatem libri tanta interpretum varietate nondum exhauſtam, ſed potius auctam implicatamq́; eſſe ſubarguit: non tam interpretum culpabili ignorantia, quam ipſius Prophetiæ imperueſtigabili ſapientia: cuius plena Reuelatio haud dubiè ipſius cæleſtis Iudicis Chriſti manifeſtationi eſt reſeruata.

Apocalyſis interpretatione facta eſt obſcurior iudicio Parei.

Hæc ille, qui alioqui prioribus ſcriptis facilitatem perſpicuitatemq; ſcripturæ thraſonice deprædicauit. Scharpius etiam difficultatis cauſas octo protulit, controuerſ. 7. Columna 72. *Concedimus autem multa in Scriptura obſcura eſſe reſpectu noſtri, quod Deus his de cauſis fieri voluit. Primo, vt ad diligentem lectionem, meditationem, perſcrutationem, collationem Scripturæ nos excitaret, & ne ſocordes in perſcrutandis ſalutis noſtræ myſterijs eſſemus. 2. Vt in precibus ſimus aſſidui, Dei auxilium ad illas intelligendas, & Spiritus Sancti lumen petentes. 3. Vt faſtidium à nobis remoueret: quia facilia ſæpius faſtidimus. 4. Vt maiori veritas apud nos in pretio ſit: ſi quidem τὰ καλὰ χαλεπά. 5. Vt noſtram arrogantiam domaret, & inſcitiam argueret, cum de noſtra notitia & nobiſmet ipſis nonnunquam multùm gloriemur, & triumphemus. 6. Vt ſancta myſteria ſanctis totidem gemmæ eſſent: neque porcis ſine diſcrimine proſtituerentur. 7. Vt ad internam quandam cogitationum ſanctitatem nos aſſuefaceret, qui enim impuras ad ſcripturæ lectionem mentes adferunt, oleum & operam perdunt.*

Cauſæ obſcuritatis ab hæreticis allatæ.

Horum, inter Iubiliarios προμάχων, ſententia ſi ſtetur, cæterorum, vt pedariorum, ſuffragatio cōtemnetur, ampullationes & phaleræ ad populum corruent. Scharpius enim tandem eo redit, vt quærat, an ita perſpicua ſit ſcriptura, vt populus eam vtiliter legere poſſit, & controuerſiæ valeant ex ea decidi. Illa, quæ ad ſalutem neceſſaria

R ſunt,

ſunt, clara, quæ non neceſſaria, obſcura plurima fatetur idem Scharpius. Idem columna 71. Quod nobis quædam obſcura videntur, cauſa eſt, quod ijs, quæ in Scripturis proponuntur, contenti non ſimus, ſed quædam curioſius, quam par eſt, inueſtigemus. Verum paucis quoq; hanc partem explicabo.

Scriptura in multis clara eſt.

Propoſitio prima. Scriptura ſacra in multis clariſſima eſt, nec eget expoſitione, ſi abſolutè, & obiter conſideretur, in alijs eſt obſcuriſſima, quocunq; modo perpendatur. De perſpicuitate planũ eſt, vt cum dicitur, *Concipies in vtero, & paries filium:* Si obiter conſideres, clarus ſenſus, ſi diſputare incipias, magnis te difficultatibus implicabis. De difficultate illa locorum facilium Lutherus Symp. c. 1. fol. 2. *In Scripturis, ait, vix ſcimus A. B. C. & adhuc non rectè. Fol. 3. Dei verbum eſt inſcrutabile, vnicum verbum ſacræ Scripturæ perſcrutari, & è profundo eruere, omnino ἀδύνατον eſt. Nego eruditos & Theologos, vt vel maximè velint, id poſſe. Quia enim Spiritus Sancti verba ſunt, & qui recens in Chriſto geniti ſunt Chriſtiani, habent primitias tantum, non decimas, volui aliquoties decalogum meditari, & quando prima illa verba conſideraui: Ego ſum Dominus Deus tuus; cæpi hæſitare in pronomine illo primo: Ego: & hoc Ego, nondum rectè poſſum intelligere.*

Eadem ſæpe difficilis.

Vniuerſim verò de Scriptura anno 1546. die 16. Feb. vt refert Aurifaber, illa ſcripſit, quæ omnibus prædicantibus os obtundant.

I. *Virgilium in Bucolicis nemo poteſt intelligere, niſi fuerit quinq; annis Paſtor.*

II. *Virgilium in Georgicis nemo poteſt intelligere, niſi quinq; annis agricola.*

III. *Ciceronem in Epiſtolis (ſic præcipio) nemo integrè intelligit, niſi xx. annis ſit verſatus in Republica aliqua inſigni.*

IV. *Scripturas ſanctas ſciat ſe nemo deguſtaſſe ſatis, niſi centum*

centum annis cum Prophetis, vt Elia, & Elisæo, Ioanne Baptista, & Apostolis ecclesias gubernarit.

Hanc tu ne diuinam Aneida tenta:

Sed vestigia pronus adora.

Difficilis igitur Scriptura est.

Propositio secunda. Scriptura etiam in illis, quæ ad salutem necessaria sunt, & indiget interpretatione, & in multis obscura est, non loquor de obscuritate, quæ est natura, sed ea, quæ ad nos pertinet: nam obscurum esse aliquid alicui non absolutè, sed comparatè dicitur. Non opus est probatione, totus mundus, etiam illa mundi pars quæ de perspicuitate gloriatur, & intelligentia scripturæ, difficilem experitur: Ideo in tam varios sensus illam trahunt omnes, & ex ea tam multiplices hæreses non vitio scripturæ, sed ignorantia, malitiaq; hominum cuduntur; exceptis n. paucissimis, omnes hæresiarchæ errores suos scripturæ verbis palliare consueuerunt. In articulos fidei, in fundamentum impingunt, scripturam euertunt, qui de claritate eius intellecta gloriantur. Infinitis itaq; polemicis misera plebs irretitur, cum nulla certa expositionis forma traditur, cũ de scripturæ sensu, cuius verba omnes sonant, sunt tam contrarij sensus. Et sensus de persona Christi, de Deo, de iustitia, de sacramentis, de electione, quæ omnia ad salutem sunt necessaria. Deinde in Ecclesia est donum interpretationis, officium docendi in Scholis & templo, non modo ad exponendas quæstiones abstrusas, & quæ ad salutem non sunt necessariæ, sed vel maximè ad eas, quæ ad salutem requiruntur. Ita Sibrandus. libr. quart. de principijs Christianorum dogmatum. Ratisbonenses collocutores, & alij fatentur hæc munera necessaria. Tertio, de quo maximæ sunt, & perniciosissimæ controuersiæ, hominum

Scriptura in necessarijs ad salutem interpretatione eget.

Si sensus clarus, cur tot controuersiæ.

etiam doctorum, id non est natura luce sua clarissimum, sed de scripturæ sensu, qui fidei dogmata saluti necessaria continet, tot sunt controuersiæ, quòt pene capita, nō igitur ille sensus est natura clarissimus. Imo vnica illa res sacrarum literarum apud plerosq; auctoritatem labefactat, cum enim non verba, sed veram, & genuinam sententiam sacrarum literarum inquirunt, in pugnantes opiniones incidunt: nec vlla ratione possunt authenticum sensum obtinere. Nam sectarij ad vnum omnes eo refugiunt, vt dicant de sensu se certos esse ex priuato instinctu, qui si in omnibus vnus, & consentiens esset, forte persuaderent, at nūc cum diuersissimus sit, fieri non potest, quin præter vnum omnes fallantur, & fallant.

Obijciunt illi, Non est occultum nec remotum, à nobis verbum, sed in ore, & corde nostro. Rom. 11. 10. *Est lucerna pedibus*. Ps. 118. &c. *Lucerna splendens*. 2. Petri 1. 19. Est clarum non tectum, 2. Cor. 4. 2. Iubemur eam scrutari, Ioan. 5. 39. & alibi Patres vtūtur scripturis, primitiua Ecclesia eas sine commentarijs intellexit. Si obscurè scripsit Spiritus Sanctus, frustra scripsit.

Deniq; fideles omnia intelligunt, quæ ad salutem sunt necessaria, Ioan. 10, 17. Hæc sparsim in iubilis sunt, & in vnum collegit Scharpius columna 74. Sed error communis est, omnium Sectariorum, quod scripturam simpliciter, & sine sensu Ecclesiæ, & doctorum interpretatione accipiant. Verbum Dei non est occultum, quia quædam eius nulla indigent expositione, alia nobis explicantur ab Ecclesia, vt si discere lubeat, occultum non sit. Lucerna est, sed cū accensa est, hoc est, cū veri sensus radios diffundit. Iubemur scrutari scripturas, quia non passim obuia est earū profunditas, patres vtūtur scripturis ad firmitatē dogmatū sacrorū, easq; exponunt, vel à vetustiorib. explicatas pro-

Scriptura, si discere à legitimo doctore lubeat, non est occulta

tas proponunt. Ecclesia primitiua scripturas sine expositione intellexit, imo ne Apostoli quidem iam fideles, & Christo familiares, Christus enim illis exposuit, adeo vero non intellexerunt, vt nescirent *Christum pati debere, & ita intrare in gloriam suam.* Luc. 24.25. Deinde nonne Apostoli cum exponerent scripturas, & reuincerent Iudæos, exponebant fidem, & ea, quæ ad salutem erant necessaria? & Apollo Act. 18. 24. *potens erat in scripturis, sed diligentius ab Aquila & Priscilla docetur viam Domini*, nec omnia per se intellexit, sed ab alijs didicit, aliud esse baptisma præter Ioannis Baptisma, quod in aqua sola dabatur. Quod si primitiua Ecclesia sine interprete scripturas intellexit, atque deinde etiam sequens Ecclesia, non fuit opus tot interpretibus, imo nec nunc quidem, cum tamen sub commentarijs nouatorum hodie gemat orbis terrarum; de vno iustificationis articulo viginti sunt pugnantes sententiæ, nec hoc aliter soluit Scharpius, quam luculento mendacio, cum ait; *Inter reformatos magna est consensio de hoc articulo, vt de aliis.* Ex his concludo, verum scripturæ sensum à scriptura, & Ecclesiæ vera interpretatione petendum. Certe ita olim fuit in Ecclesia Israelitica, cum enim sine punctis vocalibus scriberent veteres Hebræi, magno labore à suis præceptoribus legendi, & quæ inde pendet, intelligendi rationem addiscebant, perpetua itaque traditio scripturam comitabatur, qua pronunciatio, & vocalium substitutio continebatur. Quemadmodum igitur nullum punctum substituendum erat, nisi conueniret cum mente Spiritus sancti, ita neque nunc vlla interpretatio admittenda, nisi quæ est ab illo, 2. p. 1. 20.

Si absq; interpretatione scriptura intelligitur, quid opus est commentariis?

Denique nullus vnquam sperari potest finis controuersiarum, nulla concordia, cum interpretatio ad priuatum cuiusque spiritum relegatur, quomodo enim vel ini-

mici conuincentur, vel dubitantes instruentur, si aliud nō clametur in Cathedris, *quam certitudo sensus scripturæ, ex priuato instinctu Spiritus sancti.*

CAPVT XV.

An rectè iubilantes nos accusent de vetita lectione Bibliorum?

Lectio scripturæ vetita multis iubilis est argumentum.



Mnium pene, qui in Iubilis suis mentionem bibliorum faciunt, vna hęc est querela. Quidam ex rudioribus stentorum refert Lutherum legere Biblia solitum, sed à fratribus prohibitum, & ad cubicula cœnaculaq; scopis emundanda missum. Kemnitius iam olim in examine Conc. Trid. sess. 4. omnibus anteiuit, cum dixit, *nos ferro & flamma persequi editiones vernaculas.* Hac vna in re aliquot conciones inuidiosissimè versantur. Verum rogo, vt lector sepositis paulisper criminationibus veritati aures animumque dare dignetur.

Lectio scripturæ non est omnib. mandata.

Propositio prima. Scripturas sacras in linguam Germanicam, aliamue translatas legere priuatim non est omnibus mandatum. Ratio manifesta est, quia nec in scriptura sacra, nec iure Canonico, nec ciuili vspiam lex illa inuenitur. Deinde in omnibus gentibus maxima pars fidelium legere hactenus nesciuit, & quanquam in cultioribus oppidis literas multi nunc addiscant, turba tamen, quæ ruri est maxima, vt plurimum ignara est legendi scribendiq;. Non igitur lex est, quæ lectionem imperet, cum nulla sit, quæ literarum scientiam iubeat; & sanè si quæ esset, quæ vulgo illam iuberet, extemplo antiquandam censerem, nunc enim librorum scurrilium, leuium, maledicorum, libidinosorum, magicorum tanta est copia, vt præstet nescire literas, quam in literas tam pestiletes incidere. Tertio, Ecclesiæ consuetudo non fuit, vt scripturę lingua vernacula

Vernacula scriptura Ecclesia vix vsa est.

nacula legerentur, non igitur lex fuit ea super re diuinitus lata. Nam quamuis à Mose vsque ad captiuitatem Babylonicam, manente integra lingua Hebræa, ab omnibus iudæis legi biblia potuerint, peculiarissima tamen institutione, & traditione opus erat, propter puncta vocalia, ex quo apparet, apud paucos lectionem vsitatam fuisse, magnaq; opus fuisse exercitatione etiam illis, quibus biblia erant vernacula. Post captiuitatem Iudæi transierant vt in dominium, ita & linguam Chaldæorum, quam deinde reliquiæ quæ redierunt in patriam, cum Syra confuderunt, nec vllo modo effici potuit, vt vetus Hebræa esset vernacula. Facta est tamen quædam conuersio in linguam Chaldæam ab Onckelos, quem Aquilam esse nonnulli putant, qui Græce item vertit, quâ de Serarius prol. c. 14. q. 4. Si Aquila fuit, tempore igitur Adriani vixit, si antiquior fuit, non tamen eius versione Ecclesia vti potuit, cum paraphrasten egerit, multa omiserit, multa peruerterit, vt non possit vllo modo illa paraphrasis dici verbum Dei; Aquilam fuisse hæreticum, omnia veterum monumenta ostendunt, sed Onckelos & Aquilam esse eundem, adduci non possum vt credam, nam in locis obscurioribus scripturæ, nimium quantum distant duæ versiones illæ, Thargum Onckelos, & fragmenta versionis Græcæ, quæ ex Aquila citantur, non autem cauti hominis fuisse videtur, diuersissimas interpretationes adferre, cum minore labore sibi consentiendo parare auctoritatem posset Scripsit ille Pentateuchum. Circa ortum Domini nostri Ionathan vertit prophetas priores & posteriores. Postea domum anno Domini 400. Ioseph cæcus vertit Hagiographa. Nihil autem in his sincerum fuisse docetur ex eo, tũ quod duo posteriores fuerint infideles, & forte Onckelos, tũ præcipuè, q nullum caput sit, in

Onckelos Chaldaice vertit.

Onckelos non est Aquila.

in quo nõ abeatur ab originali, misceantur somnia, & nugæ. Itaq à captiuitate Babylonica vsq; ad Christum Ecclesia vernaculam scripturam nullam habuit, nec curæ fuit, Esdræ, Nehemiæ, Malachiæ, Zachariæ, Aggæo, Oniæ, Machabęis, alijsq; viris sanctissimis, vt eam conuerterent. Non igitur præceptum habuerunt.

Græcæ versiones.

Sed neq; Ecclesiæ Christi, apostolicis, & q̃ secuta sunt, temporibus, nisi paucæ, hoc est Græca & Latina, versiones patrias, habuerunt, neq; Apostoli, neq; eorum successores in varias linguas conuerterunt biblia. Græcæ versiones multiplices fuerunt. Prima ante Monarchiam græcorum. Secunda tẽpore legis. Tertia septuaginta interpretum. Quarta Herodiana. Quinta Aquilæ. Sexta Symmachi. Septima Theodotionis. Octaua Hierochuntina. Nona Nicopolitana. Nominantur & Origeniana, Lucianea, Hesychiana, sed illę ex emendatione mendorum, quæ in versionem septuaginta interpretum irrepserant, nomen acceperunt, nec nouę versiones dicendæ sunt. Decima itaq; est Ex Hieronymiana, nam Græci ex Latina versione D. Hieronymi in suam linguam biblia transtulerunt. At

Apostoli non verterunt in varias linguas biblia.

populi, quibus prædicatum est Euangelium, variarũ linguarum fuerunt. Act. 2. 7. Stupebant a. omnes & mirabãtur dicentes: Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt, & quomodo nos audiuimus vnusquisq; linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi; & Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudęam & Cappadociã, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphyliam, Ægyptũ & partes Lybiæ, quę est circa Cyrenen, & aduenę Romani. Iudæi quoque & Proselyti, Cretes & Arabes: audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. Stupebant a. omnes & mirabantur ad inuicem dicentes: Quidnam vult hoc esse? Alij autem irridentes dicebant. Quia musto pleni sunt isti. Omnes illos populos Græce aut Latine sciuisse si q̃s dicat, nihil aliud agat, q̃ vt cũ ratione insaniat.

Pro-

Propositio secunda. Hinc ẽt constat, nec versionẽ, nec lectionem illam necessariam fuisse. Cur enim tot sæculis Ecclesia Iudæorum, & deinde Apostolorum rem tam necessariam negligerent? cur non id agerent, quod Nouatores omnes egerunt, vt in omnes linguas scripturas transferrent, quod eo tempore facilimum erat, cum omnes Apostoli, multiq; alij varijs linguis loquerentur. Cum igitur nos reprehendunt, de vernaculis versionibus omissis, & inuidiosè exaggerant, quod non omnes legant biblia? nōne sub nostro nomine Apostolis maledicunt, qui versionem bibliorum tam facilem, & quam in vnaquaq; linguâ suo nomine præposito authenticam facere potuerunt, neglexerint? sed Apostoli satis putarunt consultum Ecclesiis, si vnamquamque gentem instruerent, doctoresque relinquerent, & Episcopos, qui fidem, & scripturam illis explicarent. *In nobis Apostolis maledicũt*

Propositio tertia. Biblia in vernaculam linguam bono fine vertere, & legere bonũ est aliquando, nulla lege simpliciter prohibitum. Nulla enim eiuscemodi lex extat, & licuit in Ecclesia vti versionibus & illis legendis ad pietatem animos incitare. *Vertere, & legere versiones licitum est.*

Hanc esse sententiam Catholicorum docet Wittakerus Cent. 1. q. c. 13. *Prima (opinio)* inquit, *est eorum, qui scripturas omnino negant in linguas vernaculas verti oportere. Secunda opinio contraria est eorum, qui sacram Scripturam in omnes omnium populorum vulgares linguas transferendam omnino esse statuunt. Tertia, illorum, qui versiones scripturarum vernaculas neq; damnant simpliciter, neque simpliciter permittunt: sed hac in re certam exceptionem, rationemq; temporum, locorum, & personarum haberi volunt.*

Vltima opinio Papistarũ sententia est, & sanctio Tridentina. Deinde Concilium Oxoniense contra Wicleffum statuit, ne editiones Wicleffi, aut aliorum legerentur, nisi essent *Multi hortandi ad lectionem scripturarum.*

S ab

ab Episcopo diœcesano approbatæ, de approbatis itaque nulla tum quæstio erat. Deinde multi vtiliter legerunt, vt olim apud Hebræos, cum essent vernacula. Tertio, ad lectionem scripturarum Patres sæpe hortantur, vt ostendit meus præceptor Serarius proleg. c. 20. q. 3.

Interdum noxia lectio.

Propositio tertia. Quamuis absolute igitur versio, lectioq; bibliorum vetita non sit, fieri tamen potest, vt inutilis, aut etiam noxia sit. Primo ratione versionum, quæ bonæ non sunt, aut sane non sunt bonitatis spectatæ. Ita supra ostendi, Iacobum Serenissimum magnæ Britanniæ regem *nullam editionem probare, Geneuensia biblia esse pessima, notas eorum esse falsas, seditiosas, nimiumque redolentes animæ periculosa, & peruersissima machinationes.* Cum vero melius sit, non legere biblia, quam nomine bibliorum, & verbi Dei, verbum diaboli, quis non videt, noxiam esse lectionem quæ non ædificat, sed destruit? & sane versiones iam multæ sunt, Italica, Hispanica, Gallica, Geneuensis, & alia Castalionis, Tigurina, Belgica, Anglicana, Lutherana, pleræq; variæ, vt sunt variæ editiones. Sunt & Hamburgi edita varijs linguis biblia, etiam Saxonice, & Sclauonice. Sunt Biblia Eberi, Neandri, Caspari Caroli Vngarica. Omnia biblia facta à Lutheranis damnant Caluiniani, & sannis excipiunt, vt constat ex Stoltzio in defensione Lutheri. Idem censent Osiandrini, Bucerus. De Caluinianis idem statuunt Lutherani, de omnibus Serenissimus magnæ Britanniç rex, verum ergo Dei verbũ non legunt, aut sanè certi esse non possunt se legere, quomodo enim, te alloquor rusticule Luthericè, tu fide certus eras biblia Lutheri esse authentica, reclamantibus omnibus Catholicis, Caluinianis, Anabaptistis, Osiandrinis, castigante Matthesio, ipso Luthero errata agnoscente?

Sectarij carent bibliis.

Qui facilẽ putat scripturã, ab ...

Secundo noxia est bibliorum lectio plerisque, qui hoc tempore Catholici non sunt, quia cum facilima arbitrentur,

tur,

tur, mox interpretari aggrediuntur, ne ludibrio sint, si rē apertissimam se negent intelligere. Lutherus libro de seruo arbitrio dixit; Difficultatis nihil esse in sacris literis, nullumq; sibi adferri posse locum, quem non ipse facile interpretetur. Quod igitur apertum, clarumq; arbitrantur, id putant se posse intelligere, ideoq; interpretantur. Qui autem ignarus rem difficilem putat facilem, ille in paradoxa, & ridiculas opiniones incidit.

cius lectione arcendus est.

Tertio, Damna etiam multis infert lectio bibliorum, dum eos in superbiam erigit, atque efficit, vt doceri dedignentur, qua occasione in hæreses necessario incidunt. Lutherus ipse expertus est, Anabaptistas enim & Sacramentarios si vel vnum librum legerint, ait putare, omnia se scire. Symp. 1. fol. 5. Et deinde: *Dicebat quodā tempore Lutherus nobilitatem, ciues, rusticos, & ferme quoscunq; summi & infimi status, Euangelium melius scire, quam sciret ipsemet doctor Lutherus, aut etiam ipsemet sanctus* Paulus, *vt ipsi quidem sibi viderentur, sapientes enim esse, & omnibus parochis doctiores existimare*, addit, *illos non parochos sed Dominum contemnere.* Tales fuêre & Hussitæ, vt l. 1. & 4. historiæ memorat Cochlæus, Tales Wicleffitæ, vt l. 2. c. 70. & 73. Waldensis. Tales Orlamundenses Lutheri tempore. Ea causa videtur, cur Lutherus in historia quæ contigit in Stasfort anno 1536. *vocet librum hæreticorum.*

Multi lectione efferuntur.

Quarto, Ex hisce constat plurimas hæreses oriri, multa ab indoctis peruerti, imo fere singulos iam habere ante occupata iudicia, & eo scripturam trahere. Caluinus sane l. 4. inst. c. 8. §. 11. satis indicat, singulis scripturæ interpretationem promissam.

Propositio 4. In Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana, versiones, lectionesque bibliorum non vetitæ, sed certa lege concessæ sunt, idque iure ac merito. Calumniosum est igitur fundamentum aduersariorum, & maleuola

In Ecclesia Catholica licita est lectio bibliorum.

penitus obtrectatio. Verba legis ista sunt; Cum experimento.

Lectio bibliorum sectas diuidit.

Hic imprimis monet, ne sine discrimine permittatur, & causam addit, quia plus inde detrimēti ob hominū temeritatem oritur, quā vtilitatis. Hoc ita esse sentiunt Lutherani, & Caluiniani, cum singulis diebus in plures sectas scinduntur. Hinc illi quoq; diuersarū sectarum libros prohibent. Nam libri Zwinglij adhuc viuentis in Saxoniâ & Hassiâ sunt vetiti, ita Zwinglius in exegesi Eucharist negocij, id deinceps semper egerunt, vt Lauaterus, Micronius, Vtenhouius, Danæus, alijq; testantur. Nec tamen Caluiniani idem agere de Lutheranis cessant in hodiernum diem. Ita Schlusselburgius l. 3. Theolog. Caluinisticæ art. 4. *Hinc apparet Sacramentarios in id potissimum incumbere, vt ipsorum libri blasphemi soli ab omnibus legantur. Nostra vero scripta ex rerum natura funditus exstirpentur, vtpote invulgatione publica, & lectione indigna.* Nec hoc modo fecerunt, sed & illud, quod Lutherus scribit, 7.2. Epist. ad Lincum, fol. 272. *Orlamundenses rustici nates libello meo purgant.* Caluinus Epist. 1. ait, *magistratus immodica facilitate pessime consulere Republicæ, qui non modo malos libros edi permittunt, sed pessimos quosq; comprobant suo suffragio.* Et ait Schlusselburgius l. 3. Theol. Caluinisticæ art. 4. *Non diffitemur*, inquit, *nostros Magistratus, in quibusdam locis, Bibliopolis interdicere, ne libros hæreticorum, Pontificiorum, Anabaptistarum, Caluinistarum, & id genus phanaticorum hominum, sine discrimine quibuslibet diuendant: sed habita personarum ementium ratione, videant ne idiotis & imperitis venenata & erronea scripta communicent, qui nondum confirmati in doctrinæ Christianæ fundamentis sine vllo iudicio ea legentes facile possint seduci.*

Sectarij mutuo libros vetāt.

Librorum igitur vetitorum apud Sectarios sunt bene multi Catalogi, inter quos etiam bibliorum versiones.

At

At dices, non ſcripturam ſacram, ſed libros malos vetamus. Nec hoc ego dico, ſed hoc moneo; cũ ſint bibliorum multæ peſſimæ verſiones, quod omnes teſtantur, etiam aduerſarij, cum nulla ſit, quæ probetur Sereniſſimo regi Britanniæ, merito vetari, ne ſine diſcrimine permittantur idiotis, & imperitis. *Malæ verſiones omnes vetitæ.*

Nam id ſi fiat, inter tot verſiones quam facile ruſticus incidet in anabaptiſticam, Socinianam, Arianam: nam vt ille iudicet, quæ verſio cum Hebræo vel Græco conſentiat, fieri non poteſt. Non ergo permitti illi debet electio qui inter ſalutare pharmacum, & venenum diſcernere non poteſt.

Quod ſi verſio ſit ab Epiſcopo approbata, ratio temporum, locorum, perſonarum in permiſſione tenenda eſt, ſi enim ſit quiſpiam nouarum rerum appetens, inflatus, libidinoſus, inquietus, ſui æſtimator, huic ſi biblia dederis, ea faciet, quæ de ſuis queritur Lutherus Dicite Lutherani, nonne lectio bibliorum fecit Caluinianos ſeptuplo deteriores Papiſtis? Tales eſſe dixit Lutherus, & firmauit in colloquio Hertzbergenſi Iacobus Andreæ.

Si quis animo bono, deſiderio proficiendi biblia legere cupiat, ille ſibi negari nunquam ſentiet, tantum opus eſt, vt ea de re paſtorem appellet, cum vero publicè edi, vendi ac emi permittuntur, cenſetur data legendi facultas generalis, qua tamen nonnulli ſine dubio abutuntur. Sed caueri omnia ſcandala non poſſunt. Itaq; non prohibetur id, cuius permiſſioni conditio adiungitur, vt cum Princeps geſtari arma ſine ſuo permiſſu vetat, non ſimpliciter neminem vult armatum eſſe, ſed furioſos, turbulentos, iracundos malitiæ inſtrumentis exuere, fortes & iuſtos ad ſubſidia reipublicæ munitos eſſe vult, ita Epiſcopus ſi videat hominem atheum, ſpiritu Dei carentem, per albatas ſæculi vias ambulantem, vitijs ſuis ex Abrahami, *Petenda facultas legendi.*

& Dauidis polygamia fomenta quęrentem , merito bibliorum, quæ solo Dei Spiritu, quo caret ipse, intelliguntur, lectione arcebit, instruet ipse, pastores audire iubebit. Nam reuera quandam instructionem oportere antecedere, ipse Caluinus auctor est. Nam in præf. instit. anno 1559. suarum institutionum lectionem εἰσαγωγὴν quandam ad legendos diuinos libros obtrudit. *Hoc mihi in isto labore propositum fuit, sacræ Theologiæ candidatos, ad diuini verbi lectionem ita præparare, & instruere, vt & facilem ad eam aditum habere, & inoffenso in ea gradu pergere queant.* Si igitur Caluinus præparandos censet candidatos Theologiæ ad diuini verbi lectionem, cur Episcopus Catholicus non prius idiotam præparabit, antequam biblia illi tradat? Certe Theologiæ candidati aptiores sunt idiotis, si Caluinus instruit tam longis institutionibus, cur minus institutione eget idiota? Si absq; Caluini institutionibus non est facilis aditus candidatis Theologiæ ad lectionem verbi diuini, cur crimini datur Pio quarto, qui aditum per Episcopos, parochos, confessarios dat, ita tamen, si ita instituti sint, vt ex lectione illa non damnum, sed pietatis & fidei augmentum capere possint. Si institutiones Caluini lucem præferunt candidatis Theologiæ, vt inoffenso in scripturæ lectione, gradu pergere queant, cur non ante etiam suos subditos Catholicus Episcopus ita muniat, ne offendant: & si candidati Theologiæ opus habent illis institutionibus, ne offendant, ergo sine illis offendere poterunt, ergo & in Catholica Ecclesia aliquis offendere potest, ergo merito illi negatur lectio bibliorum, donec ita instructus sit, vt in ea lectione inoffenso gradu pergere queat.


Lectionem bibliorum instructio præcedere debet.

Finio hanc de Scriptura partem, & coram Deo hominibusq; protestor, maximis, inauditisque nos calumnijs peti: Olim fastigium calumnia posuit in Arianis contra Atha-

Athanasium, nunc superarunt nostri Iubilantes omnia veterum: Et sanè si quicquam à vetustis didicerũt, ita artem calumniandi accurate hauserunt, vt iam nihil tutum sit: veritate nihil possunt, clamori, & mendacio fidunt.

CAPVT XVI.

An iure à Catholica Ecclesia defecerint sectarij, quod illa traditiones, & doctrinas hominum pro Dei verbo sit amplexa?



NVLLVS omnium Iubilantium, quod quidem sciam, hanc partem omisit. Ideoq; nihil necesse est omnes nominare. Academicus Euangelicus Heidelbergensis thes. 19. & 20. Sed hac in re nemo fere acerbius mendax, quam Erarthus Lauterbach, qui Papistas *agere contra verbum Dei, & suas sequi traditiones contendit ostendere.* Et conc. 1. p. 1. conclùdit. **alles wider die H. Schrifft / also daß es der Teuffel auß der hellen nicht wohl könte ärger machen /** *omnia aduersus scripturã, ita vt vix è tartaro dæmon peiora facere posset.* Polycarpus Leiserus 1. conc. Balduinus Fredericus in concione præparatoria pag. 7. omnes Catholicas ciuitates infamat, *quod humanas leges magni faciant, verbo Dei relicto, in templis tantum animas occidant.* **Es werde mit Falscher lehr vnnd verbottenen Gottesdienst nur eitel Seelmordt begangen /** *falsa doctrina, & vetitis cultibus in templis animæcidia à Catholicis committi.* Paulus Laurentius in secunda concione, pagin. vigesimaquarta omnium malorum causam affirmat, quod traditiones humanæ contra diuinum verbum inualuerint. **Daß auß deß verfluchten Bapsts Gebott vnnd Tyranney alles in Abgötterey sey verwandelt worden/**

De traditionibus acerba calumnia.

Tartarea calumnia.

worden / Da man an Statt deß reinen Worts Gottes deß Bapsts Lügen / vnd Menschen Satzungen will getrieben haben. *Ex maledicti Papæ mandato, & tyrannide omnia in idololatriam conuersa esse, quia locum puri verbi Dei mendacia Papæ, & doctrinæ hominum obtinuerint.* Nec in templis tantum ad plebem , sed poetæ etiam in ministrorum conuentibus aures mendacijs implent. Vnum ex illis, quia in eo clarior est maleuolentia, audire iuuat : Est verò Albertus Otto Bilgenius pædagogus aulicus Solmensis.

Quanta olim fuerit sæcli caligo priorũ,
Præstigiæ quantæ, quantus in orbe dolus.
Errorum in quantas tenebras, quantamq; Charybdim,
Nostrorum inciderint sæcula prisca patrum.
Haud ego si totas gustassem Aganippidos vndas,
Carminibus possem significare meis.
Lux Euangelij maiorum obscurior æuo
Lumine brumali debiliorq; fuit.
Vox Euangelij spißis immersa tenebris,
Cimmeria quondam nocte sepulta fuit.
Biblia Pontificum nugis oppressa, fimoq;
Perdita non vllis insonuere locis.
Nemo Prophetarum libros euoluere visus.
Ausus Apostolicos voluere nemo libros.
Nam si qui legerent Sacra biblia mentibus æquis,
Credebant tangi fulmine Pontificis.
Hinc docuere Sacram Scripturam (grande piaclum)
Esse imperfectam, flexibilem, mutilam.
Adq; salutarem vitam permulta requiri:
Quæ Sancto videas esse aliena libro.
Proficere imo nihil, qui rem petat inde Salutis,
Haudquaquam & normam in Relligione bonam
Dormi secure Dorbellus, Vadeq; mecum,
Durandus, Biel ac Holkot, & Okka, Brikot.

Petrus

Petrus Lombardus, Scotus, Thomas ab Aquino
Iura dabant templis, iura dabantq; Scholis.
Quid poterant quæso auxilij ebullire misellis
Ex horum scriptis, dic mihi quæso, virum.

Hæc illi, nos totam rem breuiter exponemus his propositionibus.

Propositio prima. Ecclesia semper vsa est verbo Dei non scripto, hoc est traditione. Nam ante Mosen, atq; adeo ante diluuium Ecclesia Dei fuit, nec tamen verbum Dei scriptum fuit. Id fatetur Scharpius controu. 6. Responsf. ad prim. obiectionem. *In prosyllogismo est captio homonymiæ in nomine Scripturæ pro Scripturæ substantia, & re scripta hoc est, Dei verbo: & tum nihil aliud est quam doctrina θεόπνευστος: aliquando pro huius doctrinæ accidenti, scilicet scriptione, & exaratione in libris. Primo sensu Scriptura est antiquior Ecclesia, sicq; propositio est falsa. Scriptura enim, seu verbum Dei, est ecclesiæ fundamentum: Ephes. 2. 20. At fundamentum est antiquius ædificio: ita scriptura est Ecclesiæ semen, Matth. 13. 1. 1. Pet. 1 23. At semen sobole illa, cuius est semen, antiquius est: Deniq; hoc idem verbum, quod iam scriptum, fuit tunc non scriptum.* *Ecclesia sẽper vsa est verbo non scripto.*

Quod si sincere nobiscum agitur, & scriptura significat rem scriptam seu doctrinam θεόπνευστον, iam concordiam tenemus, neq; enim nos, cum dicimus, aliqua non scripta esse credenda, affirmamus, aliquam doctrinam non θεόπνευστον, hoc est à Deo non reuelatam, recipiendam esse.

Deinde post Mosis aduentum scripta est, sed non omnia capita creditu necessaria continuo explicata sunt, erant igitur alia verbo non scripto compreheñsa, neq; enim Mosis institutum fuit catechismum scribere. *Moses non omnia credenda scripsit.*

Tertio, Hoc ipsum verbum quod scripsit Moses sine

traditione nec legi potuit, nec intelligi, vt supra ostendi propter punctorum omissionem: Quarto, Nusquam Deus profitetur, se doctrinam atramento tantum & mẽbranis alligasse.

Quinto. Multa sunt, quæ nunc quoq; ex verbo nõ scripto credere coguntur aduersarij. Nempe verbum Dei, quod scriptum est, inuiolatum ad nos vsq; peruenisse, Apocalypsin esse verbum Dei. Aduersarij verò fatentur, vt Scharpius columna 123. Ab Adam vsq; ad Mosen fuisse scripturam, sed non verbum scriptum, neque enim scriptum esse necessarium, nisi ex hypothesi. Deniq; multæ gentes longo tempore scripturas non habuerunt.

Verbum scriptum non est sufficiens omnibus controuersijs decidendis

Propositio secunda. Scriptura sacra quæ nũc habetur, non est sufficiens, vt omnes controuersias decidat, nec olim fuit, quia initio tantum pentateuchum habuerunt, at ille non est sufficiens, vt omnia dogmata apertissimè ex eo declarentur; ita neq; nunc vniuersum corpus canonis sufficit, nam nusquam in eo dicitur, hoc totum corpus, & nullum alium librum extra illud esse canonicum, & hoc tamen credimus. Itaque qui omnem traditionem reijciunt, etiam canonem scripturæ concidunt, quod adeo verum est, vt Scharpius hoc anno omnibus iniecerit pudorem. Cum enim controuersia 9. columna 143. sibi obiecisset, Inst. 5. *Non satis est scire scripturam esse Diuinam, sed oportet scire, quæ illa sit? At non potest hoc sciri ex scripturis. Ergo. Probatur Assumptio: quomodo colligimus ex scriptura, Euangelia Lucæ & Marci esse vera, Thomæ vero & Bartholomæi esse falsa, cum ratio dictet, credendum potius libro præferenti titulum Apostoli, quam non Apostoli? Et vnde colligam epist. ad Rom. esse verè Pauli, epist. vero ad Laodicenses non esse Pauli, cum Coloss. 4. dicat, se ad Laodicenses scripsisse, nusquam verò dicat, se ad Rom. scripsisse? Ergo.*

Respon-

Respondet sibi in hunc modum. *Distinguitur propositio: est quidem necessarium hoc scire, sed non simpliciter ad salutem, & eodē modo, omnibus, quia multi olim de varijs libris Canonicis dubitarunt, saltem ad tempus, quos ideo à salute non exclu dent. Deinde qui Spiritum Sanctum habent, per quem libros Canonicos agnoscimus, non eadem mensura illum habent, ita etiam de alijs spiritus operationibus statuendum.* *Scripturā credere esse verbum Dei, nō est ad salutē necessariū Scharpio.*

Si igitur non est necessarium ad salutem credere, hos esse libros diuinos, ergo nec est necessarium, id, quod illis continetur, credere diuinum, ex sententia Iubilantium. Hoc enim solum credendum est, quod est in libris diuinis: Quemadmodum si quispiam dicat, sibi solum faciendum esse, quod regio diplomate iubetur, si credere non tenetur oblatum diploma esse regium, ab executione earum rerum excusatur. Paulo post idem respondet, *non est necesse scire, hunc vel illum librum ab hoc vel illo scriptum esse auctore, modo scriptum ipsum admisero vt diuinum.* At illo magis constringitur, si enim nesciero auctorem, si auctor v.g. Apocalypseos ignoratur, vnde sciemus, hoc est, ex qua scriptura, esse diuinum? Non constat ex scriptura, aliud non habent, vnde cognoscant.

Horrenda confusio contemptum verbi Dei non scripti consecuta est in Ecclesia, sed in Ecclesia malignantium, nam primo cum sola scriptura se niti dicerent, & spargerentur omnes in contraria, Augustanam confessionem, quasi concordiæ symbolum ediderunt, illa deinde mutata, desertaq; concordiæ librum confecerunt, sed inde summa discordia totum Lutherismum exanimauit.

Et sanè hac quoq; parte omnem scripturæ fidem conuellunt, & omnino scripturam abnegant. Libauius libro contra Gretzerum hæc habet.

I. *Scriptum Dei verbum non est illa per characteres descriptio.*

II. *Sacra scriptura & scriptum verbum non est illud verbum Dei, de quo disputatur inter Catholicos & Lutheranos: sed aliud quoddam. Quia scriptum verbum potest mutari, imo & comburi Sed verbum Dei manet in æternum.* Is. 40.

III. *Si scriptio seu sacra scriptura esset verbum Dei, tunc esset verbum Dei non tantum respectu hominum, sed & Angelorum: sed sacra scriptura non est verbum Dei respectu Angelorum: Ergo neq; est verbum Dei respectu hominum.*

IV. *Si scriptura esset verè verbum Dei, tunc esset potentia Dei omni credenti ad salutem. Sed non est potentia Dei omni credenti ad salutem. Ergo Scriptura ista non est verè verbum Dei.*

V. *Si scriptura sacra vere esset verbum, & esset sapientia & veritas Dei sed non est sapientia & veritas Dei, ergo scriptura sacra non est vere verbum Dei.*

VI. *Si scriptum verbum vere esset verbum Dei, tunc foret lux in tenebris lucens: sed non est lux lucens in tenebris, ergo scriptum verbum non est vere verbum Dei.*

VII. *Deniq; cum, ait, huc perueni, vt ex verbo Dei cognouerim, quod verbum Domini sit viuum, quod æternũ, quod pereunte mundo non pereat, quod iudicet in extremo die, quod veritas, quæ eam cognationem habet cum Christo, vt inde & Filius Dei vocetur verbum & veritas, & ita etiam Spiritus Sanctus veritas, sicut & verbum Christi Spiritus Ioan. 6. illico vidi verbum scriptum, seu scripturam in Bibliorum voluminibus comprehensam non esse verbum Dei, sed aliquid aliud: quia scriptura, qua scriptura non viuit, non est vita, non veritas, non manet in æternum.*

Qui scripturam nõ credit diuinam, ex opinione sectariorum fidem non habet.

Si igitur Scriptura non est verbum Dei, vel non est necesse credere verbum Dei, & tamen est principium fidei, sequitur, fidem esse incertam. Nam cuius principia sunt incerta, id quoque, quod ex illis deducitur, est incertum, non enim certior est conclusio, aut assensus principiati fir-

ti firmior eo principio, ex quo ſolo pendet, quam ipſum principium. At ſcripturæ cognitio non eſt certa, quia nec fide certa eſt, neque naturali lumine certa eſt. Nullo igitur modo. Vt vero lector videat, quantam nobis iniuriam adferant, & quid ipſi inter ſe, cum ſoli ſunt, loquãtur, propoſitiones, quas *Adolphus Venator Tectander* ſe de Contra-Remonſtrantibus probaturum promittit in Apolog. contra *Dordracenſes*, ex pag. 174. & 175. & 176. apponam.

1. Recta, optima, ſecuriſſima, & perfecta regula, amuſsis, ac lydius lapis, non tantum doctrinæ in Reformata Eccleſia apud Belgas, ſed etiam totius Chriſtianæ fidei, eſt Confeſſio Belgica, & Catechiſmus Heydelbergenſis.

2. In confeſſione & Catechiſmo *præcipitur quod oporteat ſectas conuitiari, & eos qui vel verbulo in confeſsione à nobis differunt, condemnare*

3. Sine contumeliis ſectæ & errores confutari non poſſunt.

4. Prædicantium officiũ eſt indulgere conuitiis & cõtumeliis.

5. Si quis non intelligit, Scripturam eſſe imperfectam, & præter eam, humanas traditiones & formulas eſſe neceſſarias, is diuerſitatem religionis parui pendit.

6. Doctrinæ puritas nequit conſeruari, ſectæ nõ poſſunt auerti, nec hæreſes cõfutari ſine humanis conſtitutionib: ac formulis.

7. Dei verbum neq; ad ſalutem, neq; ad bonum Eccleſiæ ſtatum, per ſe ſufficit.

8. Sola ſcriptura, abſq; ſtatutis & decretis Eccleſiæ, eſt chaos omnium religionum, refugium omnium hæreſum, via, (ſolam ſi inſiſtas,) ad omnem libertatẽ in rempub. Chriſtianã inuehendã.

9. Scriptura eſt obſcura, & variis modis poteſt intelligi, & propterea decretis & doctrinis Eccleſiæ opus habet.

10. Confeſſio & Catechiſmus *tantum ſunt manifeſta, nõ item Scriptura; & hæ formulæ non poſſunt bifariam aut diuerſimode explicari.*

11. Authores Confeſſionis & Catechiſmi *Sapientiores & prudentiores fuerunt, quin & fideliores in Eccleſiam & verita-*

tem, nec non meliora & perfectiora scripta Ecclesiæ reliquerunt, quam ipsi Euangelistæ & Apostoli.

12. *Ex* verbo Dei *non potest pura doctrina certo cognosci, sed tantum ex* Confessione & Catechismo.

13. Prophetæ & Apostoli *imperfecta & dubia post se scripta reliquerunt, quæ ne ipsis quidem possunt prodesse, vt ex quibus viam veritatis certo agnoscere non possumus; nisi eadem additamentis & decretis particularis Ecclesiæ roborentur, & illustrentur.*

14. *Scriptura nequaquam id totum complectitur, quod absolute credendum est vt quis saluetur, aut sit membrum Ecclesiæ.*

15. Scriptura *duplices sẽsus habet: incerta & imperfecta est.*

16. *Traditiones humanæ, Conciliorum decreta, verba & explicationes rerum fidei diu post tempora* Apostolorum *inuentæ necessario credi debent ad salutem consequendam.*

17. Verbum Dei *Christianis tam necessarium atq; vtile nõ est, quam sit* Confessio & Catechismus.

18. Verbo Dei *carere possumus, dummodo* Confessionem & Catechismum *seruemus.*

19. *Hæreticos & Errabundos non est necesse* scriptura *siue* verbo Dei *conuincere, aut errores eorum confutare; sed tantum* Confessione & Catechismo.

20. Confessionem & Catechismum *verbo Dei probare non est opus.*

21. *Authoritas Ecclesiæ, scripturæ authoritatem præcellit.*

22. *Puræ Doctrinæ certitudo non ex* verbo Dei *petenda est; sed ex* Traditionibus & formulis *eorum hominum, qui longe post tempora* Apostolorum *sunt secuti.*

23. Scriptura *non est idoneus Controuersiarum de Religione Iudex.*

24. *Nemo rectam fidem habet, neq; Christianus, neq; Ecclesiæ membrum est, qui* Confessionem & Catechismum *non recipit.*

25. Con-

25. Confessioni & Catechismo *amplius adhærere oportet, quam inquantum* verbo Dei *consonant.*

26. Confessio & Catechismus *debent esse norma sensus scripturæ, & formulæ humanæ debent ponere mensuram explicandi* verbum Dei: *Sed* Dei verbum *non debet statuere limites intelligendi scripta hominum.*

27. *Nemini Christiano liberum est ad solum* Dei verbum *se alligare, & qui id facere præsumit, ostendit se à vera Christiana religione deflectere.*

28. *Quamuis* Apostoli *ipsimet* Symbolum *siue fidem fecissent, nihilominus non esset scriptura.*

29. *Religio Christiana non consistit in pia vita, sed in multa scientia, non in quantum quisq; viuit, sed in quantum quisq; intelligit.*

30. *Doctrina de amore Dei & proximi ad solam legem pertinet, non ad Euangelium & Iesus fuit doctor legis.*

31. *Qui congregati sunt, vt audiant quæ Diuina & spiritualia sunt, quique Deum & Christum profitentur, non sunt Ecclesia: Item si solis Christi & Apostolorum verbis adhærere, & non etiam* Decreta Conciliorum *& hominum traditiones recipere velint.*

32. *Tametsi aliqui in omnibus absolute scripturā sequuntur; sunt nihilominus hæretici, & non possunt esse Ecclesia Dei.*

33. *Papistæ & Hæretici non sunt Christiani.*

34. *Quod primi plantatores* Reformationis *cōfessi sunt, &* Martyres *huius terræ etiam sanguine suo sigillarunt; videlicet, in rebus* Fidei *tantum adhærendum esse* Scripturæ & humanas Institutiones *non esse suscipiendas; id est inuentum ad omnes hæreses ex inferni barathro reuocandas.*

35. *Qui intelligit solum insistendum esse* verbo Dei, *ille medium proponit; per quod nulla pax haberi poterit cum Deo.*

40. *Neq; Moyses & Prophetæ vllo modo intelligi possunt, aut funda-*

fundamentum doctrinæ, aut amußis doctrinæ veteris testamenti, neq; Euangelistæ & Apostoli Noui Testamenti.

63. *Ieremias, Paulus, Euangelistæ & Angelus Gabriel,* Sociani sunt & hæretici.

65. *Aliquid confiteri aut dicere, quod etiam hæretici dicunt, hæreticum & erroneum est; & sic Prophetæ & Apostoli omnes hæretici.*

68. *Euangelistæ & Gabriel Angelus nihil melius de Christo, quam Turci sentiunt.*

Idem Venator pag. 74. ita habet.

Fratres Dordracenses non contenti sunt Scriptura, *sed tam contemptè de ea loqui audent, vt dicant; Si solum adhærendum esset* Scripturæ, *vnusquisq; in Christianitate & dicere & facere auderet, quod vellet: &* Biblia *faceret latibulum manifestum omnium hæresum, Libertinorum, & omnium aliorum.*

His etiam adde quæ in *themate sæculari* noster Maximilianus Sandæus verissime de synagoga prædicantica refert, & Thema Haidelbergense ἀντὶ thesi 11. *Scripturam sacram, qua, qua Verbum Dei, est bene credendi & viuendi norma, regula, amussis, gnomon, docet non esse vere verbum Dei 1. quia non est potentia Dei omni credenti ad salutem. 2. quia non est sapientia & veritas Dei. 3. quia non est lux lucens in tenebris. 4. quia non manet in æternum. 12. Asserit, non esse ad salutem necessariam scientiam, cognoscendi scripturam diuinam à non diuina. 13. Negat, necessario credendum esse fide saluifica, Scripturas, quas habemus esse diuinas, aut Euangelium Matthæi quod legitur in Ecclesia, esse diuinum, & Matthæi Apostoli. 14. Contendit, Scripturam sacram non esse ex se certam, neq; erroris, aut falsitatis expertem. 15. Affirmat, Scriptores noui testamenti interdum prudentes, scientes præter veritatem Historiæ scripsisse. 16. Recepto vulgarique errori aliquando quidpiam ex caritate condonasse. 17. Propter opinionem publicam à veritate Historiæ deflexisse.*

Sectarij scripturã contẽnunt

CA-

CAPVT XVI.

An merito discessionem à vetere Ecclesia fecerint Sectarij, propter Pontificem Romanum?

GENERATIM hoc propono, quia maxima pars concionum conuiciis contra Pontificem insumitur, adeo vt si maledicta illa demantur, ex multis tomis futurus sit libellus vnus. Concionum plurimarum argumentum est, ex Danielis cap. 11. 31. & sequent. Apocal. 12. & 13. & 14. & 17. vt omnia quæcunque in Antiochum, & Antichristum scriptura vnquam dixit, Pontifici imputent. Ita Matthias Hoe conc. iubiliana 3. Balduinus Fredericus, Wolffgangus Franzius, Ehrartus Lauterbach, Michael Mulingius, Vincentius Schmuk Paulus Laurentius, duabus concionibus, Ioannes Pandocheus, sunt & aliorum theses, & declamationes.

Iubilantes omnes in Pontificem insurgũt.

In hisce tria notaui omnes facere. Primo quæcunque vnquam ab aliquo Pontifice male gesta sunt, toti ordini imputant, & exaggerant, vt si quis Achabi vel Manassis scelera cunctis regibus attribuat, ideoque sceptrorum vim tollat, quia suis affectibus multi reges sæpius, quam legibus obsecuti sunt. Secundo, quæcunq; contra Pontifices vnquam ab eorum inimicis ficta sunt, tanquam oracula cum auctario proponunt, quæ autem pro Pontifice dicuntur feruentius, illa in calumniam rapiunt. Vt cum dicitur Pontifici in terra datam potestatem soluendi peccata, sicut Deus in cœlo soluit, & iudicium Pontificis etiam Dei esse, mox clamant, Pontificem æquari Deo, Deum de throno deiici, & Pontificem extolli, Pontificem Deum à nobis statui, cum tamen particula ὡς, aut *sicut* similitudinis non minus, quam æqualitatis sit nota, cum aliud non doceamus, quam ea, quæ Pontifex soluit aut ligat in terra legitimæ potestatis vsu, ea in cœlo solui

Artes calumniandi Pontificem.

1. Vnius peccata omnibus imputant.

2. Figmenta contra Pontificẽ colligunt.

vel ligari, & Christum habere serui sui, & Vicarii ratam sententiam. Tertio doctrinam Pontificis oppugnant, in quo certamine tria stratagemata notaui. Primum est, imputare Pontifici, & Catholicis ea dogmata per calumniam, quæ expressissimè damnamus, & anathematizamus. Alterum, quæ antiquissima Ecclesia docuit, verbi gratia de purgatorio, ea velut noua Pontificis, Monachorũ, & Iesuitarum inuenta traducunt. v. g. Purgatorium figmentum Monachorum aiunt, at Zanchius lib. 4. cap. 4. quæst. 5 de natura Dei ita loquitur: *Verum enim vero primum, nondum potui certi aliquid reperire. Est tamen antiqua consuetudo, & doctrina. Nam Tertullianus de eis precibus pro defunctis mentionem fecit, in lib. de cor. mil. Christ. pag. 449. sed aperte inter ea numerat, quæ ex sola consuetudine fluxerunt: minime autem ex scripturis desumpta sunt. De eadem re scribit lib. de monogamia pag. 578. item oblationum pro defunctis mentionem facit, lib. de exhortatione ad Castitatem, pag. 504. Nunquam vero docet vel innuit, preces illas vel oblationes fuisse ex verbo Dei, aut etiam ex Apostolica traditione.*

3. Doctrinam oppugnant.

Purgatorium qui nouũ inuentum aiunt, omnia vetera ignorant.

Dionysius, qui Areopagita dicitur, in lib. de Ecclesi. Hierach. cap. vlt. & alibi. Cyprianus Epist. lib. 13. Epist. 6. item lib. 4. Epist. 5. & alibi sæpe. Ambrosius T. 3. in orat. fun. de obitu Theodosij: item altera de obitu Valentiniani: & in orat. de obitu fratris sui Satyri. Chrysost. in Liturgia, & alibi. August. T. 1. Confess. lib. 9. cap. 12. 13. rogat Deum, vt peccata matris defunctæ remittat. item lib. de cura pro mortuis agenda. cap. 4. ait, non esse mittendas supplicationes pro spiritibus defunctorum. item Tom. 4. in 8. quæst. ad Dulcitium quæst. 2. & alibi.

Exemplum exhibere volui artificiosæ & rudis malitiæ: Zanchius atque alii, qui aliquando veteres legerunt, fatentur iam Dionysij Areopagitæ tempore & Tertulliani

ni fuiſſe conſuetudinem, citant Cyprianum, Auguſtinum, alios Patres. Itaque hæc, cum parum ad odium Pontifici concitandum valerent, artificioſe omittunt, & ſimul ſtolide & ruditer: Etſi enim ſuis imponant, & oratores videantur, conſcientiam tamen Chriſtiani orbis vereri debent. Tertium eſt odioſa facere Catholica dogmata, & ſua horridiora mollibus verbis polire.

Odioſam noſtram doctrinam faciunt interpretatione peruerſa. Id cum olim cœperunt multi, præſertim ſcurra anonymus contra Priuilegia Caluiniſtarum à P. Martino Becano edita, quem ſecuti ſunt anonymus contra Vngersdorff, & nunc Iubilantes præſertim Zeæman, & cœteri qui nihil niſi ſuorum famoſos libellos legere conſueuerunt. Verba ſcurræ de Oppenhaim, qui ſe mẽdaciter Guilhelmum de Pratis indigitat, in eius Epiſtola legerunt. *Papa*, inquit, *ille poteſt diſpenſare contra ius naturale, & Apoſtolorum.* Nam gloſſator Gratiani expreſſe ſcribit, 15. quæſtione 6. cap. auctoritatem. d. 32. cap. presbyter. diſt. 34. c. lector. Sed grandis eſt calumnia, nam Pontifex dicit anathema cunctis docentibus, *Poſſe pontificem contra ius naturale diſpenſare.* Itaque gloſſatoris culpa, non eſt Pontificis, deinde gloſſa illa in iure canonico hodierno nulla eſt. Nec vllus horũ gloſſam vidit, ſed mendacium mutuo acceptum aliis tradunt. Sed tamen ſunt quædam, quæ iuris naturalis eſſe Canoniſtæ, & iuriſperiti dicunt, quod iuri naturæ ſint conſentanea, mutari tamen poſſunt, quia non omni tempore nec loco obligant, v. g. Iuris naturalis eſt *alienum reddere,* ius ciuile præſcriptione transfert dominiũ, ius apoſtolicum eſt, ne *Epiſc. ſit neophytus, ſit vnius vxoris vir,* vt *omnis vir oret,* & *pphetet aperto, & fœmina operto cap.* In his tamen diſpenſare videmus omnes interdũ Sectas, non modo Catholicos. Hac mente loqui

Odioſam reddunt veritatem mendaciis.

Caluiniani prædicantes archiſycophanta.

Ius naturale variè dicitur à iuriſperitis.

aliquis glossator potuit, & in istis dispensari posse docet Pareus in 1. cor. 1. 14. Deinde calumniam retundit titulus Canonis, qui est: *Apostolica auctoritas penitus illicita in irritum deducit iuramenta.* At illicita iuramenta facere irrita non est contra ius naturale. Deinde ipse Canon qui est non modo Nicolai Papæ, sed veterum etiam. *Auctoritatem venerabilium (15. q. 6.) prædecessorum nostrorum secuti, & nominatim beatissimi Papæ, & martyris Alexandri quinti à Beato Petro, ab omnibus iuramentis, & cuiuscumque modi obligationibus, quibus illi sese coacti violentia impiorum obligauerant, absoluimus: & ne illa seruentur, vetuimus tam præfatum Archiepiscopum Treuerensem, quam eius præpositum, & omnes qui tunc temporis capti se illis quoquo modo obligauerunt: neque vllam eos proinde infamiam, vel calumniam, aut à suis bonis sequestrationem vnquam auctore Deo, & sanctis Apostolis, & nostris prædecessoribus sustinere permittimus: sicut per prophetam Dominus dicit. (dissolue colligationes impietatis) Quinetiam præfato fratri nostro, filiisque Treuerensis Ecclesiæ, illiusque defensoribus hæc in mandatis damus: vt spirituali simul, & materiali gladio tam diu malignos illos, eorumque fautores insequantur, quousque cum integritate possessiones, vel quæcumque res Ecclesiasticæ hoc facto vel quocumque pacto distractæ, seu direptæ sunt, reuocentur.*

Impia iuramenta, & coacta etiam iura ciuilia soluunt.

Nec tolerabilior calumnia est, cum dicunt, Panormitanum dicere c. fin. de diuortiis, *Papam contra nouum testamentum dispensare posse.* Hæc scurra, hæc Iubilantes: & speciem habet calumnia, quia verba Panormitani sunt. Secundo nota, *quod Papa ex maxima causa posset dispensare contra nouum testamentum.* Quomodo vero intelligenda sint verba durè sonantia, discendum est ex additionibus, quibus lector ibidem remittitur ad cap. 13. 4. qui filii sint legitimi. Vbi sic habet: *Nec obstat, si dicetur Papã posse ex causa dispensare in gradibus diuina lege prohibitis, vt notatur per*

aliquos

aliquos in c. literas, de restitut. spoliator. quia illud verum, secundum eum disponendo, & legitimando matrimonium, vt ex nunc, non autem ex tunc, ita vt filij antegeniti censeantur legitimati.

Hæc dispensatio non est in eo, quod simpliciter in nouo testamento mandatum est, sed disponit circa aliquid, quod non est contra nouum testamentum. Agitur enim de rebus non omnino necessariis: quale est illud, quod Ambrosius Neophytus contra nouum testamentum venit ad Episcopatum. Deinde ex ipso canone res clara est. Panormitanus explicuit illud caput, in quo Innocentius tertius recens conuersis ad fidem, qui matrimonium contraxerant, cum relicta fratris secundum legem Mosis, propter infirmitatem permittit, vt eo matrimonio post baptismum vtantur. Non tamen liceat baptizatis ita contrahere, deinde subiicit. Secundo nota, quod Papa ex maxima causa, posset dispensare cōtra nouum testamentum. Quod non est dispensare de aliquo, quod in nouo testamento scribitur seruandum, sed de aliqua lege Ecclesiæ, quæ in nouo testamento seruatur: nam nullus apex est in nouo testamento quo vetetur aliquis viduam defuncti fratris domum ducere, in veteri testamento etiam lex erat, quæ matrimonium illud imperabat. Non igitur contra nouum testamentum scriptum, sed contra legem Ecclesiæ noui testamenti dispensabat. Nec obstat, quod Matth. 14. 3. Ioannes dicit Herodi, non licere habere vxorem fratris sui. De vxore enim viuentis agitur. Vt Hieronymus, Beda, aliiq; testantur: Philippus enim anno Tiberii 20. mortuus est, Mens autem Panormitani eodem in loco, (nempe in c. finali de diuortiis, lib. 4. decretal. t. 19.) clara est, docet enim, non posse Papam contra leges diuinas dispensare.

Papa potest dispēsare cōtra legem aliquam, quæ in nouo testamento est, hoc est in Ecclesia.

Idem scurra, & ex eo Iubilantes nudis quoque menda-

ciis contra auctoritatem Pontificis pugnant, *Idem dicit Bertachinus*, inquit, *in Repertorio dictionis Papæ.* Idem allegant Iubilantes. Sed in eo repertorio contrarium penitus reperitur. *Papa non potest dispensare in prohibitis testamento veteri & nouo. Anto. de But. & Ioan. Andr. in c. super de vsur. & Anton. de Prato in d. cons. 11. col. nec contra Euangelium, nec ius diuinum 20. distinct. 1. deinde 14. dist. sicut & gloss. in cap. literas de restitut. spoliat.*

Falsarij sunt Iubilantes.

Bertachinus igitur eos mendacii arguit, & auctores pro ea re citat. Alia sunt innumera, *vt nos Papam facere verum Deum*, & similia, quæ ab vno semel sine fronte dicta, ab omnibus deinde iterantur. In his itaque coram Deo & hominibus protestamur iniuriam fieri nobis, illi enim ἐν πλεονεξίᾳ πλαστοῖς λογόις ἡμᾶς ἐμπορεύονται, in auaritia fictis sermonibus animas negociantur. Vita eorum doli meditatio, & tritura mendacij:

Ingens insania cõuiciandi.

Ψευδῶν ἄνακτες, μηχανορράφοι κακῶν ἑλικτά.

Mendaciorum reges, Machinarum structores, malorum volutabra.

Qui secum ita ratiocinantur:

Τὸ κέρδος ἡδὺ κἂν ἀπὸ ψευδῶν ἐῇ.

Lucrum dulce est, etsi ex mendacijs sit.

Cum igitur errore magno deficiant à prisca veritate, cõsiderandæ sunt quæ proponunt. Nunc quia generatim ea de re agimus, hoc solum protestamur, nullam fore excusationem illis, qui ob has causas desciscunt, non magis quam decem tribubus, quia ab Hierosolymitano templo defecerunt. Nam nullo vnquam sæculo ab Romano Pontifice defecerũt, nisi qui hæretici fuerunt, quos nostri quoque damnant. Deinde qui à nobis exierunt, à se mutuo magis distant, quam à nobis pleriq;, alii in orientem, alii in occidentem traducti.

Veteres hæretici, hostes Papæ, nostris quoque hæreticis sunt hæretici.

Sed nihil admirabilius in eorum erroribus, quam quod iam conuicti, eo deuenerunt, vt veteres martyres in numero

mero

mero Antichristianorum habeant, quod impudentissimè fecit Fredericus Braubomus in *floribus flaminiis*, & refutaui in libro de incremento hæreseon, sed prolixissimè Wolffgangus Franzius disseruit thesi 300. & sequentibus.

301. *Tenuia quidem erant principia in Lino, Cleto, Clemente, & tamen ille ex sacris ordinibus bis in vrbe habitis Presbyteros decem & octo, Episcopos XI. creauit, quos sine dubio alibi præficeret, iste redegit in ordinem ex mandato Petri, vt dixit, 25. presbyteros, hic scripsit ad alias Ecclesias Epistolam, quæ non omnibus fuit probata, quemadmodum apud Platinam hæc leguntur.* *Martyres inferiis addicunt.*

302. *Secutus Anacletus constituit, ne Clerici barbam vel comam nutrirent, Euaristus ne plebis in Episcopum accusatio reciperetur, Episcopos in diuersa loca creauit. Alexander, vt aqua Sancta, sale admixta interpositis sacris Orationibus, & in templis, & in cubiculis ad fugandos Dæmones retineretur, voluit quoque aquam admisceri vino in consecratione sanguinis Christi: Oblationem quoq; ex azymo & non ex fermentato, vt antea, fieri mandauit.*

303. *Xystus I. constituit, ne Episcopi ad sedem Apostolicam vocati* (ECCE & NOTA LECTOR, *Romani Episcopi cito ausi sunt imperare externis aliarum vrbium doctoribus*) *redeuntes à suis reciperentur, nisi secum deferrent literas plebem salutantes.* (ECCE & NOTA *iterum lector, ita Romani Episcopi etiam inter persecutiones aliorum Procerum protectione confisi tamen non tantum exteris Episcopis, sed & Ecclesiis se se insinuarunt pro capitibus*) *& vide exemplum in vita Xysti.*

304. *Telesphorus constituit, vt septem hebdomadibus ante Pascha obseruaretur ieiunium: Higynus Papa ne templa dedicarentur, ne augerentur, ne diminuerentur sine*

ne arbitratu Metropolitani vel Episcopi Pius 1. thermas Nouati in vico Patricij in honoratione sororis suæ diuæ Pudentianæ dedicauit. Anicetus constituit, ne Episcopus crimen Metropolitani sui ad aliam quam sedem Apostolicam deferret: item ne Episcopi omnes Patriarchæ vocentur. Soter, ne Monacha vlla pallam attrectaret, neue thus in acerram poneret, dum sacrificia fierent.

305. Eleutherius initio Pontificatus statim Epistolam accepit à Lucio rege Britãno qua rogabatur, vt se & suos in Christianorum numerum reciperet, quare Fugatium & Damianum eò misit, qui Regem ac populum baptizarent. Hunc secutus victor 1. excommunicauit Episcopos Orientis, qui Pascha nolebant celebrare statis diebus Dominicis. Zephyrus 1. ne Episcopus vel à Patriarcha, vel à Primate, vel à Metropolitano suo in iudicium vocatus sine authoritate Apostolica damnaretur. Callistus 1. vt quatuor ieiunia quatuor anni temporibus haberentur: ædificasse dicitur in honorem B. Virginis Basilicam in Transtiberina regione. Sed nolumus vlterius progredi, quia (quantum Pontificiis est tribuendum historicis) ex his vnguibus facile est æstimare leonem, & intelligere quid sit, quod dicitur, illis temporibus fuisse operatum iniquitatis mysterium.

Quis illi est Christianus, cui martyres sunt Antichristiani?

Ecce lector Linus, Cletus, Clemens, Anacletus, Euaristus, Alexander, Xystus Telesphorus, Higynus, Pius. 1. Anicetus, Soter, Eleutherius, Victor. 1. Zephyrinus 1. Callistus 1. operabantur iam mysterium iniquitatis: quia illa fecerunt, quæ narrat homo hæreticus: & quamuis vitam pro gloria Christi fuderunt, huic tamen sunt antichristi, quia operati sunt mysterium iniquitatis, nec innocentes sunt, quia ascendere altius non potuerunt: sed antichristi, quia sedem eius appetiuerunt, censendi sunt: si credimus hæretico. Absit vero vt primitiuæ Ecclesiæ martyres apostolicorum temporum coæuos, Antichristianismi damnemus, id potius gaudeamus, eos nobiscum in

in eadem fide vixisse. vt habet de Lino vetustissimus canon missæ. Iren. lib. 3. cap. 3. Hieronym. in catalgo. Euseb. lib. 3. hist. cap. 12. Epiph. hær. 27. De Clemente idem illi testantur auctores. ille Epist. 3. Missas sine Episcoporum licentia celebrare vetat. Cum illo communicarunt tot millia martyrum primi sæculi, quos iam Antichristianos appellant nouatores. Anacleti Epistolæ, quæ sunt in primo tomo Conciliorum, ostendent illum esse nostræ fidei. Hic Pontifex omnium antichristianissimus esse debet: Nam Epist. 3. ex instituto Romanæ Ecclesiæ primatum asserit. Hæc vera inquit, &c.

Quid mirum est, eos nobis infensos, qui beatos martyres calumniātur.

Anacletus Romanæ Ecclesiæ primatū asserit.

Euaristum Ireneus lib. 3. cap. 3. Epiph. hær. 27. Optatus lib. 2. contra Parmenianum. Aug. Ep. 165. martyrem Christi non Antichristum agnoscunt.

Martyres illi in nostra fide mortui sunt.

Alexander Epist ad Orthod. in T. 1. conc. & de consec. d. 2. can. *In Sacramentorum*, in Eucharistia corpus & sanguinem confici docet.

Xystus inter alia statuit de Episcopis euocatis ad sedem apostolicam, appellationes recipiendas docet. in T. 1. Conc.

Telesphorus Epist. ad vniuersos T. 1. conc. & de consecratione, d. 1. can. Nocte sancta, missas celebrare iubet, corpus domini conficere. Idem ieiunium quadragesimæ ait 7. septimanis ante Pascha obseruandum, carnibus abstinendum. Epist. ad vniuersas d. 4. can. statuimus.

Higynus omnes Basilicæ, inquit, debent cum missa celebrari. T. 1. conc. & de consec. d. 1. can. omnes Basilicæ.

Pius, In domo sororis Euprepiæ missas agit, & sanguinem domini conficit, vt constat ex Epist. ad Iustum Viennensem Episcopum, de consec. d. 1. can. si per negligentiam. Idem de cruce consecrata, T. 1. conc. & 22. quæstione 5. can. Romanam Ecclesiam ait esse omnium Ecclesiarum caput.

Anicetus, Epistolæ eius, & decreta, quæ in T. 1. conc. habentur, ostendunt, eum eiusdem nobiscum fuisse fidei.

Soter statuit, si vnus sacerdos morbo impeditus missam non absoluat, vt alius perficiat, in Tom. 1. conc.

Eleutherius Romano Pontifici reseruata ait definitiua de Episcopis iudicia, alia eius decreta Catholica sunt, ad eum à Martyribus Lugdunensibus legatus venit S. Irenæus. Victor sibi de Episcopis ait iudicium reseruatum, contra Quartadecimanos egit.

Zepherini Decretales Epistolæ Tom. 1. conc. plures leguntur, quibus nostram fidem astruit. Martyr egregius fuit anno 203. Euseb. l. 5 c. 27. Optatus. l. 2. Callistus anno 226. Martyrio coronatus est. De ieiunio quatuor temporum scripsit, nam ante Apostolica traditione tenebatur. Sed vt videtur ter in anno prius agebatur, quod illud, quod in quadragesimā incurrebat, non numerarent pro ieiunio quatuor temporum.

Nostri hostes, calumniatores sunt martyrū.

Nunc omnium conscientiam appello, martyres illi, eadem docuerunt, propter quæ nos vt Antichristiani damnamur, cur ergo illorum est melior conditio, quam nostra? nam illis nos potius credere par est, qui & Apostolicis temporibus vicini fuerunt, & fidem suam sanguine suo consecrarunt, & quia nemo vel in illa Ecclesia, vel sequente de erroribus appellauit. Cur ergo ab illis receditis? cur persecutores Nerones, Domitianos, Traianos, Neruas, Adrianos, Antoninos canonizatis, quasi Antichristianorum Pontificum iudices, & legitimo iure vindices?

Sufficit illa Martyrum damnatio nostræ causæ, separari ab illis nolumus, cum illis in carcerem, & mortem, imo in vestra odia, & contumeliosa iubila ire lubet. Si hæc in illis fuere venialia, nec cœlesti eos aspectu priua-

runt,

runt, cur in nobis sunt tam mala, quam vos esse fingitis? Nolite ô Christiani audire Martyrũ Christianorum posthumos calumniatores.

Sed parum est in Martyres esse asperos, non Apostolis, non Ioanni Baptistæ parcunt. Horrendum auditu est, quod inter exultantes Iubilorum insanias in Academia Wittenbergensi defendere ausus est Wolffgangus Frantzius. Ille, vt opera supererogationis negaret, & indulgentiarum thesaurum è medio tolleret, Ioannem Baptistam accusat.

Thesis 191. *Porro opera supererogationis augere cupit Ioannis Baptista, 1. asperrima vita, de qua inter alia dicitur, nos in scripturis ostendere non posse, vbi DEVS istam asperitatem imperauerit. 2. ex eiusdem resipiscentia & vita nouitate, qua ipse, qui nunquam à Deo alienus fuit, nunquam indiguerit.*

Quid mirum, si Pôtifex Antichristus audit, si Baptista damnatur.

192. *Quod attinet ad historiam de asperitate vita Ioannis Baptista, ibi non est quastio de facto, hoc enim concedimus, quia à sacris literis commemoratur, sed de iure, vtrum recte talem asperitatem æmulatus fuerit Ioannes.*

193. *Non recte fecisse Ioannem, inde patet 1. quia lex Mosis Ceremonialis tum nondum erat abrogata. Et lex illa plures admittebat cibos, quam quos solos Ioannes comedebat. Vnde Christus discipulos ad Iudaeos emittens dicit eis Luca 10. 7. Quicquid vobis apponitur, edite, nimirum non prohibitum lege Mosis. 2. Quia illam regiditatem Essaam & Pharisaam pariter Christus ipse carpit Matth. 9. 16. 17. Marc. 2. 21. 22 Luc. 5. 36. 37. 38. 39. Vbi doctrinam Pharisaicam, & Ioannis quoque de nimiis ieiuniis vocat vestimentum vetus, vtres veteres. Legatur pra reliquis in hanc sententiam ista rectissimè explicans Iacobus Faber Stapulensis in commentariis initiatoriis super 4. Euangelia.*

194. *Et istam prauam consuetudinem contrariam legi Dei & à Christo tum improbatam, contraxerat Ioannes Baptista inter Essaos, siquidem tales fuisse mores Essæorum ex historicis liquet, nimirum gaudebant esse remoti à frequentia, secessuum, & solitudinis cultores, habere victum herbarum, & fructus arborum, fugere cibos animales, sicut antea fecerunt Pythagorici.*

Quid mirum est martyrum & pontificum esse hostes, qui præcursorem domini, quo non est *maior inter natos mulierum,* à Christo toties laudatum, qui *erat lucerna lucẽs, & ardens,* tam petulanter insectantur?

Veteres Lutherani S. Ioanni lautitias affingunt.

Historiam veram esse concedit, contra aliorum Lutheranorum vanissimas expositiones, nam quidam ἀκρίδας, herbarum tenera, aut cancros, Eremum villam suburbanam, vestem è pilis camelorum, damascenam togam interpretati sunt, vt cum Ioanni similes esse non vellent, illum sibi similem efficerent; maluerunt enim Ioannem deliciis solutum proponere, quam illius asperitate delectamenta sua turbare.

Non potest baptista, nisi à magna insania, damnari.

Sed rationes videamus. *Lex Mosis plures cibos admittebat, quam Ioannes edebat,* male igitur Ioannes. Vt species argumenti sit, addatur maior. *Quicunque non edit omnes cibos, quos lex permittit, ille contra legem agit.* Vbi obsecro mentem reliquerunt, qui sic argumentantur? Qui inter legis imperium, & permissionem discrimen ignorant? Lex Christiana omnibus mullos, ostrea, Attagenas & quicquid est escarum permittit, nec tamen peccant, qui à plerisque abstinent. Nonne est *virtus placitis abstinuisse bonis?* Nonne in regio apparatu mensarum licet vno genere cibi alteroue contentum, paucis sedare famem? at Christus discipulis dixit Luc. 10. 7. *Quidquid vobis apponitur, edite.* Esto sanè, illi hac potestate vsi sunt, Ioannes arctiorem sibi abstinentiæ legem indixit, non ideo peccauit Ioannes.

Ioannes iuri suo renunciando, quia discipuli bene fecerunt vtendo. Licuit Apostolo Paulo *de Euangelio viuere*, quemadmodum & cæteris Apostolis, sed maluit *sine sumptu ponere Euangelium.* De altari viuere poterat, nec illi trituranti os obturandum erat magis, quam fratribus Domini, & Cephæ, mori tamen mauult, quam euacuari gloriam suam.

Quod vero ait Ioannis ieiunium à Christo reprehensum, calumnia est. Matth. 9. 16. & 17. Marc. 2. 21. 22. Luc. 5. 36. 37. 38. Non enim Ioannis nimia dicit ieiunia, nec vocat vtres veteres, aut vestimentum vetus. Sed discipulos suos tirones, infirmos, nondum ad noua, & grauia toleranda duratos. Excusat igitur suos, non accusat Ioannem. Quod ex hoc loco constat: nam dicit, non esse conueniens, vt filii nuptiarum, aut thalami, quamdiu est cum ipsis sponsus, ieiunent, fore, vt postea ieiunent, quod eos præstitisse eorum historiæ, & Epistolæ docent. Quod si vtres veteres, & vestimentum vetus vocantur ieiunia Ioannis, quid ergo est vter nouus, & vestimentum nouum? Deinde si vitiosum fuit Ioannis ieiunium, fuit ἐθελοθρησκεία, ab ipso male electum, non igitur verus Doctor Ioannes fuit, præsertim hæreticis, qui ἐθελοθρησκείαν idololatriæ comparant. Tertio, Ieiunium Ioannis Christus ipse laudauit, cum enim Matthæi 11. à v. 7. vsque ad 18. Ioannem laudasset: subiungit: *Venit Ioannes neque bibens, neque manducans, & dicunt, dæmonium habet: ideo similem* ait *generationem illam pueris dicentibus, cecinimus vobis & non saltastis, lamentauimus & non planxistis.* Tanta, igitur asperitate pœnitentiæ, qua monstrabatur, non tantum docebatur vita æterna, oportebat eos excitari ad virtutem: & quia nec seueritate Ioannis, nec benignitate Domini conuersi sunt, exprobrat illis contumaciam.

Christus laudauit ieiunium S. Ioannis Bapt.

At si contra legem Mosis fuisset illa vestitus, victus-

Id quod iã dicunt impudentissimi sectariorum.

que asperitas, merito dixissent Iudæi, *dæmonium habet*, vt qui legem Dei violaret. At tam Lutherani, quam Galuiniani fatentur Iudæos impudentissimè, & calumniosissimè, tam Ioannem, quam Christum sugillasse, quibus nunc succedit Academicus Wittenbergensis, qui vt Papám euertat, Ioannem Baptistam Christo opponit.

Esseni quales.

Denique Ioannem Essæum vocat, eorum moribus imbutum, eorum discipulum. Essenos admodum laudant historiæ, liber hebræorum quem Iuchasin vocant, Essenos Nazaræos appellat, quos 70. nominare solent ἡγιασμένους, origo eorum ab Rechabitis, quidam eorum erant κοινόβιοι, alii μονάζοντες, ita Iosephus, aliique. Abraham Zachutz, moribus optimis ait fuisse, odio habuisse lucrum, cauisse scortationes, & Iosephus καταφρονητὰς fuisse τοῦ πλούτου. & lib. 18. cap. 2. βελτίστους δὲ ἄλλως ἄνδρας τὸν τρόπον, optimis moribus præditos, cœlibes, agricolas, deliciarum, vt vnctionis & ornatus exortes, de fato, quod illud crediderunt, bonum sensum habere potest. Si Esseni viri boni, & sancti fuerunt, non docuerunt Ioannem consuetudines legi Dei contrarias; si hæretici, vt fere sentiunt nouatores. Ioannem quoque eorum discipulum, & imitatorem hæreticum faciant oportet, vt cuius vita tota fuerit diuinæ legi contraria, & à Christo improbata: cum tamen de eo dictum sit, *& tu puer Propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam scientiam plebi in remissionem peccatorum eorum.*

Contumeliosa est laus eorũ, qui tam sanctos accusant.

Hæc generatim monere volui, ne quispiam tot calumniis, quas plenis mendaciorum plaustris deuehunt, moueatur, cum videt, non modo Pontifices, & clerum, sed quod impium est, veteres martyres & eorum Ecclesias antichristianismi accersi, imo S. Ioannem Baptistam,

impietatis,

impietatis, & erroris accusari. Id Deum rogamus, ne vnquam illo ore laudemur, quo tam sancti tam impudenter accusantur, nec magis à nobis, quam ab illis recesserunt.

CAPVT XVIII.

Rectene causas speciatim reddant cur à Catholica recesserint Iubilantes?

OSTENDI causam cur tanto odio in Pontificem, Catholicosque ferantur, non esse in nobis, sed in malitia apostatarum, nam pari modo in veteres martyres, & Ioannem Baptistam inuadunt. Nunc causas speciales examinare placet. Causas tot allegant, quot articulos à nobis diuersos tuentur, sed eos singulatim deinceps explicabo, nunc quæ proprie in Pontifice carpunt, videamus. Referri illa ad tria capita possunt, superbiã, quod se Deo æquet, Regibus imperet, duplicem potestatem vsurpet, 2. libidinem, quod scortationem approbet, quod impure viuat. Auaritiam quod fraudibus omnes circumueniens opes colligat. Hæc omnium argumenta sunt concionum. Legi potest vel vnus Pandochæus, non quod reliquis doctior, sed quod mendacia in concione velut in Pandochæio errabundus constiparit. Aut Vincentius Schmuck in thesibus. Vel sane si varietas placet, Simon Stenius poeta, qui ridicule mendax carmen miserum in Academiâ Heidelbergensi disperdidit, ille saltem legenti gratias aget, & quidem carmine, quo miserrimos versiculos conclusit.

Tria præcipue Pontifici imponunt.

Quod reliquum est, auditorum, mea musa, corona,
Pro tanto sese gratam declarat honore,
Quod voluit præsens decorare senem capularem.

Quia

Quia vero ex Daniele & Apocalypsi omnes Pontificem oppugnant, & scripturarum deprauatione hæreses stabilire conantur, ego quoque loca illa explicanda sumpsi, vt omnibus constet, quantum à vero aberrent. In quo iterum & merito, & serio protestor: Ex Apocalypsi non posse eos fidem firmare suam, cum illum librum primores Lutheranorum, & Caluinianorum repudiarint, & posteri certiores esse non possint, quam illi fuerint. Secundo Prophetias Danielis, & Apocalypseos esse obscurissimas, ab interpretibus varie intellectas in Ponficē intorquent, & catholicos omnes, & ex coniecturis leuissimis condemnant, & pœnas atrocissimas decernunt. *Fateor*, inquit Pareus (qui hoc anno in cumulum iubilorum omnium edidit commentarios in apocalypsin,) *complures sæculi nostri maioris notæ Theologos, Lutherum, Melanchthonem, Bucerum, Martyrem, Caluinum, Bezam, alios, ab interpretatione Apocalypseos abstinuisse. Id vero neque auctoritatem libri diminuere, neque interpretibus aliis præiudicare potest. Quis scit enim obscuritate absterriti, an laborum mole, temporisue angustia præpediti abstinuerint, cum de libri authoritate minimè dubitarent.* Tandem fatetur illos commenta *parum cohærentia, aut ad mentem Spiritus Sancti quadrantia protulisse. Factum inde, vt cumulati quidem in hunc librum commentarij exstent, quorum nullus non nouam lucem polliceatur, obscuritas vero eius non modo non sit imminuta, sed densioribus alicubi tenebris inuoluta.* Nihil vnquam in his rebus dixit verius Pareus, & si ita pergat, aliquam tot mendaciorum veniam meretur. Ex his ergo tam obscuris damnari nos æquum non est. Sed rem ipsam videamus.

Ex Apocalypsi nihil agere contra Pontificem possunt.

Lucem promittūt, & tenebras condensant.

CAPVT

CAPVT XIX.

An angelus Apocalypsis 14.6. sit Lutherus?



Pocalypsis 14. 6. ita scribitur. *Et vidi Angelum volantem per medium cæli habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret sedentibus super terram & super omnem gentem, & tribum & linguam, & populum dicens magna voce: Timete Dominum & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius: & adorate eum, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in ijs sunt, & fontes aquarum. Et alius angelus secutus est dicens, Cecidit, cecidit Babylon illa magna quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes. Et tertius angelus secutus est illos dicens voce magna. Si quis adorauerit bestiam & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua aut in manu sua: hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne & sulphure in conspectu angelorum sanctorum & ante conspectum Agni.*

Hic Angelus iubilantibus est Lutherus, non vetustioribus Lutheranis, non Caluinistis. Multi hæc verba pro themate concionum vsurparunt, imprimis Matthias Hoe Archiconcionator Saxonicus Concionibus quinque de Thaumasiandro & Triumphatore Luthero, cui video cæteros blandiri, vtpote ex aulica potentia venerando. *Lutherus angelus est Lutheranis.* Mirum vero est, tot concionibus ne vno quidem eos argumento probare Lutherum esse angelum, sed tãtum affirmare, & tanquam id certum sit, inde consectaria deducere, epiphonemata proclamare. Sed ille adeo stolidus est, vt confessionem Augustanam tenere se putet integrã, aut ex opinionibus Lutheri se Euangelium docere. Ideoque in concione prima in Caluinistas iracunde inuehitur. Plurimi alij in hoc argumento versati, hunc angelum de Luthero interpretati sunt; Quorum illa est ratiocinatio.

Angelus qui volans per medium cœli, fert librum Euangelij ęterni, is audiendus est. Sed angelus ille est Lutherus, igitur audiendus est Lutherus. Igitur est Antichristus Pontifex.

Nemo non videt totam difficultatem in minore consistere, si enim ita est; omnibus nobis antiqua fide migrandum est, Caluinianis quoque retro ad Lutheranos vnde plerique recesserunt, vela dare oportet.

Primum itaque sedulo atque in timore Dei considerãdum est, an in verbo Dei sit ille articulus: *Lutherus est angelus habens librum Euangelij æterni.* Quod si in sacris scripturis non est, an ex illis euidenti consequentia deducatur? Iubilatores nostri ridicule faciunt, dum hyperbolice contra verum, & supra fidem laudantes Lutherum, rem confecisse se putant, si aliqua in vtroque similia commenti sint, vt maiore probabilitate olim Epicurum in hortulis suis porcelli illi dilaudarint, quem cœlo quasi lapsum arbitrabantur; quam hæc oracula ad Lutherum transferant Luthericolæ.

Causæ cur ita sentiam sunt multæ.

Pauci Luthero angelicũ volatum imputant. Prima. Quia nemo præter paucos Lutheranos ita prophetiam interpretatus est. Deinde illi nullo modo conueniunt. Nam Hutterus lib. de sacrificio Lutherum iudicat; alij primum angelum esse Lutherum, sed determinatè vt contra indulgentias prędicauit, alium vero angelum esse eundem Lutherum cum Antichristum reuelat, & damnat. Tertium angelum esse Lutherum, & Lutheranos qui Interim oppugnarunt, & omnes cum Papa collusiones. Tertio, Caluiniani Ioannem Wicleffum anglicum doctorem, esse hunc angelum Bibliophorum arbitrati sunt, ita Pareus in hunc locum.

Caluiniani VVicleffum illo di *Hic angelus est Anglicus Doctor Ioh. Wickleff in Oxoniensi Academia Professor publicus, vir toto orbe nominatissimus, qui*

um

cum totus Occidens bestiam Romanam sequeretur admirans anno 1371. in Anglia aduersus Antichristum concionibus & scriptis detonare cœpit, docens ex Euangelio: Non debere esse in Ecclesia Christi supremum aliquem Episcopum: Papam non esse vicarium Christi, sed Antichristum, eius priuilegia, bullas, dispensationes & indulgentias esse otiosas, inutiles, impias: spiritualibus non esse dandum dominium politicum, &c. *...gnantur honore.*

Vix igitur dubium est, quin eodem Anabaptistæ suos, Sociniani Ostorodium, alij Swenckfeldium nominaturi sint, nemo certe aliorum Lutherum tanto honore dignabitur. Non igitur hoc fundamento ad firmandam fidem niti oportet. Cum res nondum probata sit. *Cur nō potius Augustinū, Vincentium, Dominicū Ignatium, Xauerium*

Secunda ratio. Angeli natura nimium quantum à moribus Lutheri dissidet. Nolo illa referre quæ notissima sunt, ex symposiacis, & turpiloquijs illius, quæ totus mundus Germaniæ illi obijcit, quæ posteri hincinde verecundia tam magnæ αἰσχρολογίας, deleuerunt. Hoc tantummodo rogo, vt legatur Lutherus Angelicus, nulla alia oratione opus fuerit. *Lutheri mores porcis quam angelis similiores.*

Tertia ratio. Non volat per medium cœli, ἐν μεσουρανήματι, hoc est loco conspicuo per totum mundum, sed in vnica parte, quæ mox tamen in particulas dissecta est, & nunc fere exstinctum est etiam nomen Euangelij Lutherani, res enim dudum in nihilum abijt. Quantulus enim angulus est Germaniæ, in quo manet integrum nomen Lutherismi? Et in illis ipsis angulis sub alienis hæresibus miserrime trepidat, imo ita contemnitur, vt nihil sit abiectius ministris Luthericolis, testem cito senem Paulum Laurentium Misniensem concionatorem, conc. Iubil. 2. pag. quadragesima septima. Iam non adeo diligenter, nec pie templa frequentantur, conciones audiuntur; passim hæc se secum posse discere credunt *Luthericinominis pars parua est.* *Prædicantem esse apud Lutheranos est probrosum.*

 homi-

homines; neque tantum nouas audiendi cupidi concionale officium ita fastidiunt, vt multi filios suos in Concionatorum venire numerum prorsus abnuant; multos etiã prædicantium filios, postquam ad alios honorum, & officiorum gradus sunt euecti, pudeat patre se prædicante genitos. Non igitur ne Lutherissimi quidem suos prædicantes eiusmodi angelos arbitrantur, quos vt histriones, & mendaciorum sartores contemptui, & ludibrio habẽt.

Quarta ratio. Euangelium Lutheri non est æternum; Nam ante Lutherum nemo illud norat, & illi fuit Lutherus superstes. Hoc si quis negarit, necesse est vel vnum ante Lutherum, vel cum Luthero, vel post Lutherum nominare, Luthero consentientem. Imo ostendendum Lutherum sibi constitisse; quod nemo ne Lutheranorum quidem credit.

Quinta ratio. Angelus hoc modo per cœlum volans, sine errore Euangelium docet. Lutherus cum incepit, & aliquandiu docuit, se adhuc fuisse insanissimum Papistam fatetur. Pareus primis annis fuisse Augustinianum affirmat. Verba eius, l. 4. c. 13. de Cœna Domini.

Lutheri varietas.

Nec sumo mihi iudicium de tanto viro, & Dei aduersus papatum singulari organo. Saltem quantum ad hanc quæstionem dicam id, quod non semel interrogatus respondi, quodque scripta eius & historia comprobant, Lutherum à Luthero distinguendum esse. Homo enim fuit, in contentione feruentior sæpe (quod magnis ingeniis contingere solet) quam circumspectior, aut veri rectique seruantior.

Augustinianum amplectere:	*ad annum 24.*
Synecdochistam ne tene:	*ad ann. 29.*
Concordiam eius suscipe:	*ad ann. 43.*
Ad parua confessum fuge:	*ad ann. 44.*
Rursus fatentem sustine:	*ad ann. 46.*

Non est igitur Euangelium æternum, quod nunc est Augu-

Augustiniani, nunc Synecdochistæ, nunc Zvvingliano-concordistæ, deinde parua & praua confessi, deniq; fatentis errorem, nec sine errore tamen alio errorem confitentis.

Obijciunt tamen nobis: Ideo Lutherum esse angelum, quia liber fuit eius volatus à iurisdictione Papæ. Verum non est vllius momenti hæc ratio, omnes enim quotquot olim, quotquot nunc ex orco emerserunt hæreses, libertatem eam, licentiamq;, alioqui mancipia peccati, vsurparunt. Nec laudis est spreto Ecclesiæ & antiquitatis iudicio, suis auspicijs, non vsitata via ad gloriam tendere. Hanc vero ob causam Icarius volatus fuit, & decidit in in Papatum Saxonicum, vt Clebitius Caluinista scribit, queriturque Melanchthon *pro iugo ligneo ferreum impositum.* Quod si videre possent Ministri verum, certè animaduerterent, sole clarius maiorem fuisse, & esse inter docendi libertatem, quam inter eos, qui tot catenis astricti, Dædalos se Apocalypticos esse imaginantur. Nonne à regibus, à curijs docendi leges accipiunt. Videant obsecro acta Marpurgensia anni 1606. **Antwort auff den Historischen Bericht der Marpurgischen Kirchenhendel** pagin. 49. & 50. Vbi Illustrissimus Lantgrauius Hassiæ Lutheranis cedere Ecclesijs, & ministerio recusantibus ius suum exponit: narrant rem ipsimet exules hisce verbis **Daß wir aber vns beschweren / vnsere Diensten selbsten Ihr. Fürstlich. Gnaden / auffzutragen / vnnd zu resignieren / kame ihr daß wunderbarlich für / da sie vns noch nie nit angenommen / sondern es were solche Aempter albereits loß gestorben mit dem Herrn / dem wir zuvor gedienet. vnnd** ipso facto **vns resigniert.** *Quod grauemur ipsimet nostra ministeria suæ Celsitudini tradere, & resignare, id sibi admirabile videri, cum nos nondum acceptauerit, sed omnia illa officia cum domino priore defuncto, cui seruissemus vacua esse facta, atque*

Libertas à legitimi pastoris imperio seruitutem induxit.

Pro Papæ iugo ligneo datũ est iugum ferreum.

exspirasse, atq; ipso facto sua Celsitudini resignata. Ecce libertatem Angelorum per medium cœli volantium. Non modo dimittere, recipere, præcipere de prædicatione possunt principes sæculares, sed ipsorum morte vt palatina officia scribarum, & equisonum, ita quoq; prædicantium ministeria desinunt, nec nisi noui domini, voluntate, atq; acceptatione rata sunt.

Sexta ratio est Non conuenit oratio huius Angeli, & Lutheri; Verba angeli sunt. *Timete dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius, & adorate eum, qui fecit cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eo sunt, & fontes aquarum.*

Lutherus timorem pellere conatur.

Lutheri verbum est, timorem Dei perniciosum esse, magis peccatores facere. Vetat considerari Christum vt iudicem, & vindicem.

Deinde docet fiduciam, quæ omnem timorem excludit. Angelus timeri dominum iubet, quia venit hora iudicij eius: At timere Dei iudicium, ac pænas iudicio decretas & Lutherani & Caluiniani iudicant esse fremitum contra Deum, & ad desperationem deducere, hic autem Angelus ad crimina, & blasphemias nequaquam adhortatur.

Nec Angelus ille est Wicleffus, vt Pareus putat. Nam Angelus hic non docet hæreses, at Wicleffus multas hæreses protraxit, quas etiam nõ potest inficiari Pareus esse hæreses: In concilio constan. sess. 8. & 45. numerantur articuli 45. quos Conciliũ damnauit, & Pareus ex his quoque damnare debet.

Quartum articulum, *si Episcopus, aut sacerdos existat in peccato mortali, non ordinare, non consecrare, non conficere, non baptizare.*

Angelica dogmata Wicleffi.

Sextum, *Deum debere obedire Diabolo.*

Deci-

Decimum, *Contra scripturam sacram esse quod viri Ecclesiastici habeant possessiones.*

Vndecimum, *Nullum Prælatum debere aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum à Deo, & qui sic excommunicat, fieri ex hoc hæreticum, & excommunicatum.*

Decimum quintum, *Nullum esse Dominum ciuilem, nullum esse Prælatum, nullum Episcopum, dum est in peccato mortali.* *Cur hæc in Rempublicam inducuntur.*

Decimum septimum, *Populares posse ad suum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.*

Vigesimum septimum, *Omnia de necessitate absoluta euenire.*

Vicesimum nonum, *vniuersitates, studia, Collegia graduationes & Magisteria in eisdem, esse vana Gentilitate inducta, & tantum prodesse Ecclesiæ, sicut Diabolum.*

Quadragesimum tertium, *Iuramenta illicita esse, quæ fiũt ad corroborandos humanos contractus & commercia ciuilia.*

Quadragesimum quintum, *Omnes Religiones indifferenter introductas esse à Diabolo.*

Alios collegerunt alij, vt *Matrimonium lege diuina licitum esse inter fratres, & sorores, nec nisi humana ordinatione interdictum*, ita l. 4. trialogi c 20 Et quod omnino blasphemum est, *Creaturam quamlibet esse ac vocari posse Deum, quod illius perfectio sit in Deo, vt in sua causa, & quidem modo ideali, & exemplari.* *Veteres Põtifices agnouit ad Vrbanum Sextũ, qui ann 1378. sedit.*

Quid vero illud? *Quod vsq; ad Vrbanum veros Pontifices agnoscit, cum Caluinus Gregorium vltimũ putet?* Cum alij à Lino & Cleto Antichristianos auspicetur? Verba eius sũt errore 9. *Post Vrbanum Sextum non esse alium Pontificem suscipiendum, cum Vrbano vero communicationem habuit*, si igitur verus Angelus est Wicleff, omnes prædicantes damnantur, quia possessiones habent, non quantas vellent, sed quantas aula permittit. *Vvicleff multa Catholica dogmata retinuit, Ob quæ nos damnant Sectarij.*

Multa

Multa ille catholica retinuit, quæ Caluiniani detestantur. l. 2. c. 4. *meritum agnoscit.* & l. 3. c. 2.

Fidem ponit in intellectu, & à Spe distinguit. l. 3. c. 2. quod est contra Caluinianos.

Fidem habere meritum, ibidem

Fidem & spem tribus modis distinguit. l. 3. c. 3. 1. *Spes est solum de æterno præmio, fides de omni alia veritate. 2. Spes quietatur in quodam actu medio inter dubietatem, & credulitatem. 3. Spes est tantum de bono possibili, fides de malo etiam*, quæ sunt contra Caluinum.

C. 3. l. 3. ait, *Deum approbare & necessitare ad peccatum, sic necessitare creaturam peccabilem ad peccatum.* Hoc Caluiniani multi negant, & rectè.

C. 5. Ait, *peccato aliquo gratiam exstingui*, Rigidus igitur hac in parte est.

C. 6. *Multos præscitos, hoc est reprobos*, ait, *esse in præsenti gratia.*

L. 4. c. 1. *Agnoscit septem Sacramenta.*

L. 4. c. 20. *Matrimonium vocat venerabile Sacramentum.*

L. 4. c. 22. *agnoscit purgatorium.*

L. 4. c. 24. *Contritionem vocat dolorem sufficientem ad peccati deletionem, & pænitere est peccata plangere, & plangenda non committere.*

Hæc aliaq; tam docet aliena ab hodierno Caluinismo, vt mihi magis ridiculus sit visus Pareus, dum Wicleffum canonizat, & angelum facit, quã cum dixit, Caluinianos, & Lutheranos in vno tantum articulo, eoq; non toto discrepare. Sed ex aterrimo dæmone Angelus fieri sine ingentibus mendacijs non potest.

Angelus ille cæcutiebat, & caligabat.

Excusat se tamen Pareus: Non displicet. *Brichmanni coniectura, significari hoc volatu inter vtrumq; imperfectionem doctrinæ initio ab illis doctoribus prolatæ. Licet enim errores crassiores Papæ viderent, & reprehenderent: tamen aliquid adhuc*

adhuc de fecibus terrenis in multis adhærescebat, vt non plenis alis sese in summum cælum efferre possent. Vt enim qui diu in tenebris delituit, repente prodiens in lucem omnia oculis caligantibus adspicit: ita qui in tot sæculorum Papatus tenebris detenti fuerant, protinus haud poterant nisi caligantibus oculis lucem Euangelij aspicere, sed primum hoc absurdum est: Angelum esse tam ignorantem, tam blasphemum, & mitti tanquam magistrum omnibus sedentibus in terra, *super omnẽ tribum, & gentem & linguam, & populum.* Angelum inquã generalem mundi doctorem, tenentem Euangelium æternum, tam solenniter à Deo missum, tot errores nomine Euangelij æterni circumferre. Si igitur in tam multis Angeli aberrarunt, non est causa cur illis credamus. Nam pluribus in rebus nobiscum sensit, quam cum Caluinianis Wicleffus.

Si Angelus tot modis errauit, cur non nobis ignoscũt, quos errare fingunt?

Cum verò Angelus ille venerit eo tempore, quo bestia secunda, fecit homines adorare imaginem primæ bestiæ, aduersarijs autem prima bestia sit Imperium, seu Imperator, altera Papa seu Papatus, & nondum Papa iusserit adorari imaginem Imperatoris, aut Imperij, aut gerere eius characterem, necdum etiam venit ille Angelus, non igitur Wicleffus fuit. Tres igitur illi Angeli tres erũt præcipui doctores, Antichristi tempore, qui bestiæ repugnabunt, qui veram doctrinam promulgabunt.

CAPVT XX.

An verbis Danielis c. 7. 21. & 8. v. 23. describatur Romanus Pontifex.



Erba Danielis c. 7. v. 21. Aspiciebam, & ecce cornu illud faciebat bellum aduersus sanctos & præualebat eis: donec venit antiquus dierum & iudicium dedit sanctis excelsis, & tempus aduenit, &

regnum obtinuerunt sancti. Et sic ait bestia quarta, regnum quartum erit in terra, quod maius erit omnibus regnis, & deuorabit omnem terram, & conculcabit & comminuet eam. Porro cornua decem ipsius regni, decem reges erunt: & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit. Et sermones contra Excelsum loquetur, & Sanctos Altissimi conteret: & putabit quod possit mutare tempora & leges, & tradentur in manu eius usque ad tempus & tempora, & dimidium temporis.

Verba Danielis prophetæ c. 8. sunt. *Et post regnum eorum cum creuerint iniquitates, consurget rex impudens facie, & intelligens propositiones, & roborabitur fortitudo eius, sed non in viribus suis, & supra quam credi potest vniuersa vastabit, & prosperabitur, & faciet. Et interficiet robustos, & populum sanctorum secundum voluntatem suam, & dirigetur dolus in manu eius, & cor suum magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos, & contra Principem principum consurget, & sine manu conteretur. Et visio vespere, & mane quæ dicta est vera est. Tu ergo visionem signa, quia post multos dies erit.*

Et c. 11. 36. *Et faciet iuxta voluntatem suam rex, & eleuabitur, & magnificabitur aduersus omnem Deum: & aduersus Deum Deorum loquetur magnifica, & dirigetur donec compleatur iracundia. perpetrata quippe est definitio. Et Deum patrũ suorũ non reputabit, & erit in concupiscẽtijs fœminarũ, nec quemquam deorum curabit, quia aduersus vniuersa consurget. Deum autem Maozim in loco suo venerabitur, & Deum quem ignorauerunt Patres eius colet auro & argento, & lapide pretioso, rebusque pretiosis. Et faciet vt muniat Maozim cũ Deo alieno quem cognouit, & multiplicabit gloriam, & dabit eis potestatem in multis, & terram diuidet gratuito. Et in tẽpore præfinito prælíabitur aduersus eum rex Austri, & quasi tempestas veniet contra illum rex Aquilonis in curribus, & in equitibus, & in classe magna & ingredietur terras, & conteret, & pertransiet &*

siet &

fiet & introibit in terrã gloriosam & multi corruent. Hæc omnia, inquiunt, facit Pontifex. Ex Paulo Laurentij referam, nam multi eadem scribunt.

Primo ait. conc. 1. *Papæ legatum Tezelium docuisse. Rubrã crucem cum Papæ insignibus habere eandem vim quam habeat crux Christi.*

Calũniæ ingentes. Vnus auctor ostendatur, qui ita doceat.

Secundo. *Indulgentias esse gratiam iustificantem.*

Tertio. *Indulgentijs sine pœnitentia peccata dimitti.*

Quarto. *Etiam futura peccata se remittere.* Hæc de doctrina.

Quinto. Papam vocari המלכ regem illum certum, qui Antiocho respondeat malitia, & criminibus.

Septimo. Bonifacium octauum Alberto negasse confirmationem, quod se Regem, & Pontificem diceret. Regio etiam ornatu incessisse, dixisseq;, *Ecce duo gladij hic.*

Octauo. Scripsit Philippo regi Franciæ, *scire te volumus quod & in spiritualibus, & temporalibus nobis subes.*

Nono. *Exlex est, & à nemine iudicari vult.*

Decimo. *Faciet, quod volet.*

Vndecimo. *Eleuabit se contra Deum.*

Duodecimo *Dicit se omnia posse, quæ Deus potest.*

Tertiodecimo. *Deum se facit.* dist. 96. c. 7. Satis. Et cõc. 2.

Quartodecimo. *Dicit se vicarium Christi.*

Quintodecimo. *Agnum Dei æquat sanguini Christi.* Ita Vrbanus 5. ad quendam Græciæ Imperatorem misit, & scripsit, Peccatum frangit, vt Christi sanguis, & angit.

Sextodecimo. Matrimonium tollit, libidines cœteras permittit.

Septimodecimo. *Mauzim colit, & idolatra efficitur.*

Decimo octauo. Pius. 4. *octoginta Euangelicos occidi iussit, alij multas persecutiones instituerunt.*

Matthias Hoe in præf. de Thaumasiandro Luthero. *tẽpore Iulij Secundi, ait, decies centena millia occisa esse.*

Supremus iudex non habet iudicem. Facit, quod licet. Dei minister est. Nihil par sanguini Christi: Agnus sacratus ob preces Ecclesiæ per modum impetrationis aduersum peccatum est.

Verum hęc partim falsissimè, partim malignissimè sunt narrata, nos scripturam interpretemur, sed incipere præstat à c.7.v.24.

Reges illi variè accipiuntur.

Porro cornua decem ipsius regni decem reges erunt, & alius surget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit.

In Chaldæo est, מנהמלכותא, ex regno enim consurgent, ille vero alius dicitur fore illis potentior, siue vt Chaldæus habet, (hoc enim caput à Daniele Chaldaicè non Hebraicè scriptum est) ישׁנא *antecellens* cæteros, seu differens præ cæteris, quod editio Romana Græca non de potentia simpliciter, sed de impietate interpretatur, ὃς ὑπεροίσει κακοῖς πάντας τοὺς ἔμπροσθεν, aliæ tamen editiones nomen τοῖς κακοῖς omiserunt. Cornu paruulum Porphyrius olim dixit, esse Antiochum qui dictus est nobilis, seu Epiphanes. Ita & Bruchthonus, Iunius, Tremellius, qui hæc decem cornua sic enumerant.

Superabit omnes.

1. Seleucus Nicanor
2. Antiochus Soter.
3. Antiochus θεός
4. Seleucus Callincius.
5. Ptolom. Euergetes.
6. Seleucus Coraunus.
7. Antiochus Magnus siue Hierax.
8. Ptolom. Philopater.
9. Seleucus Philopater.
10. Antiochus Epiphanes.

Tres reges humiliati ab Epiphane.

Ptolom. Philopater.
Seleucus frater Epiphanis.
Demetrius.

Hæc

Hæc ſententia facile refutatur omnibus illis argumentis, quibus probatur, ad quartam beſtiam, quæ eſt Romanum imperium pertinere paruulum cornu. Ille tamen error Caluiniſtarum pro nobis eſt, quia ex eo conſtat incertam eſſe de Pontifice coniecturam, cum illorum primores eorum prophetiam ad Chriſtiana tempora nequaquam producant. Sed quia veritate non alieno errore nitimur, hanc quoq; opinionem confutemus. *Hæc verba doctiores ad Græcam Monarchiam referunt.*

Primo Α'νιστορίαν illa ſententia continet; vel enim cū decimum eum faciunt, enumerant ſolos reges Syriæ Seleucidas, & eo modo octauus fuerit Epiphanes, ſi addunt duos Ptolomæos, Euergeten, & Philopatora, pari ratione Ptolomæus Lagi iungendus erit, qui vt auctor eſt Ioſephus l. 13 ãtiq. Syriam, & vrbem occupauit. Et Ptolomæi filius qui dictus eſt Philadelphus, ſub quo facta eſt conuerſio 72 interpretibus. *Ad Græcos non pertinet.*

Secundo in tribus regibus humiliatis non conueniunt, Porphyrius Philometorem, Euergeten Ægyptios, Artaxiam Armenum iudicat. Caluiniani hunc Demetrium ſtatuunt. At non magnopere Ægyptios humiliauit; nam infecta re diſcedere coactus eſt. Sed neque Epiphanes reliquis potentior fuit, ſed exhauſto ærario miſer, & egēs, vt teſtatur hiſtoria Maccabæorum. Certe Seleucus Nicanor victo Lyſimacho latius imperauit, ipſe etiam Antiochus Magnus, alijque. *Epiphanes inferior multis regibus fuit.*

Altera ſententia eſt; Cornu paruulum eſſe Turcam, ita Annius, Pintus, Vatablus, ipſe Lutherus & Strigelius. Sed tamen de tribus regibus quos Turca humiliarit res inter eos non conuenit; alij enim regnum Arabicum, Ægyptiacum, Aſiaticum. Lutherus pro Arabico poſuit Græcum regnum. Additque non plura deiecturum ante diem extremum iudicij. Quod ſi verum eſt, nec Germani, nec Itali metu iſtius tyranni teneri poſſunt, ipſa etiam Pan- *Lutherus de Turca interpretatur.*

nonia eius vicinitatem non exhorrescet. Daniel hanc sententiam refutat, cum ait esse reges non regna, & reges deijciendos. Quod Lutherus audacter pronunciat, Romanorum Monarchiam esse diuisam in 10. regna, nempe, Syriam, Ægyptum, Asiam, Græciam, Italiam, Galliam, Hispaniam, Africam, Germaniam, Angliam, more suo libere magis quam considerate loquitur. Quid enim de Illyrico, Istrique regionibus, atque adeo Mesopotamia dicemus? Deinde Turca plura regna tenet, Syriam, Ægyptum, Asiam, Græciam, Africam. Vt taceam Hispanias per octingentos annos à Saracenis possessas, quinque igitur vel sex cornua deiecta sunt.

Iudæi paruulū cornu aiunt esse Christum Dominum.

Impia est & blasphema sententia Iudæorum cornu paruulum esse Christum Dominum, qui à paruis initijs cœpit, fabri filius, & latronum in cruce collega, & Apostoli piscatores. Secundo, Locutus est ingentia, esse se filium Dei. Tertio mutauit tempora & leges. Quarto regnauit per tẽpus & tempora & dimidium temporis, nam ab eius baptismo ad crucem sunt 3½. anni. Quinto contritum est cornu hoc à populo sanctorum, à Synagoga, at eos Christiani & Turcæ sibilis excipiũt, vel eo maximè quod post hoc cornu contritum regnum non datur populo Dei, i. Iudæis, sed excidium accidit, & tot sæculorum captiuitas, deinde si cornu paruulum est Christianorum regnum, quomodo illud tria tantum regna in imperio Romano obtinet? quæ illa tria, & quæ reliqua septem? deinde non sunt Christiani qui Iudæam exciderunt sed Christianorum hostes Vespasianus, Adrianus, alij, reliqua non conuenire in sequentium explicatione dicetur.

Hos imitãtur nostri temporis Sectarij, & quod in Christum conferre non audent, in eius Vicarios euomunt.

Vera est igitur sententia Patrum plurimorum cornu paruulum esse Antichristum, *Ergo dicamus*, (inquit Hier.

hoc

hoc loco) *quod omnes scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in cõsummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros reges, qui orbem Romanum inter se diuidãt, tum vndecimum Regem surrecturum paruulum, qui tres reges de illis septem superaturus sit, id est, Aegypti, Africæ, Aethiopiæ reges quibus interfectis etiam septem alij reges colla victori submittent.* *Verum est Antichristus.*

Vnus igitur rex Antichristus, qui tres reges eodem tẽpore regnantes subijciet, vt rectè ait Theodoretus. *Quod si*, inquit, *non eodem tempore imperarunt, verum singuli superioribus succedentes, alijs alij, quomodo iste tres superiores eodem tempore humiliabit?* Graserus in plaga in c.13. ait; Illud caput Ioannis *ducere nos in acropolin Antichristi & conuenire cũ capite* 7. Danielis. Verum nihil ad Pontificem illa pertinere disertis verbis probo.

Pontifex tres reges non humiliauit. Primo Pontifex tres reges non humiliauit, vel enim loquimur, de eius imperio temporali, & hoc parte latij non magna continetur, vel de potestate spiritali, & illa in omnes reges, & regna Christiana semper fuit, non in tria duntaxat. Eam, adhuc Germania, Gallia, Italia, Hispania, Polonia, aliaq; regna agnoscũt. Itaq; nihil hac in parte cohæret; oriturq; inuictum argumentũ pro Catholica fide. Pontifex Romanus post decem reges qui Romanũ orbẽ tenuerunt diuisum non est exortus, nec tres ex illis regibus humiliauit, non est ergo Pontifex hoc cornu paruulũ.

Hinc ad alia gradum facio. Non est iudicio plurimorũ Pontifex hoc cornu paruulũ, nec esse põt, non est ergo ẽt rex ille de quo c.8 agitur, nec bestia apocalyptica. Nã hoc cornu, & illum regem, & bestiam apocalypticam vnum regnum, seu Monarchiam sectarij affirmant. Si itaq; hoc cornu nihil ad Papæ regnum facit, nec ergo illæ bestiæ. Quæ enim non conueniunt cum aliquo, etiam non conueniunt cum illo, quod idem est cum aliquo.

Deinde n. 25. *Et sermones contra excelsum loquetur* &c.

Chal-

Pontifex non dicit se Deum.

Chaldęus textus quo vsus est Daniel, ait מילין לצר עליא quod est proprie, *loquetur sermones ad partem, vel ex parte altißimi*; 70. vertunt. λόγους πρὸς τὸν ὕψιστον λαλήσει. *Sermones ad altissimum loquetur*. Symmachus teste Hieronymo vertit. *Sermones quasi Deus loquetur*, vt qui Dei assumit potentiam, verba quoque diuinæ sibi vendicet maiestatis. 2. Thess. 2. *ostendet se tanquam sit Deus.* Hoc Pontifex non facit; non est ergo cornu illud de quo Propheta Daniel loquitur. Minor certa est apud omnes legitimos iudices. Pontifex enim se hominem, peccatorem, seruum Dei, seruorum Dei seruum profitetur. Omni die peccata sua Deo confitetur; sæpe etiam sacerdotibus, in faciem coram Deo prosternitur. Quæ omnia hominis sunt, & hominis Deum cognoscentis, suam imbecillitatem gementis, non diuinitatem affectantis.

Calumnia orta est ex verbis S. Bonifacij Martyris & Archiepiscopi.

Grauissimus morbus est qui à capite promanat

Hic insurgunt omnes. Primo, *qui à nemine vult iudicari ille se Deum facit, sed Papa à nemine vult iudicari, ergo diuinitatem affectat. Nam si Papa innumeras animas secum ad inferos trahat, tanta est eius superbia, vt nolit sibi à quoquam dici cur ita facis?* Integrum tibi locum ex Epistola sanctissimi Archiepiscopi Moguntini & martyris Bonifacij ascribam, nam pars habetur distinct. 40. can. 6. *Si Papa.* citabo. Verba Bonifacij sic habent. *Sancta Romana Ecclesia priuilegio specialis auctoritatis diuinitus, & humanitus caput omnium Ecclesiarum post Christum Iesum effecta, secundum Antistitis, vel rectoris sui qualitatem, & valetudinem afficit totius Christianitatis membra, vt illius incolumitati sua respondeant incolumitate, & congaudeant: & nihilominus eius languoribus suo languore consentiant: & sicut eius gloria iuxta Apostolum conglorificantur, sic eius deiectione deijciuntur, vt illud Propheticum in eo præcipuè compleri deprehendatur (Omne caput languidum & omne cor mærens; à planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.) Et, reuera tanta reue-*

rentia

rentia apicem præfatæ Apostolicæ sedis omnes suspiciunt, vt nonnullam sanctorum canonum disciplinam, & antiquam Christianæ religionis institutionem magis ab ore præcessoris eius, quam à sacris paginis, & paternis traditionibus expetant: illius velle illius nolle tantum explorant, vt ad eius arbitrium suam conuersationem & ipsi remittant aut intendant. Quodsi, vt summopere sibi, & omnibus expedit, zelo domus Dei sine intermissione tabescens, fidelis dispensator & prudens ex stens, Deo & hominibus, opere & sermone irreprehensibilem sese conseruare studuerit, vt vere fatear vniuersum pene mundum, secum attonitum, & solicitum post Deum currere facit; ex vtroque sexu populos diuersæ professionis, conditionis & ætatis cateruatim in Domino suo super omnia bona ipsius constituendus ducit. Si vero suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur, inutilis, & remissus in operibus suis, & insuper à bono taciturnus (quod magis officit sibi & omnibus) nihilominus innumerabiles populos cateruatim secum ducit, primo mancipio gehennæ cum ipso plagis multis in æternum vapulaturos: cuius culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus: quia cunctos ipse iudicaturus à nemine est iudicandus, nisi forte deprehendatur à fide deuius: pro cuius perpetuo statu vniuersitas fidelium tanto instantius orat; quanto suam salutem post Deum ex illius incolumitate animaduertunt propensius pendere. Saluo enim diuinæ omnipotentiæ mysterio, vt dignum est, loco ab ipsa secundo illud B. Iob non incongrue aptari sanctæ Romanæ Ecclesiæ potest: [si destruxerit nemo est qui ædificet: & si incluserit hominem, nullus est qui aperiat ei: si continuerit aquas, omnia siccabuntur: & si emiserit eas, subuertent terram] nec immerito: cum ipsa specialius in Petro cœli, terræque retentet habenas. Hæc cum omnium fidelium in Christo spiritalis sit mater, nemo debet renuere illius feriri disciplina, vel emendari censura, iuxta illa prouerbia Salomonis [Ne

Exempla Episcopi populus sequitur.

dimittas legem matris tuæ, liga eam in corde tuo iugiter: qui enim abijcit disciplinam, infelix est: & stultus homo despicit matrem suam] & rursus [Est maledictus à Deo qui exasperat matrem & maledictio matris eradicat fundamenta] illa vtique quæ arrogant, diuisa à sede illius, cui dictum est [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,] & super arenam concupiscentiæ carnalis, seu humanæ præsumptionis probantur posita: cursus riui minime prosperatur, si à suo fonte diuidatur.

Sine ratione triumphus. Hoc est, quod omnium libros occupat, quasi tantum ius Papæ tribuamus. Hic exclamationes, & pedum supplosiones sunt. Sed nos tamen audiri fas est. Primo, Verba sunt Bonifacij viri sancti. Secundo sensum verum verba habere possunt. Nam sensus est totius canonis, quem titulus præfert; *Damnatur Apostolicus, qui suæ & fraternæ salutis est negligens.* Nam antitheta duo sunt, primum est; *Papa fidelis dispensator mundum post Deum currere facit.* Alterum est, *si vero negligens, nihilominus multos populos secum in gehenna vapulaturos ducit;* Propter eius enim vel exempla, vel negligentiam pereunt multi. Damnatio igitur illi incumbit, si negligens sit.

Moneri, & reprehendi potest Pontifex. Verum hoc offendit, quod eius *culpas nemo redarguit.* Huius quoque sensus non est. Nulli licere monere Pontificem; nam multi viri graues multos monuerunt, & exemplum Paulus dedit, qui Petro in faciem restitit. Sane confessarius redarguere, & reprehendere potest, nec minus Cardinales, Episcopi, & quorum interest. Quid igitur est, quod redargui eum posse negat Bonifacius? Hoc quod adiungit: Quia cunctos ipse iudicaturus à nemine iudicandus. Quia non est tribunal ad quod tanquam subditus citari possit. Neque enim à subditis quisquam ex auctoritate iudicari potest.

Atque

Atque hoc eſt, quod cauſa 17. q. 4. c. 30 Nemini. & cauſa 9. q. 3. c. 17. cuncta. alijſque locis dicitur. Iuridicialis enim redargutio tollitur. Nec hoc mirum videri debet noſtris ſectarijs, qui ita omni iudicio reges eximunt, *vt dicant eos eſſe Deo proximos, ſupra eos eſſe ſolum Deum omnipotentem*, vide Guilelmum Barret libris de iure regio, in quibus veritatem & adulationes iuxta ponit, & vincitur adulandi deſiderio. Si igitur reges non coguntur ſtare rei ad ſuorum ſubditorum tribunalia, cur cogatur Pontifex? cum ille quoque aliorum Epiſcoporum, & regum ſubditus non ſit? *Iuridicialis accuſatio tollitur* *Rex nō iudicatur à ſubditis.*

Obijciunt ſecundo. *Antichriſtus ſanctos altißimi conteret*; hoc facit Pontifex. Ille igitur eſt illud cornu, ille Antichriſtus.

Mihi vero facilius ad innocentiam Pontificis indicandam illa verba interpretari fas erit, & in aduerſarios retorquere. Verba ipſa magnam perſecutionem indicant. לסרשי עליונין יבלא ſanctos altiſſimi, ſiue altorum ita enim vſurpat illud עליונין ſicut hebræi אלהים plurali numero. Itaque non recte vertunt nonnulli, ſanctos altiſſimos ſiue ſupremos, qui cum ad regimen non attenderint, non debuerunt ſe præferre ſeptuaginta interpretibus, qui verterunt τοὺς ἁγίους τοῦ ὑψίστου. *Conteret*, Rom. editio 70. habet *παλαιώσει, vetuſtos faciet*, ſeu vetuſtate conſumet, Geneuenſ. vero *πλανήσει, decipiet*, Iuſtinus *καταστρέψει, euertet*, alij *ταπεινώσει, humiliabit.* Hæc an fecerit Pontifex quæritur, varia adferunt, ſed exempla ſuorum, quid enim Lutherani de Caluinianis martyribus ſentiant, & è contrario, quid ſi de illis, dixi in Iubilo, & in inſtructione, de Chronologia. *Antichriſtus conteret ſanctos altißimi.*

Præ omnibus hoc obijcit Sigiſmundus Euenius in palma ſæculari Lutherano-Euangelica pag. 27. A regibus hiſce ad ſubditos deſcenſione facta (ſicut initio ſtatim refor-

mationis Pontificij, & anno 24. Archiepiscopus Moguntinus in hac etiam nostra Hala in Euangelicos sæuijt) persecutionem vnam ex altera seuerunt, & martyria multiplicarunt sine fine, adeo vt ab Anno 1550. ad 1580. triginta annorum spacio nongenta hominum millia, cæsa & ab Antichristo trucidata sint, ijque haud plebei omnes sed 39. Principes, 148. Comites, 235. Barones, 147511. Nobiles, reliqui ex plebe. Quid nuptiæ Parienses anno 72. effuderint sanguinis Christiani ex historijs constat, vltra 30000. in illa laniena miserè occubuisse. Dux de Alba valedicturus Belgio 18000. ob religionem se occidisse iactitat spacio sexennij. Et viuente adhuc Carolo Quinto ad quinquaginta millia Christianorum trucidata fuerunt eodem in Belgio: item ab anno 76. vsque ad Gandauiensem transactionem triginta millia Hispanica Tyrannide interierant. Nec in viuos modo sæuitum sed nec cadaueribus parsum est. Hinc Buceri & Fagij corpora effossa cremata sunt anno 1556. Cantabriæ in Anglia, pio prætextu, quoniam non solum pernitiosam ac erroneam doctrinam sparsissent, sed familiam inter sectarios ambo duxissent, non solum ipsi ab Ecclesia Catholica aberrassent, sed & alijs exemplum ab ea deficiendo dedissent: Esse contra sacra decreta & disciplinam, vt vel eorum qui tales sunt, corpora Ecclesiasticæ sepulturæ tradantur. Adiuncta sunt incendia & venena, quibus certi emissarij hisce laqueis liberatos perderent & trucidarent. Per Saxoniam varia exaudita fuerunt incendia, circa annum 41. deprehensi denique ex incendiarijs atque complures capti, diuersis locis: habita quæstione plerique testificabantur ad extremum vsque Spiritum, à præfectis & familiaribus Heinrici Brunswicensis (contra cuius calumnias, quando scriptis inuectiuis Ducem Saxoniæ hæreticum, seditiosum, Cainum, monstrum, Æsopum, nulla nec corpo-

Caui spirant mendacia folles.

Incendiarij Lutherani fuerunt.

corporis, nec animæ virtute præditum proclamauerat, eodem anno ſcripſerat Lutherus) accepta pecunia ſe fuiſſe conductos atq; ſummiſſos, vt id facerent. Imò de Pōtifice Romano Antichriſto, Organo Sathanæ, anno 46. quo bellum vigebat proteſtantium, cuius ipſe Papa auctor primarius, à fide dignis ſpargitur, cum non modo ſuperioribus aliquot annis per incendiarios conductos igni Saxoniam grauiter afflixiſſe, ſed tunc temporis etiam emiſſe veneficos, qui puteos & aquas ſtagnantes corrumperent, vt quod ferro ſupereſſet & armis, hoc iſti veneno perderent. Itaq, Proteſtantes monent in vniuerſum omnes præſertim ſuæ ditionis homines dent operam, vt omiſſarii illi comprehendantur & ſubiecti tormentis, cum de ſcelere cōſtabit, pœnam luant. Nuper enim, addit Ioannes Guilhelmus Electoris filius, non procul à Vinaria oppido Thuringiæ comprehenſum eſſe quendam ex ſuſpicione Italum, qui ſibi & nonnullis aliis Romæ datam eſſe pecuniam fateatur nomine Pontificis, vt incendiis atque veneno, quantum omnino poſſent, per Germaniam damni darent. Nec Satan ſui ſimilis eſſe ceſſat. Anno ſiquidem proximo Milleſimo ſexcenteſimo decimo, die vndecima Iunij Monachus, qui duos pagos ad magiſtrum equorum Cæſaris pertinentes igni accenſos deformauerat, captiuus Pragam adductus & Archiepiſcopo vna cum aliorum præterea Bohemiæ procerum, quorum prædijs ignem ſubijcere deberet, reperta apud cum deſignatione traditus eſt. Taceo exilia, in quibus quanta tyrannis occurrerit, ex eo ſolo patet, quod, ſicut Mauritius dux Saxoniæ ad ordines ſcripſit Anno Quinquageſimo ſecundo, Concionatores & Eccleſiæ Miniſtros extra fines imperij paſſim eijciant, & non ſolum legitimi, ſed ne Pontificij quidem Concilij decretum

Vnus teſtis adducatur Mendacia illa ſunt prædicantium, vt cōdia conſtet Pontifici.

Cur non publico iudicio de eo quæſitum eſt.

Hoc quoq; fictum de monacho, non factū.

Id etiam Caluiniani fecerūt.

tum expectent, & ab ipsa statim executione rem ordiantur. Taceo carceres aliaq; sub & ab Antichristo Romano intenta suppliciorum genera.

Hæc ille, qui si consideret, Lutheranos, à Lutheranis, Caluinianis actos exilio, nihil omnino mirabitur, id aliquando egisse Catholicos. Sed hanc iniquam esse accusationem res ipsa docet, neque enim eos omnes Papa occidi iussit, neque tam multi sunt. Sed non fuisse sanctos altissimi, cum plerique fuerint Caluiniani, hos autem non fuisse martyres ipsa palma sæcularis docet, pagin. 55. ita habet: *Martyria visa tum infirmiora ὀρθοδοξίας τεκμήρια, quæ quippe hæreticos & perditos nebulones haud raro inuoluant, tum Lutheranæ professioni ac abnegationi Tyrannidis Papalis, non Zvvinglianæ nouitati ac blasphemijs illata. Leuißimas vero opinionum quas iactant stipulas seu festucas, trabes potius craßißimorum esse errorum, ac blasphemiarum in Dei omnipotentiam, sanctitatem, misericordiam, Christiq; meritum, impijßimarum. Fucum deniq; in confeßionibus & reformationibus manifestiorem esse quam qui diiudicatione egeat, quem quippe praxis haud raro hactenus detexerit.*

Ipse Calũniator fatetur eos non fuisse martyres.

Testes de Martyribus sunt ipsum mẽdacium.

Deinde de numero Martyrum credit Caluinianis, quod facere non debuit. Cum in eadẽ palma p. quinquagesima quinta dicat. Ex mendaciorum horum (quorum seges fertilis admodum apud gentem Sacramentariam inuenienda, vt non immerito B. Lutherus non mendaces amplius Zvvinglianos, sed mendacium ipsum vocandos arbitratus sit) censu primario ferè illud, &cæt.

Tertio idem ille noster accusator fatetur eos, qui cęsi sunt, deliquisse. Secũdo, fuisse Sacramentarios. Tertio, ab ipsis sectarijs punitos. Quarto, illos sibi illa pericula

cula accersiuisse. Quinto, impetuose egisse, & à plebe Lutherana punitos. 6. ipsos Caluinianos crudeliter agere, vbi rerum potiuntur. Folio 94. hæc omnia describit. Notum est, quomodo Anno vigesimo nono initium reformationis Basileæ Sacramentarius Spiritus fecerit ab Iconomachia. Cum enim quidam hasta sua statuam alicuius Diui reuelleret, sic vt in terram delapsa confringeretur: ea occasione in plures deinde manus sunt iniectæ, & armati ter centum ad templum missi, qui idola seu statuas passim in templis demolirentur. Cumq; è senatu quidam accurrerent motus sedandi causa, respondent Iconomachi: quod vos totum iam triennium deliberatis, an fieri debeat, illud nos vna perficiemus hora, nè propter Idola sit vllum posthac inter nos dissidium. Tertio die nouem componuntur strues ante primariam ædem & inflammatæ cremantur. Quod exemplum secuti sunt Waldenses anno 61. qui similiter imagines ac altaria humi deiecérunt ac confregerunt. Simile quid in Delphinatu contigit Anno 62. vbi statuarum profligatores seditiosos minimè dicendos esse statutum, qui cum veritatis patrocinium susceperint, sui officij esse dicant tam detestandum, & pijs omnibus inuisum spectaculum è conspectu hominum tolli. Cumprimis Anno sexagesimo sexto in vniuerso Belgio tanta Iconoclastarum vehementia inualuit, vt paucorum dierum spacio Antuerpiam ac vicina loca plurima tumultu maximo & magna celeritate peruaserit: Huic statuæ ensem in latus infigunt, illi securi caput amputant: pendentis è cruce Christi, imaginem funibus è sublimi detrahunt, detractā in frusta comminuunt, altaria subuertunt, hierothecas, ornamenta, aliumque sacrorum apparatum deijciunt & expilant, ac denique patrant, quæ nemo sanus aut prudens

Quales illi Martyres teste Calumniatore.

Iconoclastarum rabies describitur à Lutherano.

dens

dens homo vnquam probarit. Hagæ Comitis: adeo in statuas & idola populus exarſerat, vt non quieturos ſe profiterentur, donec non tantum, quæ in templis ſupererant, ſed & quæ in ædibus ſuis aliqui occultatas habeant, ſtatuæ omnes in forum publicum allatæ & fruſtulatim comminutæ finem furori facerent. Sed non caruit ſuo præmio hæcce temeritas ac ſeditio. Confæderati enim nobiles, alijque Eccleſiarum Patroni odioſo Iconomachorum nomine appellari nolentes, factum illud deiectarum hoc modo ſtatuarum non modo grauiter improbabant, ſed collecto etiam ad has operas tumultuario milite complurimos vbiq; cæperunt, inq; crucem varijs in locis egerunt.

Iconoclaſtæ puniũtur.

Vvilhelm⁹ Auraicus Iconoclaſtas occidit

Id quod Princeps Auraicus Antuerpiæ etiam præſtitit, primarios ex ſeditioſis comprehenſos die 18. Octob. in foro publico, vt alijs terrori eſſent, in crucem agens. Quod ſi idem in Palatinatu, Anhaltinatu, Haſſia & locis alijs fuiſſet factum, minus certè periculi & turbarum ſuo cum magno malo tumultuantes ſacramentarij coacti fuiſſent experti. Anno certè Milleſimo ſexcenteſimo quinto, cum in Reformatione Marpurgenſi articulo ex tribus pro mutatione doctrinæ & ceremoniarum propoſitis, ſecundo, ſtatuas imagineſque ex templis eijciendas eſſe ſtatueretur, & die ſexta Auguſti pro Concione idem inculcaretur: ſecutæ ſunt ex vnico hocce principio violento eiuſmodi turbæ ac tumultus, vt Theologi caluiniani ad mortem ferè ab inſaniente plebe pugnis & verberibus fuerint mulctati, inquit Artus Tom. 10. contin. Sleid. lib. 4. pagin. 50. Eiuſmodi cataſtrophæ ſcilicet rationes reformandi à verbo Dei alienas ſequi neceſſe eſt.

Iconoclaſmus Marpurgi dedit tumultum.

Da man alles ſchnell Purdi/ Purdi anfenget / mit Fäuſten

hinein

hinein treibet / vnnd so vnuorsichtig hinein plumpet / vnnd noch den Ruhm dauon haben will / alß sey man besser / dann ein ander / vti Lutherus de reformatione simili Carolostadiana scripsit anno vigesimo secundo, sapienti addita ἐπικρίσει. Da hastu weit gefehlet / du wilt Gott damit dienen / vnnd weist nit / daß du eben deß Teuffels Vorlauffer bist / der hat dich auff daß Kleinen Narren Werck geführet / daß Sacrament anzugreiffen / vnnd sihet mich gleich an / als hätten die jenigen / so dieses Spil angefangen haben / jhren Ruhm gesuchet / so hat auch jhnen der Teuffel jhren Lohn gegeben. Hæc Lutherus, adde carceres, quibus sæuiunt in errore suo contra dicentes vti Ann. 91. Crellius fecit, qui Doctori Martino miro concionatori aulico Saxonico carcerem in arce Hohensteinia parauerat: sed iusto Dei iudicio ipse, post mortē Christiani I. accusatus, quod Duci Christiano religionis in Saxonia mutandæ & introducēdi Caluinismi auctor fuisset, quodq; omnes in hoc suo proposito contradicentes è medio tollere decreuisset, &c. Currum ascendere iussus & spectante maxima hominum multitudine in hunc est compactus. Quæ omnia & plura alia tanta sunt, tamque insidiosa & atrocia vt præcaueri, vitamque fortunasque, saluas, doctrinam vero ipsam illibatam ab ijs conseruari planè sit ὑπὲρ ἀνθρώπους: Dei verò gratia est, quod non planè consumpti sumus, hic enim, licet aliquando oculis quasi clausis connixerit, & fræna libidini sacramentariæ laxauerit: paternè at tandem causę suę patrocinium suscepit, solus hostes fudit, confudit & liberationem populo suo & Ecclesiæ exoptatissimam præstitit: vt iueret Ilium ingens, perieritTroia magna momento vno & fabula sacramentariorum in fabulam exiret, & desineret in lætam καταστροφὴν quam ipsi exitu τραγικωτάτῳ claudere in animum induxerant suum.

Conatus sacramentariorum.

Denique cur nobis obijcit Lutheranus Caluinianorum supplicia, quasi innocentum, cum sciat eos in Gallia & Belgio immania ausos, qualia describunt historici, cum illis de sua innocentia iactantibus credere non possint.

Calumniator vt Pontifici maledicat ipsi mendacio credit.

Nam primo folio 55. *Ex horum mendaciorum (quorum seges fertilis admodum apud gentem Sacramentariam inuenienda, vt non immerito B. Lutherus non mendaces amplius Zvvinglianos, sed mendacium ipsum vocandos arbitratus sit) censu primarium fere est illud, quo B. Lutherum certaminis sacramentarij authorem primum proclamare, integro ferè hoc sæculo non sunt veriti.*

Si sunt ipsum, ipsum inquam mendacium, cur credis ipsi mendacio contra Reges Franciæ, Hispaniæ, aliosq; Principes innocentiam suam asserenti? prius acta iudiciorum, & archiua examina, nec ita oderis Pontificem vt mendacio ipsi non modo mendacibus credere malis, quàm eum, & Reges Christianissimos, Catholicosq; non infamare.

Sed domi tuæ te conuenio, inter tua præsidia pugnabis. Aiunt Caluiniani se à Pontifice martyrio affectos, hoc est, innocentes, pro vera fide occisos. Hoc si credis, etiam testimonium contra tuos admitte, cur enim sint fide digni contra nos Martyres, & si verba contra tuos faciant, sunt intestabiles. Scultetum Caluinianum pagin. 59. iubes resorbere calumniam cum reliquis quam efflauit: Deinde pergis: *De quibus (calumnijs) si particulatim differere esset animus, dies citius me, quam oratio deficeret. Calumniarum compendium ostendemus Ecclesiarum nostrarum doctores appellarunt homines stolidissimos, fanaticos, Philautos, Theologastros, Mataeologos, Sophistas nequissimos, Sycophantes, Theosophistas, Corporalistas, morosos, ambitiosos, proscriptores Pontificios inaudito-*

Calniniianorum calumnijs narrandis nulla dies sufficit, teste Lutherano.

auditorum, Homines principum animos, suis calumnijs in ignorantia detinentes, genitores Pandoræ, percitos furore, oblitos omnis modestiæ & pudoris, superbos, feroces, flagitiosissimos Dominatores fidei, Nestorianos, Eutychianos, Patronos Mahumetismi, contumaces, inuectores paradoxorum & scandalorum, inhumanos, odio & ambitione fascinatos, pendentibus in cruce felle mixtum acetum porrigentes, patres vbiquitatis, nouos dogmatistas, Dipnosophistas, Logodædalos, homines præter omnem modum contentiosos, & pertinaces, recentes Capernaitas, malignos veteratores, flagitiose impie leues, Vbiquistas, coniuratos veritatis hostes, impudentissimos cauillatores, Acephalorum & Eutychianæ hæresis renouatores, Phantasmaticos veræ incarnationis Christi irrisores, conspiratam Schismaticorum factionem, Artolatrias instauratores, deliros Sacramentarios, sinceræ doctrinæ assertores de cœna Domini, instar piratarum per Ecclesiam nauigantium super ambitione & opinionibus, veritatem cum pace deprædantes, homines odio & inuidia excæcatos, Sophistas nequissimos, nouos fidei magistros, præstigiatores, veritatis & pacis hostes, coniuratos in oppressionem veritatis, impudentissimos cauillatores, rerum flagitiose ignaros, manifestos hostes ac inficiatores omnipotentiæ Dei, pseudo-Lutheranos ac Flacianam factionem, Ἀνθρωποφάγυς, κρεωφάγυς, σαρκοφάγυς carniuoros: Doctrinam vero nostrarum Ecclesiarum Symbolis A. C. ac Formula Concordiæ comprehensam, flagitiosissimum errorem, fœtum infelicem, Pandoram, Phantasma & spectrum, laruam scenicam, absurdissimam impietatem, putidissimam ac sophisticam vanitatem, hæresin mixtam ex Eutychiana & Nestoriana, imaginationes phantasticas, insanissimam sententiã, execrandam blasphemiam, ludibriosum commentum, sacrilegam impanationem, corporalis præsentiæ idolum & commentũ

Caluinianī de Lutheranis.

Et in Boemia tamẽ conspirãt.

Lutheranorum doctrina qualis Caluinianis?

Nunc in vnum iubilate.

doctrinam impostoribus, non Theologis dignam, nugatorium commentum, execrandam Theologiam, Nestorianismum, Antichristianum cultum, idololatricum dogma, & quæ sexcenta huiusmodi Epitheta alia, fraterni erga nos affectus horum hominum indicia. Quæ omnia si, vti par est, susq; deq; feramus: en tibi paratas insidias vitæ & Doctoribus Orthodoxis! videas inquit D. Mylius in Synopsi Comœdiæ Misnicæ, à morte Augusti Electoris constitutos corycæos, qui dicta factaque sincriorum Theologorum obseruent, conductos, qui lites iustas intentent, & cum causis non possint, modo saltem agendi animas expugnent: preces & supplicationes, periculosas admonitiones, seditiosas excusationes atque accusationes omnes capitales haberi atq; nominari cœptas, Compita viarum publicarum vtrinque haud procul ab vrbe aliquot mensium spatio obsita, tabellariorum omnium, qui vel ad vrbem commearent, vel inde etiam remearent, sarcinulas apertas isti homines scrutati sunt, conquisitis omnibus quæ vel à Vuittebergensibus Theologis ad alios vel ab aliis ad ipsos conscripta erant literis, vt ex resignatis istis depromerent, vnde capitibus ipsorum pericula creare possent. Imò atrocius istud: Conscriptæ sunt ad Theologos literæ fictitiæ, quibus magna significabatur συμπάθεια erga miseram religionis faciem, solatium ad secuturum auxilium communicabatur, subsidia exulaturis promittebantur, insuper missis vna cum istis fictitiis literis splendidis muneribus, vt, si quid penitissime reconditum in pectore haberent, quo prodito periculum ipsis creari posset, hoc artificio emungerent. Qua in re industrius fuit Ioannes ille Maior Poeta Vuittebergẽsis, qui isthac arte optimũ virum & Theologum insignem D. Ioannem Matthæum, & conditione Academica & vita hac mortali exuit atque spoliauit. Inseruierunt huic schemati Mutata A. C. cothurnus vtrique pedi aptus, perfidia ac similes imposturæ, quibus Peucerus olim eiusque socii summum suum

Praxes Caluinianorũ in Lutheranos.

Δῶξα ἄδωξα.

Magi

Magiſtratum circumuenerunt, illuſerunt & deceperunt. Conuenerunt ſcripta ambigua & libelli famoſi, iure quaſi ſuo quodam ab huiuſmodi hominibus recepti, imò defenſi publicè nuperrimè, quibus abſq; fronte, & fonte fama bonorum ſuggillatur atq; traducitur, vt condemnationi iniuſtæ & doctorum & doctrinæ gradus ſterneretur propior: Inſeruierunt edicta & decreta de non nominandis vel condemnandis Sacramentariis, eorundemq; blaſphemiis in concionibus ad populum, adiunctis relegationum ſeu exiliorum aliarumq; pœnarum horribiliorum minis, ipſo demũ facto non quieſcentibus flabellis illis ſanguinariis complendis. Imò completis per tot exilia & pœnas ſimiles, quibus ipſo Antichriſto clementiores vix extiterunt. Nota ſunt Aulici iſtius verba tempore Chriſtiani I. Ducis Saxoniæ: Si βλακικοὶ *iſti moleſti tibi eſſe perexerint, eijce illos, idq; ſaltem ex hoc capite, qui à Vbiquitatẽ canonizare conentur; & eiuſdem alterum Apophtegma: Nunquam rectè ſucceſſura ſunt res, niſi veterani, & quibus priorum temporum memoria conſtet, è medio prius tollantur, Ne dicam de Perſonalibus Contentionibus, Prouocationibus ad Synodum.*

Martyres Euangelij non fuerunt clementiores in Lutheranos quã Catholici.

His talibus quomodo poteſt inferri iniuſta nex, aut tu qui tales eos iudicas quomodo ſeueritatem Chriſtianorum principum in inuidiam vocas, quod iuſta vltione vigorem legum in eos exercuerint; ſi eos vere martyres arbitrare, illa tuorum facinora agnoſce. Eos vix clementiores in tuos ipſo Antichriſto prædicas, & martyrum elogio donas, & poſt Vbiquitatem Canonizas. Hæc faceres ſi quicquam prudentiæ reliquum tibi odia, atque inuidia reliquiſſet? Tu illorum acta lege; Vnus alterue annus plures Catholicos in ſola Francia, Belgioque Caluiniſticis furoribus mactatos vidit, quam totos ſexcentos annos in vniuerſum reos Pontificia tribunalia ſuſtulerint.

Calumniator mente deiectus eſt.

Quod ſi vere tempora conſideremus ſanctos Caluinia-

norum inueniemus Berengarianos, Wicleffitas, Huſſitas, imo Copronymos, Leones Iſauricos, Henricos, alioſque quos odio Pontificis canonizant. Itaq; hinc ex ſcriptura contra Lutheranos ſic argumentor.

Cornu paruulum ſeu Antichriſtus ſanctos altiſſimi conteret, tantamque perſecutionem concitabit, quanta non fuit à tempore, quo homines eſſe cœperunt; at Pontifex in Lutheranos tantam perſecutionem non inſtituit, multo enim plures morte, exilijs, carceribus Catholicos afflixerunt, quam à nobis illa paſſi ſint. Quot enim Lutherani propter fidem perierunt? quis Vbiquitarius ſanguinem dedit? Nã de pure Lutheranis, & Lutheranis vnius gentis queri duntaxat poſſunt; cæteris vero miſcuiſſe ſe alios nebulones fatentur. Nos vero de toto Lutherismo negamus. Nonne enim tota Germania fere dominati ſunt, & tãtas fecêre ſtrages, vt adhuc ſqualeant Triſtia ſemirutis altaria templis?

CAPVT XXI.

An Papa putet quod poßit mutare tempora & leges?

Tempora mutabit & leges.



Haldæus Danielis textus. *Putabit mutare tempora.* Græcus ὑπονοήσει, Existimabit, non enim poterit; ita Græcus Scholiaſtes; προσδοκήσει, οὐ μὴν ὁλεκτήρως δυνήσεται. Quid ſit autem ἀλλοιῶσαι τοὺς καιροὺς ex adiuncto intelligitur, quia dicit καὶ νόμους. *& leges.* S. Hieronym. *In tantam erigetur ſuperbiam, vt leges Dei, & cærimonias mutare conetur, & eleuetur ſupra omne quod dicitur Deus, religionem cunctam ſuæ ſubijciens poteſtati.* Theodoretus; *Opinabitur ſe pietatem quæ tunc vigebit, funditus poſſe euertere.* Illi igitur per tempora intellexerunt Ec-

clesiæ immutationem. Qui de Antiocho sunt interpretati, nomine temporum intelligunt Iudæorum sollennitates, Sabbata, Paschata, Pentecosten, festa tabernaculorum, dies expiationum, nouilunia, septennia, annos Iubilæos, & similia.

Quia autem de Antichristo loquimur, mutabit ille tempora, & leges, dies festos in sui honorem institui curabit, iam nonnulla indicia dedit Machometes, deinde Lutherani, sed efficacius Caluinistæ, vt appareat iam mysterium in præcursoribus incipere. Atque hic sensus est scripturæ.

Calumnias à Pouello, alijsque mutuas acceperunt. Quia dicitur solutus legibus, transferre imperia &c.

Soluitur legibus Pōtifex vt principes. Lege diuina non soluitur.

Respondeo non aliud per hasce res Pontifici concedi, quam quod suis Episcopis, & regibus proportione quadam ipsi permittunt. Primo quidem negamus leges diuinas vllas Pontificem mutare posse; Anathema si quis Pontificem legibus diuinis solutum asseuerat. Canonistæ qui id asserere dicuntur, partim mendaciter allegantur, vt supra probaui, partim alieno sensu. Mihi hoc certo constat, si quis dicat Papam posse vnum iota de lege Dei tollere, fore vt is primum spiritali fulmine à Papa feriatur.

Ab humanis legibus quomodo soluatur.

Ad leges Ecclesiasticas, & ciuiles, vbi Papa etiam temporale regimen tenet, ita obligatur, vt ad suas leges princeps, quem quidam omnino, alij ex parte legibus eximunt. Eas leges interdum mutari vtile est, ideoque tolli, & in meliores commutari possunt. Qui principem negant legibus subiectum quoad potestatem coactiuam, etiam negant eum ab alio iudicari posse, qui enim alium iudicem habet, is accipere, & subire sententiam iudicis debet. Hinc inuictum argumentum pro Pontifice facio.

Ponti-

Pontifex Romanus negat se legem Dei mutare posse, millies mortem oppetendam potius docet, quam vt lege se Dei exemptum dicat, omnes, qui id affirmant, sua damnat sententia; non igitur Papa est Antichristus. Hæc est omnium qui Papam Ecclesiæ pastorem agnoscimus sententia. Papam diuinis legibus subiectum, quas si violet, grauissimè peccare, & nisi à peccato suo resipiscat, in æternum periturum esse. Huic meæ sententiæ vniuersitas Catholicorum, atque adeo ipsa curia Romana subscribit. Verum quid de Dei legibus sentiat Pontifex, exponitur distinct. 8. c. 2.

Dei legib. semper, vbiq;, ab omnibus parēdum est.

Quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diuersitate vitanda sunt, vt pactum inter se ciuitatis, aut gentis consuetudine, vel lege firmatum, nulla ciuis, aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est suo vniuerso non cōgruens. Cum autem Deus aliquid contra morem, aut pactum quorumlibet iubet, etsi nunquam ibi factum est, faciendum est, & si omissum, instaurandum est; & si institutum non erat, instituendum est: Si enim Regi licet in ciuitate, cui regnat, iubere aliquid, quod neq; ante illum quisque, nec ipse vnquam iusserat, & non contra societatem ciuitatis eius obtemperatur, immo contra societatem non obtemperatur (Generale quippe pactum societatis humanæ obedire Regibus suis) quanto magis Deo regnatori vniuersæ creaturæ suæ, ad ea quæ iusserit, sine dubitatione seruiendum est? sicut enim in potestatibus societatis humanæ maior potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus.

Et distinct. 9. c. 2. Principes iubet obedire suis legibus, verba Canonis sunt. *Iustum est principem legibus obtemperare suis. Tunc enim iura sua ab omnibus custodienda existimet, quando & ipse illis reuerentiam præbet. Principes legibus teneri suis, nec in se conuenit posse damnare iura, quæ in subiectis constituunt. Iusta est enim vocis eorum auctoritas, si quod populis prohibent, sibi licere non patiantur.*

Principes legibus suis pareant,

Pari

Pari ratione constitutiones Synodorum generalium præcipue seruandas docet Ecclesia Romana, causa 25. q. 1. cap. 1. *Confidimus, quod nullus iam veraciter Christianus ignoret, uniuscuiusque Synodi constitutum, quod uniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, nullam magis exsequi sedem præ ceteris oportere, quam primam: quæ unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit.*

Romana sedes præcipuè omnia custodit.

Ea mente Gregorius Felici Episcopo lib. 12. Epist. 31. est causa 25. cap. 4. si ea destruerem, quæ antecessores nostri statuerunt: non constructor, sed euersor esse iuste cõprobarer: testante veritatis voce, quæ ait (Omne regnum in seipso diuisum non stabit:) & omnis scientia, & lex aduersum se diuisa destruetur.

Quomodo autem nouas leges cõdere liceat Pontifici, est ab Vrbano Pontifice expositum, causa 25. cap. 6. *Sunt quidam dicentes Romano Pontifici semper licuisse nouas condere leges. Quod & nos non solum non negamus, sed etiam valde affirmamus. Sciendum vero summopere est, quia inde nouas leges condere potest, unde Euangelistæ aliquid & Prophetæ nequaquam dixerunt. Vbi vero apertè Dominus, vel eius Apostoli, & eius sequentes, Sancti Patres sententialiter aliquid definierunt; ibi non nouam legem Romanus Pontifex dare, sed potius, quod prædicatum est, usque ad animam & sanguinem confirmare debet. Si enim, quod docuerunt Apostoli & Prophetæ, destruere (quod absit) niteretur; sententiam dare, sed magis errare conuinceretur. Sed hoc procul sit ab eis, qui semper Domini Ecclesiã contra luporum insidias optime custodierunt.*

Pontifex protestatur se nihil cõtra Dei leges posse.

Nihil vero contra leges diuinas statui posse docetur causa 25. cap. 8. *Omne quod irreprehensibile est, catholica defendit Ecclesia*, Et infra *Iniustum iudicium & definitio iniusta regio metu, vel iussu à iudicibus ordinata non valet. Nec quicquam quod contra Euangelicæ, vel Propheticæ, aut Apostolicæ doctrinæ constitutionem successorumue eorum, siue sanctorum*

patrum actum fuerit stabit: & quod ab infidelibus, vel hæreticis factum fuerit, omnino cassabitur.

Ecclesia Romana antiquo iure stat.

Hinc igitur clarum est, non conuenire in Pontificem, quod de mutatis tēporibus & legibus dicitur. Non enim nisi necessitate, vtilitateq; exigente, aliqua mutantur in Ecclesia, optime enim dixit. *Contra statuta patrum condere aliquid, vel mutare nec huius quidem sedis potest auctoritas: apud nos enim inconuulsis radicibus viuit antiquitas, cui decreta patrum sanxere reuerentiam.*

Legem mutat, qui impossibilem affirmat.

Quod si veros diuinarum legum abrogatores quæras, qui mutent tempora & mores, haud difficulter eos in castris aduersis reperies. Qui enim existimat, se non nisi lege gratitudinis ad legem seruandam teneri, qui legem putat impossibilem obseruatu, quo ore, qua fronte Pontificem quasi legis violatorem accusat? Quid durius illis Lutheri verbis, *qui Christum vt legislatorem, & vindicem apprehendit, diabolum pro Christo apprehendit.*


Malefica rusticitas Lutheranorum.

Vnum quod hoc loco palmarium est, præterire non possum; est enim imperitiæ, & impudentiæ prædicanticæ luculentissimum testimonium. Quadratissimi ministrorū Luthericorum de mutatione temporum accusarunt Pōtificem, quod astronomicos calculos errantis anni ad veram normam reduxisset. Ita in Academia Oxoniensi thesibus impressis Baccalaureolus Pouellus, quod magis miror, cum enim ex Anglia prophetæ exierint molesti Scaligero, qui de correctione Calendarii libros scribere potuerunt, mōstri simile est, ex Academia neminē prodiisse, qui Pouellum de tam rustica ignorantia commoneret; Quis enim non admiretur ea de re in illa Academia eruditionis simulatrice fuisse disputatum, in quâ se pagani prædicantes in Germania, nō sine suorū irrisu īpegisse doluerūt; vero admirabilius q, magna pars Germaniç Gallia, Hispania & Anglia, errorem calculi antecedentis agnouerunt, & nouam correctionem admiserunt.

CAPVT

CAPVT XXII.

An tradi in manus per tempus, & tempora, & dimidium temporis ad Pontificem pertineat?



CHALDÆVS textus habet; ויתיהבון tradentur: Quia id diuina prouidentia permittit: Regnũ & poteſtas traditur, quâ deinde contra Sanctos abutitur. Iunius, Tremellius ſic vertunt: *Per tempus, & tempora, particulamque temporis:* eam vero particulam tẽporis, aiunt *eſſe dies decem. Id eſt, inquiunt, per tres annos & decem dies.* probant, *nam decimo quinto die menſis Cisleui, anno centeſimo quadrageſimo quinto regni Seleucidarum, hoc effectum eſt.* 1. *Machab.* 1. 57. *deinde vero die quinto menſis Cisleui anno centeſimo quadrageſimo octauo, legitimus Dei cultus inſtauratus eſt.* 1. *Mach.* 4. 12. *Quamobrem prima vox, tempus, annum ſignificat corruptum, ſiue conſtantem ex diuerſorum duorum annorum partibus, Tempora biennium iuſtum. particula temporis dies decem.* *Tempus &c. 3. anni, 10 dies Iunio &c.*

Fundamentum huius interpretationis, quod putent de prophanatione templi per Antiochum facta agi, & textus Chaldæus non repugnat, nam פלג eſt diuiſio temporis, & pars: etſi enim frequentius medietatem ſignificet, vt Ioſ. 10. Iud. 9. & in Syro פלגא in euangeliorum titulis vſitatum, hanc tamen non reſpuit. Quin & Pagninus vertit partem temporis.

Hanc ſententiã refutant omnes doctores ſilentio, neq; ex nouis quiſq̃ eã ſequitur; nam & Munſterus, Lutherus, Pelicanus, Caſtalio hæretici veterum Græcam verſionem quæ habet ἥμισυ ſequuntur. Imo etiã Bruchtonus, alias ſequi ſolitus Caluinianam cõmunem, vertit hic, *dimidiumq;* *Dimidium temporis non ſunt 10. dies.*

 temporis.

temporis. Et Tempus, inquit, hic annum significat, sicut χρόνος Tempus & tempora & d. id est, dimidiam septimanam 42. menses, vt Iosephus testatur.

Huic denique obstat, quod c. 12 7. eodem modo accipiantur verba tempus, tempora, dimidium temporis, nec est tamen in hebræo פלג diuisio, sed חצי dimidiũ, quemadmodum & in Apocalypsi est ἥμισυ. Itaque de Antichristo illa rectissime dicuntur. Nam non recte dies decem dicuntur, dimidium temporis, vbi tempus annum significat.

Idem numerus apud Danielem, & Ioannem.

Hoc ex loco Bellarminus lib. 3. cap. 8. de Pontifice sic argumentatur. Antichristus regnabit per tres annos cum dimidio, hoc est tempus, tempora, dimidium temporis, at regnum Papæ est multo diuturnius, non ergo Papa est Antichristus. Minor est extra controuersiam: maior vero probatur. Quia tempus, tempora, dimidium temporis, sunt tres anni & medius. Nam ita veteres ab ipso Papia vsque interpretati sunt, vt fatetur Iubiliarius Parei commentarius in apocalypsin in cap. 11. v. 2. Deinde ex apocalypsi c. 11. v. 2. vbi Antichristus calcat templũ & ciuitatem mensibus quadraginta duobus. Menses autem quadraginta duo sunt tres anni cum dimidio. Agi vero de eodem tempore Pareus ipse fatetur, in 12. cap. v. 11. *Quandiu vero exulabit in deserto mulier* TEMPVS TEMPORA ET DIMIDIVM TEMPORIS. *Hæc temporis tripartita notatio sumpta est ex Dan. 7. 25. & 12. 7. vbi Antiochus, typum Antichristi gerens, dicitur conculcaturus sanctos per tempus, tempora, & dimidium temporis. Quid hic sibi velit, ex versic. 6. liquet. Pascent eam ibi diebus 1260. De his diebus dictum est capite 11. 2. Erat ibi tempus prophetiæ duorum testium. Hic est tempus exilij mulieris in deserto. Idem tempus XLII. mensium ibi erat conculcationis vrbis sanctæ: & erit cap. 13. 5. grassationis bestiæ in sanctos. Eodem igitur tempore Ecclesia exulabit in deserto,*

Antiochi tempus & tempora anni fuerunt, igitur & hic quoque.

deserto & vrbs sancta conculcabitur à Gentibus: & duo testes prophetabunt: & bestia bello persequetur sanctos. Ibunt proinde hac paribus passibus. quæ obseruatio multum illustrabit Prophetiam. Ex vno enim notiore patebunt alia ignotiora.

Inuictam fecit ille senex contra se, & omnes Papæ calumniatores rationem Bellarmini: Nam Antiochus per tempus, & tempora, & dimidium temporis afflixit Ecclesiam, vt ipse, & idem tempus est sæuientis Antichristi, non igitur diutius ille regnabit. Quomodo igitur Pareus multo longius facit regnum Antichristi? Respondeo quia quid dicat, nescit, quid dixerit non meminit, errores multi multorum, plurimi vero proprii ad insaniam eum reduxerunt. Verba eius in cap. 11. v. 2. sunt. *Mensibus quadraginta duobus.) Hic est sapientia. Tempus persecutionis Antichristianæ designari, manifestum est omnium prope interpretum consensu. Quale vero & quantum sit tempus, vbi principium, vbi terminus figendus, obscurum est mihi & interpretibus aliis, & forte ab hominum indagine reconditum. Voluit enim Spiritus, ad tempora quod attinet, nos quædam potius scrutari, quam nosse, quod & Dominus innuit dicendo discipulis, volentibus scire tempus occultum: Non est vestrum nosse tempora & opportunitates, quas Pater in sua ipsius authoritate posuit. Act. 1. 7.*

Tandem Pareus fatetur ignorantiam.

Nihil igitur hac de re statuere potest, quia tempora, & momenta scire non potest. Veteres vt Hippolytus, Ireneus, Hieronym. Augustinus, alii quos refert Bellarmines nostrâ sunt in sententia. Cum illis sentiunt Iunius, Tremellius. Bruchthonus Caluiniani: & Munsterus homo sui iudicii, non obligatus Luthero.

Deinde nemo ita respondet, vt non in plurima falsa & ἀσύστατα impingat: Chytræus apud Bellarminum incertum tempus esse ait, & idem probat Pareus, & concludit: *de 42. mensibus nihil determinare habeo.* Sed cum tot modis

Daniel & Ioannes determinent, non debemus incertum afferere, cum veteres omnes nobis certum expoſuerint.

Tertio. Quomodocunq; hæc interpretemur, nō poſſunt non oſtendere Papam innocentem. Nam Pareus annos vaticinatur eſſe 1260. & incepiſſe ab anno 606. Chriſti, cum Bonifacius tertius Eccleſiæ præſideret, & hactenus calcatum annis 1003. calcandum adhuc annis 257. vſq; ad annum Chriſti 1866. incertum tamen ſibi fatetur iſtum terminum, & à Deo propter electos decurtandum. Sed refutant eum tum alia, tum vero quod tempus illius perſecutionis Chriſtus dicat breuiſſimum, & non eſt breuiſſimum, ſi eſt 1260. annorum; quod longuis eſt eo, quò Satan ligatur, nam mille annis eius malitia conſtringitur, poſtea graſſatur, ſciens, *quia modicum tempus habet.* Apoc. 12. Poſtquam autem mille annos fuerit ligatus, oportet eum ſolui modico tempore. Certe modicum tempus ſolutionis non eſt, quod longius eſt eo, quo ligatus dicitur Satanas.

Expoſitiones contra Papam ſe impediūt.

Quarto. Qui accuratiſſimè tempus hoc deſcribunt, fœdiſſimum in modum aberrant. Conradus Graſerus in 12. Apoc. pag. 73. Certas Periodos annorum ſignificat, Tempus à captiuitate Babylonicâ ad Chriſtum, duo tempora ad ſeculum decimum ſextum, dimidium temporis ab initio ſeculi decimi ſexti, cum ruere cœpit Papatus. Hæc monſtra nunquam Luthero in mentem venerunt, neq; enim inter celerrima errorum cōtagia, paucis annis vulgata, putabat tam longam vitam, regnumq; Papæ duraturum. Et merito; nam omnibus interpretibus, Iudæis, Græcis, Latinis, Sectariis ipſis repugnat 2. Nuſquam in ſacris literis, aut profanis, in nullo calculo, tempus quingentos, tempora mille annos ſignificat. 3. Nihil hæc ad captiuitatem Babylonicam faciunt: Nam hoc cornu eſt in quarta beſtia, at tempore captiuitatis, regnabat Chaldæa, & captiuitatem ſoluit Perſica beſtia, Cyrus videlicet,

Graſerus contra omnes interpretes textui vim facit.

Pardus

Pardus itaque tum rerum potiebatur. At cornu paruulũ, non est in vertice Pardi, sed quartæ bestiæ. Quod si quartã bestiam fingat esse regna Seleucidarũ, & Lapigarum, nec sic quidem fabulam contexere poterit; vt non suâ se prodat inconcinnitate. Nam cornu illud à Romanis contritum, quomodo demum anno Christi 500. renascitur?

Pergit Graserus: *Ioannes intelligit tres πεντακοσιάδας post Christum natum, per tempus & tempora, & ab anno 1500. numerat annos 250.* Sed sibi repugnat, quia de re eadem loqui Danielem, & Ioannem asseruerat; nunc diuersam materiam vtriq; tribuit, cũ Danielis tempus à captiuitate Babylonica, Ioannis à nato Christo auspicatur. Deinde menses & dies nullo modo possunt huic rei accommodari. Multo minus ad bestias Apocalypticas, de quibus postea agendum est. *Mendacia nunquam cohærent.*

Ecce in re grauissima, qua totus orbis Christianus iam à Christo nato exoriens (nam supra ostendi, à multis primos Pontifices Antichristianos vocari) condemnatur, inter omnes est dissensio, nullus aptare textui suam opinionem potest, & ex re obscurissima cuditur articulus fidei, nempe iste. *Papa est Antichristus.*

Obiiciunt tamẽ (nunq̃ enim deest garrulæ nequitiæ prætextus) De tribus annis cum dimidio est somnium Monachorum, inquit Chytræus & Pouellus; & ex his Iubilantes.

Respondeo. 1. Esse vetustissimorum & doctissimorum Ecclesiæ doctorum, vt fatetur Pareus. 2. Blasphemum est in sacram scripturam, quod aiunt. Dicit Daniel & Ioannes, esse tempus, & tempora & dimidium temporis, esse menses 42. esse dies 1260. quibus prophetent testes, & mulier pascatur in deserto. Hæc tam signanter dicta, nos accipimus, eo modo quo dicta sunt, nã mẽses quadraginta duo sunt anni tres, & dimidius, dies 1260. sunt anni tres cum dimidio & dies aliquot, quibus Ecclesia, occiso Antichristo, florebit. Quis ergo tam tyrannicè *Cum prophetis & patribus loquimur.*

nicè imperiosus est, vt me dicentem eadem, quę Prophetæ dicunt, & Apostoli, somniare dicat, cum ipse immanissimo somnio, incerta sententia, Pontificem omnibus suppliciis addicat?

Obiicit Pareus. Quæ de Antichristo dicuntur, non possunt tam breui spacio fieri, non ergo tam breue spaciũ est. Verba Parei audiamus. *Secum non consistit, quoniam quæ fingunt, Antichristum suum efficere debere, spacio trium annorum cum dimidio eum conficere non magis est possibile, quã cochleam tridui spacio vniuersum terrarum orbem perreptare. Debet à gente Iudaica per vniuersum orbẽ dispersa, pro Messia agnosci: Debet sedere in templo Ierosolymitano, quod tot secula iacet in cineribus: Debet tres reges Ægypti, Libiæ, Æthiopiæ trucidare: septem alios reges subiugare: Romam à decem illis regibus exustam instaurare, ibique Pontifice excusso Monarcha sedere: Christianam religionem toto orbe persequi, delere Ecclesiam, denique & totius orbis imperium suæ potestatis facere &c. Quis quæso hæc per febrim somniet quadriennio non integro futura? Quos igitur Antichristus mittet Mercurios? qui Iudæis toto orbe dispersis aduentum sui Messiæ repente nuntient, persuadeant? Templum scilicet triduo reædificabit, quod Salomon ex omni materia præparata septennio absoluere, Zerobabel quadraginta sex annis instaurare vix potuit. Turcam Syria, Persam Oriente, Chamum Septentrione, Prato Ioannem Austro vniuerso Antichristus iste quadrimulus momento nimirum expellet. Quid nugacius? Adeone vero Imperatores & Reges Christiani omnes altum stertent, vt simul vniuersi ab vno repentè opprimantur? Itane Papa Romanus cum suis Cardinalibus vigilabit, vt Roma ex Catholica Gentilis fiat, Antichristo venienti omnes Christiani temere manus dent? O nugas theatricas? secum itaque hoc commentum neutiquam consistit.*

Mirum Parei somnium.

Respondeo. Contra laruas luctari Iubiliarios. Nemo

omnia

omnia illa ab Antichristo triennii spacio, & sex mensium facienda somniauit. Nemo tam multa facta quadriennio non integro ascribit. Primo enim erit cornu paruulum, cum tres reges subiecerit, Iudæos asciuerit, templum exstruxerit, imperium pessumdederit, tum vero tot victoriis exaltatum cor eius *loquetur magnifica*. Alexander non nisi multis victoriis inflatus Deus esse voluit. Tum sæuiet illa persecutio, cum potestatem firmasse videbitur, nam initio & progressu, opus est opinione clementiæ. Antiochus ipse primo sexennio egit minus tyrannicè, nam etsi crudeliter Ierosolymam habuit anno sexto regni, nondum tamen fastigium malitiæ conscendit, nam & ob *necem Oniæ fleuit, recordatus defuncti sobrietatem & fidem*, & mortem eius vindicauit. At anno octauo serio typum Antichristi egit, & omnia violauit: itaque desolatio illa ab octauo Antiochi anno est inchoanda, non à regni exordio, pari modo Antichristi crescentis, & in culmine constituti tempora distinguenda sunt. Itaque, hac quidem in re puerum se Pareus ostendit, & tota illa Iubilantium νεκυΐα. Nam sensim alios atque alios vincet, & victoria vtetur, vt ab vno ad alios procedat, donec opprimat vniuersos: Interim hæc documento sunt certissimo, prophetiam de Pontifice non agere. Non enim à Iudæis pro Messia accipitur, non sedet in templo Ierosolymitano, non trucidauit tres reges, non reliqua fecit, non est ergo Antichristus.

Fingit absurda quæ oppugnat.

Antichristus victor crudelis erit.

Pergit Pareus: *Scripturis etiam sacris variè repugnat. Docent hæ, Antichristum non nisi per vniuersalem venturum apostasiam à fide 2. Thess. 2.3. 1. Tim. 4. 1. seruatis saltem electis in fronte signatis. Quis vero dixerit, vniuersos Christianos etiam Episcopos, cum suo Pontifice intra quadriennium posse abduci à fide?*

Respondeo: Non quadriennio abductos à fide, sed iam

Non quadriennio

omnes deficient, & tum quoq; multi persistent.

ante multos naufragium fidei fecisse, multæ hæreses præiuerunt, vt generalem apostasiam conficerent, eam ipse complebit Antichristus. Ita quoque abominatio, quæ Antiochi tempore fuit, dispositiones & causas habuit. 1. Maccab. 1. 11. *Exexijt ex eis radix peccatrix Antiochus Illustris, filius Antiochi regis, qui fuerat Romæ obses: & regnauit in anno centesimo tricesimo septimo regni Græcorum. In diebus illis exierunt ex Israel filij iniqui, & suaserunt multis, dicentes. Eamus & disponamus testamentum cum gentibus quæ circa nos sunt: quia ex quo recessimus ab eis inuenerunt nos mala multa. Et bonus visus est sermo in oculis eorum. Et destinauerunt aliqui de populo, & abierunt ad regem: & dedit illis potestatem, vt facerent iustitiam gentium. Et ædificauerunt gymnasium in Ierosolymis secundum leges nationum, & fecerunt sibi præputia, & recesserunt à testamento sancto, & iuncti sunt Nationibus, & venundati sunt vt facerent malum.*

Nunc in Germania tot hæreses ostendunt facilem esse generalē apostasiā.

Ita nunc quoq; si hæreseon multitudinē, fœditatemq; spectemus, facile omnia ad apostasiam parata esse inueniemus. Nam si Pareum consulamus, quantula pars hominū rigidum Caluinismū, cui ipse initiatus est, agnoscit, & sequitur, & in illo ipso quantæ sunt dissensiones, & qui sinceriores videntur Caluino iudice, ex illis vix decimus quisq; est non hypocryta. Tandem ita concludit contra Danielem, & Ioannem. *Testatur scriptura diem, mensem & annum extremi aduentus Domini omnibus creaturis absconditum soli Deo cognitum esse: venturum verò Dominum repentè instar nocturni furis, cum mundus dicet: Pax & tuta omnia. At ex opinione posita dies, mensis, annus iudicij minime foret occultus. Abortu enim Antichristi ad eius mortem restarent tres anni cum dimidio, ab eius morte dies XLV. ad iudicium. Expresse enim scribit Bellarminus, post Antichristi mortem futuros non nisi XLV. dies vsq; ad mundi finem. Cum igitur falsum ex opinione data sequatur: ipsa falsa sit necesse est.*

Respondeo.

Respondeo. Constare Bellarminus ait, quia probabili interpretatione Danielis hoc modo quidam ratiocinantur, quia Dan. 12.12. scribitur Beatus qui exspectat, & peruenit vsq; ad dies mille trecentos triginta quinq;. Quasi cum sit futura retributio bonis. At illa interpretatio non est certa, & à plerisque ignorabitur. Deinde si pro diebus annos ponant, erit tum quoq; res certa, & præscietur illa dies. Nam & Pareus vsq; ad annum domini 1866. calcandam Ecclesiam vaticinatur, & cum ita de tempore, & temporibus, & 42. mensibus disputet, dubium esse non potest, quin pari gradu certitudinis de temporis dimidio coniectet. Braubomus sane nobis annos omnes in Floribus Flaminiis proposuit, & se cognouisse iactauit, quamuis anima Christi non cognouerit. Tertio Beatus dici potest, qui eo vsq; peruenerit: quia iam tũ celerrimè in præcipuas partes mundi nunciata Antichristi morte, persecutio cessabit. & horrore contubescent administri, qui mortuum crediderint, quem credebant immortalem.


Certitudo ex annis etiam colligetur.

Caluiniani iam ante omnia designant.

Hieronymum igitur potius audiamus hunc in modum loquentem. *Tempus annum significat, tempora iuxta hebraici sermonis proprietatem, qui & ipsi dualem numerũ habent duos annos præfigurant, dimidiũ autem temporis sex menses, quibus Sancti, potestati Antichristi permittendi sunt, vt condemnentur Iudæi, qui non credentes veritati susceperunt mendacium.* Notandum est inquam, illud de duali non esse, neq; hic, neq; in cap. 12. nam vtrumq; pluralis est numeri, & Iudæi ferè duali non nisi in rebus natura geminis vtuntur, nisi ea sit consuetudo, vt cum proferunt absens tempus, tempora, dimidium, dualiter accipiant. Non hoc ideo dicit Hieronymus, quod vel hic vel cap. 12. Danielis sit dualis, nam eo fere, nõ nisi in rebus natura geminis vtuntur Hebræi: quia tamen punctis illa ætas caruit, ille tam legere potuit מועדים duali, quam מועדים plurali, nullum est enim discrimen literarum.

CAPVT XXIII.

An c. 8. v. 23. de Pontifice prophetet Daniel?



ERBA Prophetæ sunt. *Et post regnum eorũ, cum creuerint iniquitates, consurget rex impudens facie & intelligens propositiones. & roborabitur fortitudo eius, sed non in viribus suis: & supra quam credi potest vniuersa vastabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos, & contra principem principum consurget, & sine manu conteretur.*

Ruente Græcorum Monarchia Antiochus regnauit.

Primo ait post regnum eorum, Nempe regum Syriæ, qui fuere numero nouem & decem, inter eos non vltimus fuit, sed octauus Antiochus qui dictus est Epiphanes, & ex moribus ἐπιμανὴς, furiosus. Post regnum ergo quorundam regum Syriæ regnare cœpit. Quia tamen generatim noster interpres vertit: Post regnum eorum: & Hebræus textus באחרית in extremo, & 70. ἐπ' ἐσχάτων τῆς βασιλείας αὐτῶν circa extrema regni eorum, accuratius spiritus sancti phrasis consideranda est. Nam reuera iam extrema regni Græcorum aderant. Cum enim regnare cœpit Antiochus, iam Græcia atque adeo Macedonia erat in potestate Romanorum, magna etiam pars alienata erat, ante annos 16. tributum indictum fuit Antiocho magno huius parenti, qui magnâ parte Asiæ, insulisque exutus fuit, arma, Elephantos, classem tradere coactus, ipse rex modicis finibus cis Taurum regnare iussus est. Ipse Antiochus Epiphanes Romæ obses, & pignus seruitutis fuit, nec Ægypti melior conditio: nam Pupillum regem Romani tutati sunt: cum ergo tam regnum Græcorum in vnica parte hæserit, nec liberũ, sed obnoxium, merito dicit Spiritus Sanctus: *post regnum illorum.*

Secundo dicitur causa tam magnæ persecutionis, cum creuerint

creuerint iniquitates: alii *cũ consummabunt defectionẽ præuaricatores illi*. Luther. **Wañ die Vbelthäter vberhand nehmen** / alii *cõsummati sunt iniqui*: itaq; duplex interpretatio, Prima, *Cum Deus consumit prauaricatores*, nam id factum sub Antiocho, à Iuda, aliisque. Secunda, quia est communis, *πληρουμένων τῶν ἁμαρτιῶν*, *cõpletis peccatis*, cũ iam maturi pœnæ fuerint, ita de Amorrhæis Moses, & l. 2. Mach. c. 4. Heb. בהקס הפשעים *in cõsummando* præuaricatores, nõster agit mutatis punctis הפשעים præuaricationes, hac explicatione clarius cap. 11. & cap. 1. lib. Machab. v. 11. & cap. 4. l. 2. Machab. v. 7. & seq. & hoc indicat v. 12. *robur autem datum est ei*. *Calamitatum causæ sunt peccata.*

Tertio, hæc omnia Antiocho, nonnulla conueniunt Antichristo. Nam primo Antiochus est cornu modicum. Cornu, qui rege patre natus, externis regnum inuidentibus ipse obtinuit. Modicum quia minor fratrum, Romæ obses, omnes potentes adulatus seruitutem tantum non seruierat, sed veniens ad imperium ab exilio *regnauit sanguine multo*.

Factum est grande, occupatâ Palæstinâ, positis in Ægypto præsidiis, & victa variis bellis, non tamen veterum regum potentiam æquauit.

Quarto rex impudens facie, עז פנים fortis facierum, *ἀναιδὴς προσώπῳ*. Duo sunt in illâ impudentia, ob quæ à Polybio, Athenæo, Cedreno, Gorionide vocatur *ἐπιμανής*: nam summa erat ambitio diuinitatem affectantis, & summa inuerecundia, publicè enim & inspectante populo libidines explebat. *Impudens facie.*

Quinto. *Intelligens propositiones*, Hebræus textus vocat חידות ænigmata, quidam vertunt *φρονῶν κρυπτὰ τοῦ σκότους*, agitans consilia tenebrarum, ad fraudes enim, & dolos insigniter eruditus est.

Sexto. *Roborabitur fortitudo eius*, sed non in viribus suis. *Intelligens propositiones.*

 Hiero-

Roborabitur fortitudo eius. Hieronymus: *quia propter populi peccata illa sunt permissa, cum alias non potuisset quicquam efficere, idque tam in capienda Ægypto, cuius rex omnino marcebat desidia, vt non modo regiæ maiestatis officia intermitteret, sed etiam sensu hominis nimia sagina careret, & par erat aulæ*, procerum, & ciuitatum corruptio. Deinde pauca viribus, pleraque fraude, & periurio transegit.

Crudelitas Antiochi. Septimo. *Supra quam credi potest vniuersa vastabit, & prosperabitur, & faciet, & interficiet robustos, & populum Sanctorum.*

Hebræus vastabit נפלאות *admiranda*, seu *admirabilitates*, 70. *θαυμαστὰ διαφθερεῖ mirabiliter corrumpet.* Graserus occultissimè corrumpet. Sed nec boni, nec mali interpretis habet auctoritatem. Octauo. Successus etiam tam praui hominis indicatur. v. 25.

Secundum voluntatem suam dirigetur dolus in manu eius, & cor suum magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos, & contra principem principum consurget, & sine manu conteretur.

Prosperitas Antiochi. Hebræus על שכלך super intellectum eius prosperabitur dolus eius. Hoc est, vt ille dicebat, *dolos astute tractabit*, & euentus felix erit. Interpretes 70. ita vertunt: *καὶ ὁ ζυγὸς τοῦ κλοιοῦ κατευθυνεῖ*, iugum numellæ, seu supplicij dirigetur. Legerunt illi pro כ, literam illi affinem ב. nempe על שבלך iugum vinculi eius. Nam שבל vel סבל vinculum est, hinc סבולת Societas. סבלונות ornamenta, catenulæ, annuli. Græcæ itaque lectionis duplex est sensus. Primus, vt ipse Antiochus sit iugum vinculi, seu iugum hominis vincti, & obsidis, quod prosperatum est, cum ex vincto factus est rex. Alter quod multos vinxerit, atque in captiuitatem abduxerit, vt prædictio sit eius, quod 2. Macc. 5. 14. dicitur. *Erant autē toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta*

ginta millia vincti, non minus autem venundati. atque hæc vnâ clade contigerunt.

Nos tamen hebræa, & veterem interpretem secuti, de temporariâ Antiochi felicitate interpretamur.

Nono. Cor suum magnificabit, quidam hebræa verba ובלבבו. *& in corde suo,* iungunt cum præcedentibus, dirigetur dolus eius in manu eius, & in corde eius. Noster vero: *Et in corde suo magnificabit.* Hoc est cor magnificabit: cum dominũ magnificare oportuisset. Sic 70. καὶ ἐν καρδίᾳ αὐτοῦ μεγαλυνθήσεται. *Et in corde suo magnificabitur.* Id in Maccab. lib. 2. cap. 5. 21. narratur. *Existimans se præ superbia terram ad nauigandum, Pelagus vero ad iter agendum, deducturum propter mentis elationem.* & cap. 19. 7. *Super hoc autem superbia repletus, ignem spirans animo in Iudæos, & præcipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, & graui corporis collisione membra vexari. Isq; qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans: ita vt de corpore impij vermes scaturirent, ac viuentes in doloribus carnes eius effluerent: odore etiam illius & fætore exercitus grauaretur. & qui paulo antè sidera cæli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fætoris portare. Hinc igitur cæpit ex graui superbia deductus ad agnitionem sui venire, diuina admonitus plaga, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus, & cum nec ipse iam fætorem suum ferre posset. Ita ait, Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* *Superbia pœna.*

Decimo, & in abundantia occidet plurimos, בשלוה quod alii interpretantur, *in pace*: 70. καὶ δόλῳ πολλοὺς διαφθερεῖ, & dolo multos occidet. Omnia vera sunt: nam reuera ex Ægypto spoliata rediens cum rebus *Sanguinẽ in pace fũdet.*

rebus omnibus abundaret, cædes Ierosolymis,& alibi fecit: & in pace, nō enim bellum erat,sed sæuiendi,rapiendique occasionem quæsiuit: denique omnia illa dolo sunt peracta. Nec repugnat Hebræa dictio, nam שלה est *in pace agere,fortunatum esse*. Ier. 12. 1. sic Psal. 15. 7. Psal. 72. 21. Vndecimo. *Contra principem principum consurget*, ita hebræus, editio Romana 70. non habet ἐπ' ἄρχοντα ἀρχόντων στήσεται, sed ἐπ' ἀπωλείᾳ πολλῶν στήσεται, *ad interitum multorum consurget*. itaque pro Resch legit Daleth. ita aliæ quoque editiones: Francofurtensis, & aliæ vtcunq; ponunt, ἐπ' ἀπωλείᾳ πολλῶν στήσεται, καὶ ἐπ' ἄρχοντα ἀρχόντων στήσεται. at posterior vt legitima retinenda est, aliæ vero omittendæ.

Contra Deum cō-surget.

Duodecimo, ὡς ἐυκ χειρὶ συντρίψει, *vt non manu conteretur*: nam lectio quam exponit Theodoretus, & libri Græci habent, ὡς ᾠὰ συντρίψει, *vt oua conteret*. Hebræum אפס quamuis variæ sit significationis, pro ouo tamen hoc solum loco accipitur: sed magis credo ex ἐυκ factum ᾠὰ alioqui pro ב legerunt כ, & pro ישבר passiuo ישבר actiuum. Ex quo apparet quam necessario sit traditio cum scripturâ iungenda: nam si absque traditione punctorum sit, tam legam, *conteret*, quam *conteretur*. De interitu Antiochi lib. 1. & 2. Maccabaicorum non habere contraria, ostendit Serarius lib. 1. c. 6. & l. 2. c. 9.

Sine manu cōteretur.

Tertiodecimo. Hæc omnia mala Pontificibus eo quo supradixi modo aduersarii accōmodare satagunt. Sed argumentum nullum est.

Nam primo, omnia in quemlibet impium regem dici possunt, in Mahometem, in cœteros. Secundo. Si acta Francica, Anglicana, & Belgica legamus, sine dubio inueniemus, omnia quæ Caluiniani crudeliter, sacrilegè, libidinose egerunt, Antiochenica hæc superare. Tertio. Queruntur Lutherani, vt ex verbis, quæ ex palmâ sæculari ci-

Hæc in multos conueniūt.

ri citaui manifestum est, Caluinianos in se vix esse clemẽtiores, quam sint Pontificij. Queritur Melanchthon vt ostendi in Iubilo, à rigidis Lutheranis iugum grauius imponi mollibus, quam fuerit à Pontifice impositum. Queruntur Arminiani in Belgio Gommaristas in se maiorem tyrannidem exercere, quam fecerit inquisitio hispanica. Queruntur Caluinistæ Lutheranos in se atrociores esse, quam sint Papistæ. Mutuæ igitur cum sint querelæ, non est causa, cur in Pontificem conferant vniuersa. Quarto, Hic Antiochus rex vnus, è modicis initijs progressus, impudens facie, &c. opponitur vni Antichristo, Vnus homo, vni homini, malus pessimo typus statuitur, non vnus integro regno, non vnus multis. Quæ est causa, aut ratio similitudinis, vt Antiochus vnus è nouemdecim Syriæ regibus eligatur, qui typus sit omnium Pontificum, non omnes reges, aut regnum Syriæ, etsi enim Antiochus palmam nequitiæ omnibus præripuit, omnes tamen insignitè improbi fuerunt, crudelesque & libidinosi, etiam Seleucus ille, qui vtcunque hostijs Deum coluit. Huius historiæ consideratio omnem vim tollit quam aduersarij in Iubilis suis mentiendo, & nugando allinere inuitæ historiæ conantur.

Vnus Antiochus vnum Antichristum designat.

Quinto, scriptura quoque à Pontifice totam culpam amolitur, ita enim c.8.v.8. *Hircus autem caprarum magnus factus est nimis: cumq; creuisset, fractum est cornu magnum, & orta sunt quatuor cornua subter illud per quatuor ventos cæli. De vno autem ex eis egressum est cornu vnum modicum: & factum est grande contra Meridiem, & contra Orientem, & contra fortitudinem. Et magnificatum est vsque ad fortitudinem cæli: & deiecit de fortitudine & de stellis, & conculcauit eas. Et vsque ad principem fortitudinis magnificatum est: & ab eo tulit iuge sacrificium, & deiecit locum sanctificationis eius. Robur autem datum est contra iuge sacrificium, propter peccata: &*

Et pro-

prosternetur veritas in terra, & faciet, & prosperabitur. Et audiui vnum de sanctis loquentem: & dixit vnus sanctus alteri nescio cui loquenti, vsquequo visio, & iuge sacrificium, & peccatum desolationis quæ facta est: & sanctuarium, & fortitudo conculcabitur? Et dixit ei. Vsque ad vesperam & mane, duo millia trecenti: & mundabitur sanctuarium.

Proprie dies hic accipiuntur

Tempora desolationis, & tyrannidis describit Daniel dies 2300. veros autem dies accipit, non ænigmaticos. Cum vero aduersarij fateantur, de eisdem rebus, loqui Danielem & Ioannem, oportet quoq; Ioannem proprie dies, & menses accipere; deinde hoc loco proprie dies accipiuntur, ergo c.12. v.12. nec enim causa est, cur alibi ænigmata, hic vero propriam locutionem accipiamus. Præsertim cum eisdem de rebus sermo sit. Cumq; Antiochi tyrannis veris proprijsque diebus explicetur, non debent res Antichristi, quæ hisce significantur improprijs diebus indicari. Hinc est, quod fatetur Pareus nullos hactenus interpretes connectere potuisse, illam quæ est de Antichristo prophetiam, quia vel Danielem vel Ioannem torquent. Porro dies illi non sunt inchoandi ab eo tempore quo Antiochus in templo posuit idolum abominationis, sed à tempore quo Iason cædibus grassari cœpit. Quod si hos dies de Antichristo ænigmatice interpretentur, adhuc illi multos annos donent necesse est; nam dies duo millia trecenti totidem anni erunt.

Sexto, Antichristus sicut Antiochus sine manu conteretur, at iam omnes ministri suos reges hortantur, vt bello Papam persequantur, & carnes eius vorent. Frustra id suadent, si Papa manibus non est conterendus.

CAPVT XXIV.

An quæ Danielis c.11. v.31. & sequentibus dicuntur ad Pontificem pertineant?

Textus

Extus ita habet. *Et brachia ex eo stabunt, & polluent sanctuarium fortitudinis, & auferent iuge sacrificium: & dabunt abominationem in desolationem. Et impij in testamentum simulabunt fraudulenter: populus autem sciens Deum suum, obtinebit & faciet. Et docti in populo docebunt plurimos: & ruent in gladio & in flamma & in captiuitate & in rapina dierum. Cumq; corruerint, subleuabūtur auxilio paruulo: & applicabūtur eis plurimi fraudulenter. Et de eruditis ruent vt conflentur: & eligātur & dealbētur vsq; ad tempus præfinitū: quia adhuc aliud tēpus erit. Et faciet iuxta voluntatē suā rex, & eleuabitur & magnificabitur aduersus omnem Deū; & aduersus Deū Deorū loquetur magnifica, & dirigetur, donec cōpleatur iracundia, perpetrata quippe est definitio. Et Deū patrum suorum non reputabit: & erit in concupiscentiis fœminarū, nec quemquam Deorū curabit: quia aduersum vniuersa cōsurget. Deum a. Maozim in loco suo venerabitur: & Deūm quē ignorauerunt patres eius colet auro, & argento, & lapide pretioso, rebusq; pretiosis. Et faciet vt muniat Maozim cum Deo alieno quem cognouit, & multiplicabit gloriam, & dabit eis potestatem in multis, & terram diuidet gratuito. Et in tempore præfinito præliabitur aduersus eum rex Austri, & quasi tempestas veniet contra illum rex Aquilonis in curribus & in equitibus & in classe magna: & ingredietur terras, & conteret, & pertransiet. Et introibit in terram gloriosam, & multi corruent: hæ autem solæ saluabuntur de manu eius, Edom, & Moab, & principium filiorum Ammon. Et mittet manum suam in terras: & Terra Ægypti non effugiet. Et dominabitur thesaurorum auri & argenti, & in omnibus pretiosis Ægypti: per Lybiam quoq; & Æthiopiam transibit. Et fama turbabit eum ab Oriente, & ab Aquilone: & veniet in multitudine magna vt conterat, & interficiat plurimos. Et figet tabernaculum suum Apadno inter maria, super montem inclytum & sanctum: & veniet vsque ad summitatem eius, & nemo auxiliabitur ei.*

De quo illa dicantur intelligi non poteſt, niſi accuratè ſenſus intelligatur, qui idcirco apud multos dubius eſt, quia cui applicanda ſint illa facta, neſciunt. Nam quidam etiam nouatorum ita omnia Antiocho accommodant, vt in eo ſiſtant, alij alio feruntur.

His verbis deſcribitur Antichriſtus. Sed dicendum eſt ſermonem eſſe de Antiocho, quia eius progenies, & facta deſcribuntur, idque à n.24. certiſſimè. Deinde in Antiocho vt in figura deſcribi Antichriſtum Ita tamen vt nonnulla ſoli Antiocho, alia Antichriſto ſoli conueniant, cum tamen Iubilantes omnia facta Antichriſto accommodent, nos eorum veſtigia ſequemur, & oſtendemus ad Pontificem non pertinere. Non ſunt illi ſolliciti vt Danielem exponant, ſed vt verba illius proponant, & deinde collectis vndique famoſis libellis, & publicis calumnijs ea Pontifici impingant.

Brachia. V.31. *Et brachia ex eo ſtabunt.* Septuaginta habent *σπέρματα ſemina*, quod interpretantur, de Eupatore Antiochi filio, qui Iudæos etiam ipſe oppreſſit. Legerunt illi זרעים *ſemina*, pro זרעים brachia. Sed de Eupatore non puto accipienda eſſe, non enim ille *abſtulit iuge ſacrificium*, imo nec potuit, reſtauratum iam erat, & ſe Maccabæi fortiter defendebant. Brachia igitur ſunt quos Antiochus Iudæis atrociſſimos impoſuit. Ita 1. Macc. 5.22. *Reliquit autem præpoſitos ad affligendam gentem; Ieroſolymis quidem Philippum genere Phrygem, moribus crudeliorem, eo ipſo à quo conſtitutus eſt. In Garizim autem Andronicum & Menelaum, qui grauius quam cæteri imminebant ciuibus.* Cumque oppoſitus eſſet contra Iudæos, miſit odioſum principem Apollonium cum exercitu 22000. præcipiens ei omnes perfectæ ætatis interficere, iuuenes ac mulieres vendere.

Horum facta ſunt. Sanctuarium polluere, profanare: deſcribitur res geſta 2. Macc. 6, & lib. 1. c. i, a. v. 40.

Deinde

Deinde תשברצחשמם dabunt abominationem desolationis, seu desolantem, seu obstupefacientem. 70. vocant δἔλυγμα ἠφανισμένον, abominationem non apparentem, ita Romanus habet codex, melius alia exemplaria, καὶ δώσουσι βδέλυγμα ἠφανισμένον, dabunt abominationes eorum quæ è medio sublata sunt, simulacrum Iouis quod nihil erat, quia idolum nihil est. v. 37. *Et impij in testamentum simulabunt fraudulenter, populus autem sciens Deum suum obtinebit, & faciet.* *Abominatio desolationis.*

Heb. verba sũt emphatica ומרשיעי ברית יחניפ בחלקות, quod in Græco vertitur, καὶ οἱ ἀνομοῦντες διαθήκην ἐπάξουσιν ἐν ὀλισθήμασι. Hebręa ad verbum ita verti possunt. *Et peccatores testamenti faciet peccare, simulare, impiè agere in blanditijs*, Græca, peccantes testamentum traducent in ruinis, seu lubricitatibus, hoc lubrico casu. Noster legit יחניפו *peccabunt, simulabunt*, nam hoc verbum peccare significat, sed præcipuè cum hypocrisi, & simulatione perniciosa eodem modo etiam Græci legerunt. Est verò Iob. 34. 30. & 36. 13. חנפ hypocrita. Sunt verò illi qui 1. Macc. c. 1. vers. 12. Disponunt testamentum gentibus, omnes deinde qui fraudulenter populum Dei deceperunt, aut decipere sunt conati. Hoc etiam fecerunt Antiochus Eupator, lib. 1. Macc. 6. 61. & c. 7. 5. 10. & 28. Nicanor. & c. 9. 58. *Simulatores plus ipsis hosti bus nocēt.*

Hæc profanatio, & abominatio nõ est in Pontifice, sed in ducentis sectis, quæ à Pontifice defecerunt. Nos in prima religione permansimus, nihil à prima fide mutauimus, vt ex ipsisinet aduersarijs probaui, qui à Martyribus tribus, & triginta Pontificibus auspicantur nostrum, vt vocant, Antichristianismum. Si fraudulentos quæris, vide testimonia Lutheranorum, & Caluinianorum contra se mutuo, nulla supererit dubitatio. Sacrificia sustulerunt Sacramenta prophanarunt, adeo vt non alio fere *Fraus à Pontifice abest.*

nomine à Lutheranis vocentur, quam Sacramentschender, & Sacramentschwermer. Sacerdotes occiderũt, ipsa sanctorum corpora effoderunt, atq; in cineres redegerunt. Ad Pontificem & Catholicos id pertinet quod sequitur : *Populus autem sciens Deum suum obtinebit, & faciet.*

Populus fortis sciẽs Deum.

Ita populus fortis contra Antiochum, victor in prælio, victor in tormentis, 1. Macc. 1. 56. & seq. li. 2. c. 5. c. 6. c. 7. Nec aliter nobilissimi martyrum tẽpore Antichristi, si enim patrum memoria, & diebus nostris, theatrum crudelitatis Caluinisticæ in Gallia sustinuerunt, & nunc adhuc varijs in locis sustinent, si patientia sua carnificum ingenia superarunt, cur non in summo illo grassantis Antichristi terrore, diuina virtute protegentur, vt tum quoque bestiæ cruentissimæ sese opponant? Maccabæi quidem lib. 2. cap. 2. 47. dicuntur persecuti filios superbiæ, & prosperatum esse opus in manibus eorum, obtinuisse legem de manibus gentium, & de manibus regum, & non dedisse cornu peccatori. Agimus tibi gratias magne Deus, quod populus sciens Deum, etiam nunc obtinuerit, & faciat, & inter tot millia errorum in fide antiqua permaneat. Horrescit animus cũ video intra paucos annos innumerabiles hæreses prodijsse, & ab vna aliqua opportunum quemq; abreptum esse. Eas ipsas inter se collisas esse, & infestissimè concurrisse. Interea tamen video in prisca fide Martyrum, in canone Apostolorum, in Ecclesijs quæ traducem doctrinæ, & episcoporum, à primæua Ecclesia acceperunt manere tot millia, ex gentibus venire tot millia, ex errantibus redire tot millia. Benedictus Deus, qui fecit, *vt populus suus faceret, vt non daret cornu peccatori.* Versic. trigesimotertio. *Et docti in populo docebunt plurimos, & ruent*

Catholici tamen cõstantes manent.

ruent in gladio , & in flamma , & captiuitate , & in ruina dierum.

Hæc quoq; de Maccabæorum tempore, & Antichriſtiana perſecutione accipienda ſunt. Nam & tum in doctores populi præcipue rabies impiorum incubuit, & noſtrorum quoq; tempore ſacerdotum, monachorumque multa millia trucidata, & quidem nouo tormenti genere trucidata ſunt. *Multi martyres.*

Docti in populo ומשכילי עם *intelligentes populi*, vel *etiam intelligere facientes populum*, miris enim modis eos perſequuntur, gladio, igne, ferro cum poſſunt, calumnijs, cum non poſſunt, quis vnquam à condito mundo atrociores calumnias, quàm Illuſtriſſimus, & doctiſſimus Bellarminus expertus eſt? Quis ordo hodie ita expoſitus eſt, quaſi ſignum ad ſagittas, quemadmodum ſocietas Ieſu, cuius hoc inſtitutum eſt, vt omni generi hominum, docendo proſit, ex qua etiam cœteri ordines refloruerunt, quam Clemens octauus ſocietatem ingeniorum appellare conſueuit?

Hic iactantur, atq; agitantur in rapina dierum, in Hebræis nonnullis additur, רבים multorum. Vt vero lector iudicet quæ quam partem perſequatur, Miniſtrorum pſeudo-Euangelicorum in Catholicis vrbibus libertatem, & aliquando proteruiam perpende, at Societatis noſtræ alumnis ſine irriſu, conuitijs, interdum iniquis detentionibus, lapidationibuſq; tranſire oppidulum vix licet, in quo regimen eſt prædicantium, nec iuuat pax religionis, nec magiſtratus vetantis auctoritas, miniſterialis furor omnes odio veritatis, & vera docentium imbuit. *Proteruia prædicantium.*

Verſ. 35. *Et de eruditis ruent, vt conflentur, & eligantur, & dealbentur vſq; ad tempus præfinitum, quia adhuc aliud tempus.*

Finis

Erudiiti ruunt. Finis tribulationum est, profectus fidelium, & sanctorum. Ruent enim non à fide desciscendo, sed pro fide fortiter occumbendo, לצרוף בהם *ad conflandum in illis*, quemadmodum Malachiæ 3. *sedet Deus, quasi ignis cõflans.* Metalla enim igne mundantur, & fideles tribulatione. Stipula exuritur, aurum purgatius exit. *Vt eligantur*, Heb. ולברר quod eligendi, & mundandi significationem habet; Græcus textus ἐκλέξασθαι.

Dealbare in Hebræo est, וללבן *& ad dealbandum*, quædam Græca pro ἐκλευκᾶναι habent ἀποκαλυφθῆναι. Nũc illa incipiunt, sæuiente Antichristo, pij & constantes eximiè proficient: cuius nunc quoque videmus exempla, quot enim fideles Principes, nobiles, quot canonicorum collegia, quot monasteriorum cœtus sese reformarunt, & nouis legibus omnia vitiorum irritamenta excluserunt?

Versic. 36. *Et faciet iuxta voluntatem suam rex, & eleuabitur, & magnificabitur, aduersus omnem Deum, & aduersus Deum Deorum loquetur magnifica, & dirigetur, donec compleatur iracundia, perpetrata est quippe definitio.*

De Antiocho, & Antichristo accipiẽda. Duplex est sententia, primo de solo Antiocho accipiendum, Bruchthonus, Iunius, Tremellius, alij Caluinistæ ita interpretantur, vt ostendant frustra eos laborare, qui hæc Pontifici aptare student. Pelicanus primum Antiocho, deinde Turcis accommodat.

Altera sententia de Antichristo interpretatur, sed dupliciter: Primo de Antiocho & Antichristo simul, alij de Antichristo solo: Catholici de vero Antichristo, Antiochi antitypo, Sectariorum alij de Turca, alij de Pontifice Romano, alij de vtroque simul. Iubiliarij pro suo instituto omnia ingenti maledicentia ad Papatum, hoc

hoc eſt omnes principes Catholicos referunt. Erhartus Lauterbach compendio refert alienas calumnias prima conc. *Quia nota generalis eſt*, inquit, *Antichriſti ſecundum ſuam voluntatem faciet. Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas, ita in iure Canonico : Papæ in his quæ vult, pro ratione eſt voluntas.* Canones citat eo modo quo illi qui non viderunt, nempe diſtinct. 19. cap. ſi Romanorum cauſ. 9. quæſt. 3. cap. Cuncta, & cauſa 16. quæſt. 3. cap. nemini In his non conceditur Papæ vt quidlibet, ſiue æquum ſit, ſiue iniquum ſit poſſit agere pro arbitrio, ſed tantum ſuprema iudicandi poteſtas in ſpiritualibus, à qua non ſit appellatio, quemadmodum in politicis regi eadem datur. Nec omnino aliud ex his verbis concludi poteſt. Itaque quod licite honeſteque iubet, id ſequendum : Papæ, ſi mala iubeat, non eſt parendum, & ſi iniuriam inferat, licita eſt contra eum inculpatæ tutelæ defenſio, quam contra tyrannum Iuriſperiti, & Theologi concedunt, non tamen eſt iudex ſuperior ad cuius cognitionem Papa citetur.

Ex hoc loco conſtat Papam nõ eſſe Antichriſtum.

Hoc igitur loco probatur futurum, vt alius ſit Antichriſtus. Nam qui non ſecundum ſuam voluntatem, ſed leges diuinas, canones, & ſtatuta patrum Eccleſiam gubernat, non eſt Antichriſtus. At Pontifex ita gubernat, & ſi quis ab ea lege recedit, à Deo reprobatur, & Eccleſiam turbat. Quod verò dicatur interdũ pro ratione eſſe voluntatem: id non affirmant canones, ſed quandoq; dicunt iuriſperiti, & eo ſenſu, quo in omnes iudices id conuenit. Nam qui expenſis controuerſiarum momentis litem decidit, rationem non reddit, ſed ex auctoritate iudicat, ne perpetuò res agitetur, & controuerſiæ nunquam finiantur. Deinde in rebus adiaphoris, quas fieri oportet, ſed diuerſo modo, & rectè quidem fieri poſſunt, ſed opus eſt vniformi & conſentiente agendi ratione:

Voluntas principis ex duobus vtilibus vnum deligit.

tione : vnam determinare poteſt Papa bonam , honeſtam , ſed quæ tamen ex natura magis hoc quam illo modo fieri poſtulat. Sic in Republica lex vocatur voluntas Principis , qua multa conſtituuntur , quæ alio quoque modo rectè fieri poſſunt , ſed tamen propter pacem , & quietem Reipublicæ voluntas Principis tenenda eſt, nec debent eius iuſto arbitrio rationes ſuas ſubditi opponere. Sic intelligendus eſt Carolus Magnus in viginti tribus capitulis, quæ ad omnes prouincias miſit , quæ ſunt in Iuone , & Concilio Triburienſi, &c. & diſtinct. nonageſima cap. tertio. *In memoriam beati Petri Apoſtoli honoremus ſanctam Romanam, & Apoſtolicam ſedem , vt quæ nobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis , eſſe debeat Eccleſiaſtica magiſtra rationis. Quare ſeruanda eſt cum manſuetudine humilitas : Vt licet vix ferendum ab illa ſancta ſede imponatur iugum , tamen feramus , & pia deuotione toleremus. Si vero (quod non decet) quilibet , ſiue ſit presbyter , ſiue diaconus, aliquam perturbationem machinando, & noſtro miniſterio inſidiando, redarguatur falſam ab Apoſtolica ſede detuliſſe epiſtolam, vel aliud quid, quod inde non venerit, ſalua fide, & integra circa Apoſtolicum humilitate, penes Epiſcopum ſit poteſtas , vtrum eum in carcerem , aut aliam detrudat cuſtodiam , vſquequo per Epiſtolam , aut per idoneos ſuæ partis legatos Apoſtolicam interpellet ſublimitatem, vt potiſſimum ſua ſancta legatione dignetur decernere, quid de talibus iuſto ordine lex Romana ſtatuat definire, vt & is corrigatur, & cæteris modus imponatur.*

Carolus Magnus cēſet non facile damnandaque Pontifex ſancit.

Nam de illis quæ iuſto ordine lex Romana definit, quæ ſæpè vix ferenda putantur illis , quorum eſt anteoccupata ſententia vel voluntas , ſubditi non rectè iudicant. Interim Pontificibus omnibus illa poſita lex eſt: Cauſa vigeſima quinta cap. nono. Prima ſalus eſt, fidei regu-

regulam custodire, & à constitutis patrum nullatenus deuiare. Non igitur secundum suam voluntatem Papa agit, sed ad præscripta legum suam voluntatem accommodat.

Vana etiã ad subsidium quærunt.

Nec facit Pontifex quod de Antichristo Daniel Vaticinatur. *Et eleuabitur, & magnificabitur aduersus omnem Deum.* In Hebræo est ויתרומם Vaijthromem, *sese eleuabit*, ὑψωθήσεται, quod prædicantes quidam valde exagitant quasi in *Romem*, ipsam Romam teneant. Deinde ויתגדל, *& magnificabit se.* Non videtur id conuenire Antiocho, qui Iouem Olympium, Liberum, aliosque Deos peruersissima superstitione coluit. Itaque Antichristi illa est insania, qui nec veri, nec falsi Dei vllius reuerentia à sceleribus retrahetur.

Calumnia

Papam ait Erhartus Lauterbach, *nec Deum, nec dæmonem, nec cælum nec infernum curare.* Et Lutherum Romæ audisse hæc verba. Ist ein helle / so stehet Rom drauff / si est infernus, super eum Roma ædificata est. Probat verò: Quia mandat angelis vt animas Romipetarum cœlo inferant. cibos, dies prohibet, peccatum facit, quod non est peccatum. Deinde dicitur à canonistis Deus, Augustinus Boetius scribit illum omnia posse, quæ Deus potest, Item Philippus Decius.

Antiochus Deos coluit.

Hæc accurate consideremus. Ad Antiochum regem quod attinet, Deos ille coluit eximiè, ita Polybius apud Athenæum, ἐν δὲ ταῖς πρὸς τὰς πόλεις θυσίαις καὶ ταῖς πρὸς τοὺς θεοὺς τιμαῖς, πάντας ὑπερέβαλε τοὺς βεβασιλευκότας, τοῦτο τίς τεκμήρατο ἐκ τοῦ παρ' ἀθηναίοισι ὀλυμπιείου, καὶ κατὰ τῶν περὶ τὸν ἐν δήλῳ ἀνδριάντων. Neque vero huius contemptus causa videtur sufficiens, quod nullius Dei reuerentia, à scelere abstinuerit, nam & hoc athei, E-

picurei alijque fecere permulti, imo ſceleribus numina ſua coluere. Videatur & alia apud Atheneum pars de pompa, quam duxit. *πάντων γὰρ τῶν παρὰ τοῖς ἀνθρώποις λεγομένων, ἢ νομιζομένων θεῶν, ἢ δαιμόνων προσέτι καὶ ἡρώων εἴδωλα διήγετο, τὰ μὲν κεχρυσωμένα, τὰ δὲ ἠμφιεσμένα στολαῖς διαχρύσοις, καὶ πᾶσι τούτοις οἱ προσήκοντες μῦθοι κατὰ τὰς παραδεδομένας ἱστορίας ἐν διασκευαῖς πολυτελὲς παρέκειτο* deinde ait eum cum mimis ſaltitaſſe, *καὶ μετὰ τῶν γελωτοποιῶν.* Tandem in fine addit *ἱεροσολήκει δὲ καὶ τὰ πλεῖστα τῶν ἱερῶν.* Ecce

Antioch' Deum negabit.

idem ſuperſtitioſiſſimus eſſe videtur, & in Deos tamen maxime eſt impius.

Verum Antichriſtus nullum Deum curabit, ſed vt ſecundo Theſſalonicēſis ſecundo, quarto dicitur. *Qui*

Pontifex Deum colit.

aduerſatur, & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſeipſum, tanquam ſit Deus, & primo Ioannis ſecundo, Negabit Chriſtum.

Pontificis igitur innocentia hoc loco validè comprobatur. Deum enim veneratur, ſeruum ſeruorum Dei ſe profitetur; Angelis non mandat, ſed

Orat Angelos.

eos orat, & quædam oratio amicitiæ fidentiſſimæ, & mandantis, ille omni die orat, *Sancte Michael, ſancte Gabriel, Omnes ſancti Angeli, & Archangeli orate pro me.* Deus non vocatur niſi eo modo quo Principes Scriptura vocat Deos, & vicarios, eo maiore gradu, quo Spiritalis poteſtas ſublimior eſt temporali. De Auguſtino, & Decio mendacium eſt luculentum. Deinde quis hominum eſt adeo rerum humanarum rudis, vt credat, aliquem dixiſſe, Papam omnia poſſe, quæ poteſt Deus? Hominem plerumque infirmum, ſenem. Foeda eſt calumnia à quibuſdam ficta, ab alijs arrepta. Nos Anathema di-

Deus eſt vt principes, & ſacerdotes.

Non poteſt omnia qua poteſt De'.

ma dicimus illi;si quis dicit Papam posse omnia, quæ potest Deus.

Deus bone,si verba captari fas est, vt vetera taceam, quæ non hoc anno scripta sunt? Ecce tibi Scharpius rudis, & maledicus nebulo vocatur Alcides, Serenissimus Iacobus Rex magnæ Britanniæ Britannus Iupiter, sic enim Stephanus Gilbertus legum doctor vtrique adulatur hoc anno.

Quondam à supremo missus in terras Ioue
Infesta teneris orbis incunabulis
Portenta forti strauit Alcides manu.
Extrema terris monstra quæ languens dedit
Mundi senectus perdere BRITANNVS *volens*
IVPITER,*benigno* SCHARPIVM *emittit sinu.*
MACIE *rediuiue domitor,i tanto auspice:*
Vaticana quicquid(certa Christicolum lues)
Spelunca diui prodidit,Cacos,Lycos,
Ipsamque septem capita pandentem Feram
Et ferro & igne perdoma. Quantò hæc noua,
Peiora priscis,quippe non solum truci
Dedentia neci corpus,ast animam quoque
Tantò Hercle nobis,maior antiquo venis.

Hoc anno Scharpius Hercules, & Serenissimus Iacobus Britannus Iupiter dicitur

Ferro & igne in Papam agẽdum aiũt. Maior Scharpius Hercule.

Sed his omissis rem accuratius spectemus. Antichristus non factis modo,sed professione, & palam negabit Christum esse redemptorem, quia vero Christum oppugnabit,idcirco Iudæos sibi conciliabit,inimicos crucis Christi,hoc non fecit Pontifex,sed damnat, non igitur est Antichristus. Deinde Christum fatetur esse Christum, esse saluatorem,omnem se ab eo habere potestatem, sine illo nihil posse;illius sanguine se redemptum; ad Christum omnes vocat.

Tertio,Distinguunt ipsi Antichristum in eum, qui cõmuniter,& qui proprie dicitur Antichristus,Pouellus l.1. c.1.

Antichristus cõmuniter & proprie.

c.1.§.3. Antichristum communiter vocant, eum qui quoquo modo Christo aduersatur, vt sunt Iudæi, Gentiles, Hæretici. Proprie regnum aliquod Christi regno oppositum, aut eius regni caput. At illi quos impropriè vocant Antichristos palam negant Christum, ergo & ille qui proprie dicitur Antichristus, cum sit illis & potentior, & deterior, *& sedeat in templo, ostendens se tanquam sit Deus.* Quarto. Ita S. Patres interpretantur: Hilar. lib. 6. de Trinit. Hippolytus ait, *eius Characterem fore, vt negent homines baptismum.* Hier. in Dan. hunc locum *simulaturum se ducem esse fœderis.* Greg. lib 11. Epist. 3. *Coacturum Iudaizare.* Quinto. *Veniet in suo nomine, non igitur, Christum & Christi vicariatum prætendet suis blasphemiis.* Beza itaque rectè in 2. Thess. 2. monet, *Antichristum ad se translaturum non hominum modo honores omnes, sed etiam quicquid gloriæ cuicunque numini vsquam fuit exhibitum.* Quod in Pontificem non conuenit, qui quotidie genua sua Deo flectit publicè, & priuatim, qui nō modo Deum vt summum initium, & summum bonū adorat, sed minore etiam cultu Dei amicos prosequitur. Exemplū est in Gregorio 14. ita de eo Cicarella. *Singulis feriis sextis ieiunabat: & feriis quartis à carnibus abstinebat: nisi forte aduersa valetudine impediretur. Precum horariarum pensum, tam ordinariarum, quam de Domina (vt vocant) flexis semper genibus persoluebat. A somno mane surgens mox septem psalmos pœnitentiales incipiebat, & dum se se vestiret, prosequebatur. Meditabatur mane hora integra, legens opera mellislui Bernardi, & si quos ex iis bonos erueret mentis conceptus, eos diligenter annotabat concinneq; scribebat. Quamdiu Sacerdos fuit, nullo die sacrum dicere intermisit: nullo non die confessus est, nisi infirmitas impediret, quo minus id facere posset. Cum autem infirmabatur, quotidie ab alterius manibus Eucharistiam suscipiebat. Quod si infirmitas lethalis fore videretur, cum multa quoque deuotione extrema se vnctione procurari mandauit.*

Pontifex humiliter Deum colit.

Nihil

Nihil tale Antichristus, videbunt eum ἀποδεικνύοντα ἑαυτὸν ὅτι ἐστὶ θεός. *Ostendentem, quod sit Deus.* Iren. l. 5. Amb. in c. 21. Lucæ. ait, *cum ex scripturis disputaturum se Christum esse.* Theodor. 2. Thess. 2. *Nominabit se Christum.* Nullo igitur modo efferet se supra omne σέβασμα, quod etiam peruersè interpretantur Lutheranorũ rudiores, dum volunt significare *cultum*, quos bene refutant Caluinistæ dum *numen* vertunt.

σέβασμα *numen est, nõ cultus.*

Nec aduersus Deum deorum consurget, aut magnifica loquetur, seu ὑπέρογκα *valde tumida, vt habent 70. quod in hebræo* נפלאות est, hoc est mirabilia. Dei enim opera mirabilia profitetur, & eius omnipotentia docet omnia constare. Testor omnes & Catholicos & hæreticos, nunquam de Dei maiestate, potẽtia, bonitate, personis accuratius esse doctũ & scriptum, q̃ ab illis qui in Papatu vixerunt, & viuunt. Libri ipsi loquuntur. Cur igitur viri tam multi tam docti, qui infinitissimam Dei naturam ita scrutantur, & tã multa cognoscunt, ferre Papam possent, si Deo se quocũque modo anteponeret, aut æquaret? Aut quomodo Papa ex Theologis assumptus suæ imbecillitatis memor eo se erigeret, vnde eum non modo scripta Theologorum, sed regum etiam gladij detraherent? Quod si Papam genibus nixum, aut humi stratũ orantem audirent, miserere mei Deus, &c. Si confitentem peccata sua, & flentẽ viderent, an adhuc de ἀποθεώσει negocium illi facesserent? Confirmatur illa eadem ratio. *Et Deum patrum suorum non reputabit*, Hebræ⁹ textus על אלהי אבותיו לא יבין super Deos patrum suorum non intelliget, ἐπὶ πάντας τοὺς θεοὺς τῶν πατέρων οὐ συνήσει. Nec hoc tantum, sed nec quempiam deorum curabit, quia aduersum vniuersa consurget.

De Dei maiestate nemo accuratius docuit quam illi, qui sunt in Ecclesia Romana.

Papa patrũ Deum colit.

Nullum siue verum siue fictum Deum curabit Antichristus, sed aduersus omnes Deos יתגדל *se magnificabit.* si hoc

hoc facit is, qui proprie est Antichristus, hoc est regnum Papæ, aut regni caput, hoc est ipse Papa, id saltem agant, ne nos multiplicis idololatriæ accusent. Si enim nullum Deum curamus, non igitur sanctos facimus Deos.

CAPVT XXV.

An ex eo quod dicatur Antichristus fore in concupiscentiis fœminarum rectè Pontifex accusetur.

IN Hebræo textu anceps est locutio, ועל חמדת נשים ועל לא אלהי יבין *super cõcupiscẽtias fœminarum, & super Deum non intelliget.* Græcus textus aliud non habet, de hac nota Antichristi, quam καὶ ἐπιθυμία γυναικῶν, *& concupiscentia mulierum.* Ita hodierna lectio. Sed aliter habuisse 70. ostendit D. Hieronymus, cuius verba ponenda sunt. *Pro eo quod nos interpretati sumus, & erit in concupiscentiis fœminarum 72. transtulerunt, & concupiscentiis fœminarum non subiacebit &c. Quia vero in Hebraico pro eo quod nos diximus; & erit in concupiscentiis* fœminarum ambiguè positum est, dicente Aquila, qui verbum expressitè verbo καὶ ἐπὶ θεὸν τῶν πατέρων αὐτοῦ οὐ συνήσει, καὶ ἐπιθυμίαν γυναικῶν, καὶ ἐπὶ πάντα θεὸν οὐ συνήσει. *quibus verbis intelligitur eum habere concupiscentias fœminarum & non habere; si intellexerimus* ἀπὸ κοινοῦ, *super concupiscentiis fœminarum non intelligit. De Antichristo facilior interpretatio est, quod ideo simulat castitatem vt plurimos decipiat. Si autem legimus: & super cõcupiscentiam fœminarum, vt subaudiatur erit; Antiochi persona magis coaptabitur, qui luxuriosissimus fuisse dicitur, & in tantum dedecus per stupra & corruptelas venisse regiæ dignitatis, vt mimis, quoque & scortis publicè iungeretur, vt libidinem suam populo præsentè expleret.*

Antichristi castitas

Si

Si itaque de Antiocho intelligitur satis intelligitur monstrum illud fuisse supra omnes alios γυναικομανής, & mulierosissimum, & non modo prostitutæ pudicitiæ, sed etiam pudoris; testantur historiæ. Frustra igitur sunt, qui hoc de crudelitate interpretantur ex 2. Macc. 5. 13. Nam ne mulieribus quidem pepercit: vertuntque, *& ne ad teneritudinem fœminarum quidem attendet*; semper enim atrox visum est, esse crudele in fœminas,

Nullum est enim memorabile nomen
Fœminea in pœna, nec habet victoria laudem.

Sed ad rem quod attinet, חמד non est teneritudo, sed desideriũ, pulchritudo, & non intelligere sup desideriũ, est non desiderare, sic & Iob 3. 1. ומה אתבונן על בתולה, *Vt quid me facere intelligere super virgine?*

Mihi sententia Pererij & aliorum non displicet, vt illud; super desiderium mulierum, separatim ponatur, & sit subaudiendum חי vel יהיה, *ipse, vel erit*: quomodo etiam Græci & Hieronymus exponunt. Nam primo, omnium etiam hæreticorum est sententia, Antichristum libidinosum futurum, & quamuis initio castitatem simulabit, mox tamen Antiochum suum ad viuum exprimet, & equis præcurret albis. Secundo ex Apocalypsi ostenditur eius lasciuia. Tertio, Non obstat crudelitas, nam qui crudelis est, ille & in venerem putris est, & qui libidinosus etiam crudelis, nam sunt vtriusque affectus signa physiognomica non diuersa. Denique diaboli instrumentum erit, quod non crediderim castum, & purum fore. Id præcipuè cum Antichristi præcursores veteres & noui, venerei nepotes se vltro infamarint, Lutherum libidines transuersum egerunt, Carolstadius primas nuptias inijt, Caluini stigmata, Bezæ paradigmata nota sunt, Ochinus Polygamiam instituit.

Antichristi effusæ libidines.

Antichristi præcursores libidinosi sũt.

Obijciunt Iubilantes ex Pouello not. 18. 27. Papam vetare nuptias, & adijciunt permittere eum ſcortationes. Exempla adferunt.

Nuptias Pontifex non vetat, voto caſtitatis obſtrictus, ſe libertate illa priuauit.

Reſpondeo. Matrimonium nulli prohiberi, niſi qui voto ſe caſtitati obſtrinxit. Fidem caſtitatis Chriſto datam irritam non licet facere. Adulteria & ſcortationes grauiter inhibet. Sententia Papæ varijs locis proponitur, mihi ſufficit cauſa 27. quæſt. 1. cap. 20. *Nubendi licentia quibusdam tribuitur: illis videlicet, qui virginalem, vel vidualem caſtimoniam nequaquam profeſſi ſunt. quibuſdam autem non tribuitur; illis videlicet, qui virgines, vel continentes eſſe decreuerunt. Fornicatio autem nulli impunè conceditur.* & c. 21. *Meliore propoſito lapſas, ſi nupſerint, fœminas à caſtitate ſanctiori, quæ vouetur Deo, adulteris eſſe peiores manifeſtum eſt.*

De toto genere videantur canones cauſæ 32. q. 4. item q. 5. 6. 7.

Adulteria, ſcortationeſque vetantur.

His enim matrimonium laudatur, adulteria, ſcortationeſque vetantur. At Pontificum nonnulli impurè vixerunt. Negare non poſſum; nec ad Eccleſiæ defenſionem eſt neceſſarium. Non tamen ideo miniſtri excuſandi. Qui ita argumentantur: *Pontifex aliquis eſt ſcortator Antichriſtus eſt ſcortator, ergo Pontifex eſt Antichriſtus.* Quis enim non videt, hæc talia in multos eorum magnates conuenire? Quis miſeram conſequentiam non videt ferula caſtigandam? Si enim vbi regum aut principum aliquis deliquit, mox regnum eſt infamandum AntiChriſtianiſmo, nihil toto orbe ſincerũ eſt. Edite enim regum aut principum innocentium ſeriem; etiam eorum qui à vobis docti ſunt, legem de adulterijs ſeruari non poſſe. Si ad rationem res veniat, vincemus. Ad exempla reſpondeo. Quædam eſſe perſpicuè falſa, vt de Gregorio 7, alijſque. alia ab inimicis ficta. Quorundam ante Pontificatum licentiorem

Principum peccata nō continuo regnũ faciunt Antichriſtianum.

vitam

vitam fuiſſe, in ſumma dignitate correctam eſſe. Summũ ſex aut octo fuiſſe, quorum in tam ſancta functione vita improba fuerit; de pontificibus loquor, nam pſeudopapas nihil moror, non magis quam Iaſonas, & Menelaos, qui veterem Eccleſiam turbarunt. Maxima gloria Eccleſiæ eſt, iam ducentos & triginta ſeptem numerari Pontifices, inter eos tres & triginta continuos martyres eſſe, ex ſequẽtibus tot martyres, tot ſanctitate, & doctrina illuſtres, vt ne inimici quidem pro triginta caſtis, vnum impudicũ nominare poſſint, & quidem omnibus omnium temporum calumnijs adiuti. Regnum, principatum, comitatum mihi date, in quo tam multi boni, tam pauci mali. Scio non poſſe id à vobis fieri. Hæc eſt tamen peruerſitas generationis adulteræ, geniminum viperinorum prædicantium, quorum mendacia damnationem habent, vt quæ ipſi faciunt, alijs imputent. Quis vero miretur de priſcis illos fingere, qui in præſentes, ſcientes, volentes omnia fingunt? omnes Alexandrum ſextum improbum quidem ſed qui plura, quam fecit mala audire coactus eſt, in medium producunt. Sed cur alios omittũt, quos eximie laudant hiſtoriæ, cur ſuorum ſcelera non meminerunt?

Pontifices pauci mali

CAPVT XXVI.

An Deus Maozim ſit ſacrificium Miſſæ?

VErſ. 38. & 39. ita deſcribitur ille Deus, *Deum autem Maozim in loco ſuo venerabitur, & Deum quem ignorauerunt patres eius colet auro & argento, & lapide precioſo, rebusq; precioſis, & faciet vt muniat Maozim cum Deo alieno.* Hebræus textus habet, ולאלוה מעזים על כנו. *Deum Maghozim in loco, vel throno ſuo* 70. vertunt θεὸν ἰσχυρότατον. *Deum fortiſſimum, Aq.* θεὸν ἰσχύων *Deum fortitudinum*, alij tamen legunt, θεὸν ἰσχυρὸν *Deum fortem.*

Verſum 39. Sic vertunt Græci, Καὶ ποιήσει τοῖς ὀχυρώμασι τῶν καταφυγῶν μετὰ θεοῦ ἀλλοτρίου, *& faciet munitionibus refugorum cum Deo alieno.* alia lectio: Καὶ ποιήσει τοῖς ὀχυρώμασι τῶν πόλεων μετὰ θεοῦ ἀλλοτρίου. Theodotion ita vertit: Καὶ ποιήσαι τοῦτο τοῦ στερεῶσαι τὰ ὀχυρώματα μετὰ θεοῦ ἀλλοτρίου. *Et ille faciet vt firmet munitiones cum Deo alieno.* Lutherus vertit: **Aber an deß ſtatt wirdt er ſeinen Gott Mauſim ehren.** & in v. 39. **Vnnd wirdt denen die jhm helffen ſtärcken Mauſim/ mit frembden Gott.** Vbi quidem in verſ. 38. ſine intelligentia linguæ hebrææ על כנו vertit, **an deß ſtatt**/ *loco eius*, cum expreſſe ſit, ſuper loco eius, vel ſuper loco ſuo. In verſ. 39. ſi in verbo למבצרי puncta mutauit, oſtendit ea ad ſcripturæ eſſentiam non pertinere. Senſus verborum eſt; Fore vt Antichriſtus Deum Mauſim, munitionum colat, Deum nouum quem veteres ignorauerunt, has autem munitiones firmabit cum Deo alieno; nam in munitionibus collocabit homines impios & ſuperſtitioſos, in illis colent ipſum diabolum. Nec mirum eſt eum nullum colere, & hunc tamen colere. Nam magus futurus eſt, ſe pro Deo palam venditabit, vt olim impij reges fecerunt, ſed quia vtetur ope dæmonis eum horrebit, & clam colet, etiam familiaribus eius in eadem Dæmonolatria occupatis.

Deus munitionum.

Antichriſtus palam non colet Deum, clã dæmonem adorabit.

Varie tamen interpretantur; Scholia Græca. τὸν θεὸν τὸν ἰσχυρὸν, ὃν προσποιοῦνται οἱ ἰουδαῖοι σέβεσθαι, ἐν τῷ ναῷ δοξάσει, ὅνπερ εἰς ἀπάτην τῶν ἰουδαίων ἀνίστη. *Deum fortem, quem Iudæi ſe colere ſimulant, in templo honorabit, quem quidem ipſe ad decipiendos Iudæos eriget.* Ita & alij, nam Deus verus dicitur in ſcriptura Deus fortitudinis. Pſal. 26. 1. & Pſalm. 30. 3. Ita Hæretici Bruchthonus, Iunius, Tremell, qui vocant Deum Iſraelis. Theodoretus ipſum Antichriſtum dicit Deum Mauſim, futurum enim vt ſe ipſe glorificet; nam δοξάσει eſt in græco,

&

& מבכר in Hebræo. Neq; hoc mirum, olim tantæ insaniæ fuere exempla; Caligula se cum Deum fecisset, ipse sibi sacrificabat. *Caligula Deus, & ipse sibi sacerdos.*

Lutherus in not. marginali vocat, *Deum præsidiorum*, sed in præfatione. *Deum munitionum* asserit, *esse in templis, in monasterijs, quæ sunt instar arcium, & munitionum, collegia*, inquit, *Papæ seruiunt.* Speciatim *autem voluisse dicere Deum missæ, sed indignatione fregisse vocabulum missa, & vocasse Mausim, munire autem Maozim esse curare omnia, quæ ad missam pertinent.* Strigelius Lutheranus Maozim esse omnem *cultum idolatricum, adorationem Eucharistiæ, prohibitionem coniugiorum.*

Dicendum est, primo. Non esse Deum verum Israelitarum: nam aduersus illum Deum, aduersus Deum Deorum consurget. Non igitur eum venerabitur. *Maozim non est verus Deus.*

Secundo. Non est ipse Antichristus, quia eum colet auro, argento, quo modo se ipse nequaquam colet. Deinde scriptura loquitur de Antichristo, & Deo illius tanquam de diuersis. *Non ipse Antichristus.*

Tertio. Non est sacrificium Eucharistiæ, seu Christus in Eucharistia, vel, in missa. Quia non colitur in munitionibus, sed in omnibus templis, in plateis, deinde Christum sic coluerunt patres nostri. Tertio. Antichristus publicè ipse supra omnem Deum colitur, non igitur publice Christum sibi Deum esse dicit. *Christus non solis munitionibus colitur.*

Quarto. Deus Maozim sunt non ieiunia, cœlibatus, & similia: Primo, quia hæc sunt cultus Dei, at Maozim est ipse Deus, quod si Deus Maozim dicitur Deus munitionum, seu fortitudinis, ineptissima est interpretatio: si Deus fortitudinum, dicatur, Deus delectus ciborum, cœlibatus, & similium. Secundo. Quis cœlibatum & ieiunia colit auro, & argento, & rebus preciosis, sic e- *Maozim non sunt ieiunia, &c.*

pulæ, & thalami coluntur. Tertio Virginum cœtus, & vota castitatis iam olim in Ecclesia vsitata sunt, & multa ieiunia, non sunt ergo noui dij quos non nouerunt Patres nostri. Non ergo Deum Maozim Papa colit, vel munit.

Est igitur Deus ille, Deus quem virium, & potentiæ suæ auctorem conseruatoremq; Antichristus arbitratus cum suis colet magna cura, & sumptu, idq; in locis munitis, in locis thesaurorum. Sacrificium iuge, agnus immaculatus tantum abest à Maozim, quantum Christus à Belial.

CAPVT XXVII.

An reges Austri contra Papam pugnaturi sint?



Ers. 40. Et in tempore præfinito prœliabitur aduersus eum rex Austri, & quasi tempestas veniet, aduersus illum rex Aquilonis, *veniet contra illum rex Aquilonis in curribus & equitibus: & in classe magna, & ingredietur terras & conteret & pertransiet, & introibit in terram gloriosam, & multi corruent, hæ autem sole saluabuntur de manu eius, Edom & Moab & principium filiorum Ammon.*

Prisca ars oratorum est, quæ solvere non possunt, dissimulare.

Pleriq; ministrorum hæc verba, & sequentia omittunt, quia nullo modo Pontifici accommodari posse vident. Qua in re conscientiam cauteriatam penitus produnt. Si enim huic regi attributa non conueniunt Papæ, quo ore cætera illi attribuunt? Sed tamen nunc inuentus est, qui se opponeret, & etiam hæc ipsa in Pontificem dicta assereret, est vero Paulus Laurētij, qui in præfatione copiam sapientiæ sibi, ex veritate non ex humilitate deesse fassus, alterius prædicantis, qui conciones erudi-

eruditas appellarat, elogio ſtulte credidit, & euulgauit. Audire igitur delirum iuuat. pag. 38. *Tertio dicit Angelus apud Prophetam de caſu huius idololatriæ, qualem finem habitura ſit, nempe cum pompa & faſtus illius in faſtigio erit, cadere incipiet & in nihil abire, de quo textus ita habet: Rex Auſtri aduerſus eum prœliabitur, & rex Aquilonis veniet contra eum.*

Hic audimus impietatem hanc ad finem vergere, nam expreſſe in textu verbi (finis) *mentio fit. In tali fine ita eueniet, ait Textus:* Rex Auſtri *aduerſus regem Aquilonis prœliabitur, apud illud prœlium mira videre licebit, quis finis futurus ſit.*

Nouum ſomnium de rege Auſtri & Aquilonis.

Hic ante omnia interrogabis, quinam duo illi reges, qui aduerſus ſe inuicem prœliaturi ſunt, & ſi quis forſitan regem Auſtri, Ptolomeum regem Aegypti ſuſpicaretur, & Regem Aquilonis Antiochum Epiphanem Syriæ regem, quorum ſuperiori capite mentio facta eſt, dicit tamen Angelus Prophetæ conſignatos eſſe ſermones, idcirco intelligi non potuit, quinam hi reges. Poſtquam vero impletæ fuerint prophetiæ, & prœlium peractum, tunc apparebit vnde oriatur & qua de cauſa accidat.

Nunc vero Dominus Deus Chriſtianos homines excitauit, qui ſubinde immoderato Papæ faſtui ſe opponerent, & hominibus aliqua ratione monſtrarent, quid de ipſo ſentiendum, & ita illum oppreſſerunt. Exempli cauſa, cum Pontifex Bonifacius Octauus omnino ſuperbiret, vt ſe Dominum totius mundi appellaret, tam in Spiritualibus quam temporalibus, & ſic toti mundo imperare vellet, Chriſtus Dominus exuſcitauit Philippum regem Franciæ occidentalis qui Anno milleſimo trecenteſimo tertio. Papam Anconæ ita obruebat, captiuum ducebat, itaque ipſum deprœliabatur, vt paruo interiecto tempore emoreretur, de quo

poſtea

postea scribebatur dicebaturque : Intrauit vt Vulpes , regnauit vt leo , mortuus est vt canis. Fortè fuste Spiritum efflauit.

Viginti circiter annis post hunc Ioannes Papa huius nominis vigesimus secundus per literas publicas ob nimiam auaritiam depositus est à Pontificatu ; Ioannes nominis huius vigesimus tertius anno 1415. variarum nequitiarum ergo à sede sua deturbatus est. Postmodum etiam Papa in Concilio Constantiensi haud leuis ictus inflictus est per Martyrem Iohannem Huss.

Omnium grauissimum subijt Papa per Doctorẽ Martinum Lutherum ante Annos centum qui contra ipsum concionatus est , & scripsit , vt integra iam regna & nationes ab ipso secesserint. Omnia ea , omnem doctrinam & scripta, quibus Papa manifestatus est, ictum lathalem accepit, vt cadere cœperit , Christus Dominus effecit , homines ad id efficiendum ordinauit , exsuscitauit. Quocirca Christus Dominus est Rex orientis , qui Papæ Mausim missæ , ictum intulit. Nam Christus Dominus Sol est Iustitiæ oriens ex alto , & lux vera quæ illuminat vniuersum mundum. Ex aduerso rex Aquilonis qui aduersus eum præliatur, ipse Papa esse debet , nam nemo splendori lucidæque auroræ sese opponit, nisi solus Papa , quod experientia testatum fecit , quod ipse equitibus, curribus, & nauibus terra marique irruperit omnes sibi aduersarios perdere conatus , imo quam plurimos enecauit. Quod autem rex Aquilonis dictus sit , ideo fit , quia versus Aquilonem tenebræ sunt , & ipse Spiritualibus tenebris offuscatus est , à Deo tenebrarum Diabolo agitatus. Et hic finis est Papæ , incipiet cadere sed vehementer rebellabit , & in terra inclyta multos enecabit.

Nos verba exponamus, deinde prophetiam & tempora perquiramus.

Primo.

Primò. In tempore præfinito, במעת קץ, *in tempore finis*, καὶ ἐν καιρῷ πέρατι. Circum finem temporis, cum iam propè futurum est ne sit tempus amplius, Vatablus etiam tempore præfinito, quod est perinde ac si dicat, *in tempore à Deo statuto.* *Circa finē prælium hoc erit.*

Præliabitur aduersus eum rex Austri. ויתנגח עמו מלך הנגב συγκερατισθήσεται μετὰ βασιλέως τοῦ νότου. *Cornu petet eum rex austri*, neq; enim regum quamuis exercitibus magnis prœliantium rixas pluris facit Deus, quam taurorum depugnantium.

Et quasi tempestas veniet contra eum rex Aquilonis, in curribus, & in equitibus, & in classe magna, & ingredietur in terras & conteret, & pertransiet. Hebræus וישתער 70. συναχθήσεται, Hebræum est horripilare, mouere, stupere, turbinare, שער pro סער positum putant, *quod est deijcere instar tempestatis*, Græci vertere solent καταπίνειν, λικμᾶν, ἐξαίρειν, φυσᾶν, φορεῖν, Vide Ier. 23. vbi σεισμὸς 19. Zach. 9. 14. σάλος, Iob. 38. 1. λαῖλαψ Isa. 29. 6. Psal. 148. 8. τύφων. Psal. 54. 8. καταιγίς. Magna igitur violentia rex aquilonis ingredietur, & omnia diruet. Nunc qui sint illi reges, quamque certa sit fides horum videamus, qui hæc omnia de Pontifice certo asserunt, & ludentes ænigmatibus, atq; allegorijs mundum conturbant. *Violenter agit rex Aquilonis.* *Aenigmatum lusib' mundum conturbāt ministri.*

D. Hieronymus circa consummationem ait, *fore decem reges, qui orbem inter se diuidant, eorum tres ab Antichristo occidendos, Aegypti, Africæ, Aethiopiæ, reliquos deinde se illi permissuros.* Ministri clamant Papam ista fecisse, nos negamus, & contra dicimus. Papa non est rex Aquilonis, non irruit in regem Austri, non fecit illa, quæ hic scribuntur, non igitur Papa est Antichristus. Lutherus illa allegoricè interpretatur, vt iam ex eo *Laurentij.* Sed quia hoc ridiculum est, deinde textui contrarium, cœteros puduit. Denique ex tam

inconcinnis allegorijs nihil in dogmatibus concluditur. Repugnare textui ostendo: Reges veros Persidis nominat vers. secundo, & tertio & versu quinto, & sexto. Sunt quoque Reges Austri, & Aquilonis, in omnibus penè versibus, nominatur & Ægyptus vers. octauo, & decimoseptimo. Nec vlli venit in mentem vt aliter intelligat Regem Austri, quam Ægypti, & regem Aquilonis, quam Regem Syriæ. Hic igitur in eadem significatione manendum est, vt veri Reges sint, alter Ægypti, alter Syriæ, qui inter se pugnant.

Rex austri hic est rex Aegypti.

Hoc argumento ducti Caluiniani negant in Daniele quicquam agi de Antichristo.

Itaque tam pueriles nugas pertæsi Iunius Tremellius, Abbatus, Brugthonus, Sutliuius, Danęus, omnino negāt in Daniele quicquam agi de Antichristo, omnia hæc ad Antiochi, Physconis, & Philometoris bella pertinere, cur igitur alij operosissimè de Antichristo hæc & Papa producunt, atque ad suum institutum torquent?

Obijciunt Lutherani, *Edom, Ammon, Moab, effugient Antichristi tyrannidem, sed non sunt nunc illæ gentes, ergo allegoricè intelligendæ sunt.* Sed eodem antecedente Caluinistæ diuersum concludunt: *Non sunt nunc illæ gentes non igitur nunc est ille quem effugient: non igitur de Christianis temporibus, sed Antiochianis agitur.* Hi posteriorés nihil contra Pontificem ex Daniele proponunt. Priores vero vehementer errant: nam ratione locorum ita vocantur, quamuis gentes magna ex parte desierint. Nam inter tot migrationes, mistiones, interneciones gentium, non potest facile statui de vllius nationis certis initijs, neque enim nunc vllo loco puto esse αὐτόχθονας, nisi forte in occidentali, reconditissimaque India. Neque verò iam tempore Antiochi gentium earum regna supererant, sed sparsæ reliquiæ, Dauid Ammonitas excidit, secundo Reg. vndecimo, duodecimo, vigesimo-

tertio

tertio. Ptolomæus Philadelphus Rabba occupauit, & Philadelphiam dixit. Sophoniæ quidem c. secundo vers. 8. *Moab vt Sodoma erit, & filij Ammon quasi Gomorrha.* Superfuerunt tamen captiuitati, secundo Esdræ cap. nono *Nam cum Israelitis miscebant connubia.* Fuerunt & filij Ammon 1. Mac. quinto, v. sexto. *Et transiuit ad filios Ammon.* Supersunt & Moabitides 2. Esdræ. cap. 13. 23. Quin & 2. Macc. 10. 16. nominantur munitiones Idumæorum, & Herodes Magnus Idumæus fuit. Gentes itaque illæ numerosissimæ non ita deletæ sunt, vt non reliquiæ in eisdem locis permanserint, hodieque supersint, quæ Antichristi sæuitiem euadent, montium credo, & latebrarum beneficio.

Post captiuitatem reliquiæ Moab. & Ammon & Edom fuere.

Denique iam vanum est, quod mysterium in nomine fingatur, vt sint electi, qui semper typum gesserunt reproborum. Ipse Edom certè non ita dictus est, ob martyrium, sed ex profana coctionis rufæ appetitione. Ammonitæ quoq; & Moabitæ propter nominis incestam originem non ideo debent inter sanctos numerari. Quia semper hostes populi Dei fuerunt, & à Deo maledicti Deut. 23. 3. *Ammonites & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt in Ecclesiam Domini in æternum.* Iniuriosum itaque est, ex alicuius grammatica, seu Cabalistica interpretatione omnes Catholicos reges cum Pontifice & Episcopis Antichristianismi damnari, propter Enthusiasticam Edom, Moab. Ammon interpretationem.

Edom non est typus martyrum quia rufus, sic nec draco rufus in Apocalypsi. Edom est typus reproborum.

Denique non cohærent sibi, ne hæc quidem tam insulsa figmenta. Quomodo enim martyres euadunt eam persecutionem, cuius hoc loco mentionem Daniel facit? Nam de curribus, equitibus, classibus loquitur, hæc mala euadent illæ gentes, at martyres exercitibus, & classibus Antichristi opprimentur, Multo minus hoc conuenit.

Contradicunt sibi figmenta.

Et introibit in terram gloriosam, & multi corruent. In Hebræo dicitur terra, הצבי 70. γῆν σαβεῖ, vel σαβαεὶμ vocant. Scholia Græca interpretantur τὴν γῆν τῶν αἰθιόπων; ἀπόγανοι γὰρ τοῦ σαβᾶ αἰθίοπες, cap. 8. 9. vocatur terra gloriosa, vbi 70. vertunt δύσιν occidentem, accommodatè, quia egressum est cornu contra meridiem, & Orientem & fortitudinem, vt noster vertit. Romana editio 70. habet, πρὸς τὸν νότον, καὶ πρὸς τὴν δύναμιν ad austrum & ad virtutem. Versu 16. huius capitis: *Et stabit in terra inclyta.* Hieronymus testis est septuaginta vertisse, *terram voluntatis.* Scholia Græca ita in hunc locum habent. Ἀντίοχος ἐν τῇ ἰουδαίᾳ, αὐτὴ γὰρ διὰ τὸν νόμον ὑπῆρχε χώρα τῆς τοῦ θεοῦ θελήσεως, δόξης, δυνάμεως, τούτων γὰρ ἕκαστον τὸ σαβεῖ ἑρμηνεύεται. Ita altera lectio, quæ est apud Theodoretum σαβαίρ, Hinc corrigenda est.

Terra sebi, vel saba vel gloriosa.

Iudæa terra Dei voluntatis.

Hæc terra Iudæa est, non Roma, historiam ita scribit Iosephus. *Postea vero expugnatis in Syria ab Antiocho vrbibus, & Samaria, Iudæi se sponte illi dediderunt, & vrbe excepta toti exercitui, & elephantis abunde omnia suppeditarunt, & oppugnantem relictos à Scopa præsidiarios adiuuerunt.* Itaque cum Pontifex in Iudæa non steterit, non potest hoc illi tribui: nam quod quidam ad sacram expeditionem ista retulerunt, admodum impium est, & in optimos Principes contumeliosum, qui è manibus sæuissimi tyranni terram sanctam eripuerunt.

CAPVT

CAPVT XXVIII.

An Pontifex sit collocaturus tabernaculum inter duo maria, & capturus Ægyptum?



Rophetat in hunc modũ Daniel: ***Et mittet manum suam in terras, & terra Ægypti non effugiet, & dominabitur thesaurorum auri, & argenti, & in omnibus preciosis Ægypti; per Lybiam quoque & Æthiopiam pertransiet.***

Nihil horum conuenit Pontifici, omnia autem Antichristo à Lutheranis & quibusdam Caluinianis tribuuntur, non est igitur Pontifex Antichristus. Semper est à nostris quæsitum, quando Pontifex Ægyptum, Lybiam, Æthiopiam occuparit, quando inter duo maria tabernaculum fixerit?

Quod attinet ad dictionem Apadno, Græcus eam retinet ἀφαδνῶ, alia ἐφαδανῷ. Symmachus τὴν σκηνὴν τῦ ἱπποστασίυ, & græca Scholia τὸ ἱπποστάσιον interpretantur, τὸ ἱππικὸν στρατόπεδον, castra equestria; regum sane comitatus equester est, & præcipua est in equitatu potentia. Quia vero Babylone Antichristus orietur, hinc Daniel cum de illius aula, castris domesticis loquitur vti dictione Babylonica voluit. Frequens est in Thalmudistis eadem vox. Bruchthonus id factum ab Antiocho vult cum profecturus in Persidem Lysiæ filium; & excidium Iudæorum commendauit. *Tentoria equitatus.*

Vbi autem figet? In monte sancto, inter duo maria. Quem montem sanctum Daniel diceret, nisi quem omnes Iudæi intelligerent, Montem sanctum, montem Sion, inter mare Tiberiadis, & mare Phœnicium. Non venit eò Pontifex.

Qui dicunt significari Ecclesiam nunquã explicabunt, cur inter duo maria ponatur, cum toto orbe sparsa sit. Ve-

rum, de his vide Bellar. l. 3. c. 13. & eius defensorem Iacobum Gretserum.

CAPVT XXIX.

An bestiæ Apocalypticæ c. 13. ad Pontificem pertineant?

Vide de incremento hæreseon.



MAgna pars Florum Flaminiorum insumitur in capite 13. & 17. & 18. Apocalypseos exponendo: *Nam Papæ ait datum os loquens ingentia. Papæ tribuit characterem, numerum nominis, mulierem esse Romanam Ecclesiam, septem montes esse Romanos colles.* Summa omnia infanda esse Romana. Occurrendum est maledico conuitiatori, & hoc loco etiam ostendenda est, supra omnem retro seculorum malignitatem, calumnia.

Duplex est Apoc. 13. Bestia, prima septiceps, decicornis altera adiutrix primæ, & assentatrix bicornis. Mihi probandum est nec Decicornem esse nostrum Imperatorem, nec Bicornem esse Pontificem.

Seditiosa scripta Caluinianorũ imperium diabolo adscribunt.

Primo. Imperator non est Bestia Decicornis, Nam Apoc. 13. v. 2. dicitur. *Et dedit illi Draco virtutem & potestatem suam magnam*, & vt quædam græca addunt: καὶ τὸν θρόνον αὐτοῦ, *& thronum suum.* At non dedit Imperatori nostro Draco hoc est Sathan virtutem δύναμιν, sed Respublica, sed Electorum Reuerendissimum, & Serenissimum Collegium. Nam & aduersæ Religionis Principes Sacrosanctum Romanum imperium vocant. Grasferus quidem *necessario affligi ab eo Ecclesiam, & plenitudinem Diabolismi in eo habitare asseuerat.* Sed portentosa conuitiandi malignitate, quem etiam Serenissimus Angliæ Rex abunde refutat, cum suis Imperatorem titulis appellat. Et anno 1614. *liber de vnione & Synodo Euangelicorum Heidelbergæ editus* subscriptum

ſcriptum habet. Cum gratia & priuilegio S. R. Imperij Vicarij. Falſum ergo quod Aretius ait: Diabolus affinxit ſua ornamenta imperio. Rationem claudo, & principibus conſiderandum quo illa tendant, relinquo.

Secundo. v. 3. *Et vidi vnum de capitibus eius quaſi occiſum in mortem: & plaga mortis eius curata eſt: & admirata eſt vniuerſa terra poſt Beſtiam, & adorauerunt Draconem, qui dedit poteſtatem Beſtiæ, & adorauerunt beſtiam, dicentes: Quis ſimilis eſt beſtiæ?* Hæc in imperio non fiunt, non igitur eſt imperium illa Beſtia. Aretius tamen occiſum caput ait fuiſſe in Iulio Cæſare, vel Nerone, vel alijs Imperatoribus, à Longobardis, vel à Turca victis, reſtitutum à Veſpaſiano, vel Antonino, vel Carolo Magno. Impia expoſitio, & ſeſe euertens. Non enim adoratus diabolus in imperio, nec Imperator, ob mortuum aliquem Cæſarem, & reſtitutum imperium. Theodoſius Magnus, Carolus, Othones, alij eodem crimine tenerentur. *Magno crimine omnes Imperatores accuſantur à Caluinianis.*

Tertio. v. 8. *Et adorauerunt eam omnes qui inhabitant terram. At non omnes adorant Imperatorem, non igitur ille eſt beſtia.* Quantæ enim terræ, & reges ſceptro Romano liberæ & ſunt, & ſemper fuerunt? quot arma à Perſis, Gothis, Hunnis, Wandalis, Longobardis, Nortmannis, Saracenis, Turcis imperium afflixerunt, profectò quod tanto furore oppugnarunt, ex parte obtriuerunt, non adorarunt. *Non adorat Imperatorem vniuerſa terra.*

Quarto: In toto hoc genere conuitiandi fœde inter ſe diſſident, Illyricus alijq; cum Imperio Romano Turcicũ coniungunt; alij adorationẽ illam ingenti principũ cõtumelia exponunt. Aretius in Apoc. 13. 7. *Admirari Beſtiã eſt imperij ſucceſſum, & felicitatẽ admirari, Auguſtũ, ſanctũ, ſacroſanctum, immortale illud prædicantes.* Pergit Aretius: *Secũdo Adorauerunt Draconem, hoc eſt, diabolũ in eius perſona colunt, & adorant: Draco enim diabolus eſt, qui ſua ornamenta affingit impe-* *Aretio eſt Imperator perſona diaboli.*

imperio. En quo vos odia incōſideratè profeſſa propellũt? Papa vobis eſt Antichriſtus, beſtia ſecunda; hoc vt miſeris eſſe verum appareat, primam beſtiam ſecunda nequiorem decuplo, Imperium Romanum eſſe ſtatuitis, adeo effrontes, adeo temerarij, vt cum ſecundam beſtiam primæ ancillantem occidendam, tormentis lacerandam; exurendam dictetis, primam maiore pœna dignam non animaduertatis. Deinde veſtros quoque principes facitis Beſtiæ adoratores, illi enim voce & diplomatis ſuis imperium ſanctum, auguſtum, &c. nominant: Pergit ille: *Vide quid ſit colere diabolum, hoc eſt, admirari nimium maieſtatem, & felicitatem imperij Romani*, de reformato etiam imperio agere profitetur v. 8. & ad v. 2. in margine notat. *Diabolus Romani Imperij* συνεργός. Denique adiungit, *eos qui hæc faciunt, non eſſe ſcriptos in libro vitæ agni.* An igitur principes, comiteſque veſtri ô Collegæ Antibellarminiani, veſtro iudicio, *ſcripti non ſunt in libro vitæ agni?* An omnes ſubditos imperij excluditis cœlo? nam eo titulo imperium honorant, quem Idololatriam, hoc eſt, diaboli cultum Collega veſter in Heluetia, vel vrbe Heluetica confœderationis tanto ſtudio, tanto odio denarrat? ſentire vos ita ideo dubitare non debeo, quandoquidem tantam inter vos dogmatum conſenſionem eſſe aſſeritis, deinde alia ratione nocere Papæ non poteſtis, niſi per latus imperij Romani eum configatis, neque mirum, aut nouum eſt, ſi Papam peſſundare liceat, paratos vos eſſe nauem qua nauigatis, perforare, Scio quo vos Conſiſtorialis violentia trahat. Hæc alterius diſputationis ſunt, quæſtionem vnicam nunc propono. Diſputatio aphoriſtica contra Bellarminum excuſa eſt Heidelbergæ, typis Ioannis Lancellotti Academiæ Typographi, cui ſubſcriptum in hæc verba: *Cum priuilegio S. Romani imperij Vicarij.* An veſtra eſt hæc, an typographi idolomania?

nia?nam *Sanctum dicere imperium,est diabolum colere,adorare draconem*,vt vestri docent. An forte imperium Romanum,cum habet Vicarium caput, est sanctum, cum vero primariũ,proprium,&sui nominis,est profanum? in quo, vt ait Graserus,sit plenitudo diabolismi? *Imperium non est à diabolo, nec eius vicariatus.*

Ludibrium debetis,non Turcis modo, & Persis, sed Francis,Italis,Hispanis,Polonis, cum vestrum imperium Sathanæ Auctori transcribitis. Multi vestrum in eo adlaborarunt,vt ostenderent,translationem imperij à Pontifice factam non esse,non confirmationem, nõ coronationem,nulla ornamenta accipere à Sacerdote Romano, & cur obsecro? Videte & doctrinæ,& conuitij portentosam Imperijq; legibus vindicãdam malitiam, *Diabolus* (inquit Benedictus Aretius collega vester) *sua ornamenta affingit imperio,Diabolus Romani imperij συνεργός, cooperator, adiutor*. Tanti erat negare communionem Papæ,vt ornamenta tribuerentur Diabolo? Satis est, abunde est, odium Sacerdotij Apostolici,amor est Dœmonis, Horresco referẽs. In hoc laborarunt tam multa scriptorum vestrorum ingenia,vt Imperium omni iurisdictioni, quam vetustas dedit Pontifici,subducerent,non vt libera esset, & omni modo exlex illa maiestas,sed Sathanę auctoraretur. Vt excluderetur Vicarius Christi,Seruus seruorum Dei, συνεργός esset,& ornator,ille fratrum accusator Christi aduersarius, Dœmon. Tam odiosa Roma, vt diadema malitis è tartaro? Summum itaq; & hoc loco fastigium tenet impietas. Tantum progressa odio veteris Ecclesiæ,vt in eius locum Draconem tartareum cooptarit, regna illi tribuat. Quid superest aliud quam vt credant dicenti: *mea sunt omnia regna mundi*,& promittenti: *Hac omnia dabo vobis, si cadentes adoraueritis me*,& conditionem spe regni expleant,cadãtque & adorent diabolum, nihil non illi facient, quibus imperium Romanum appellare Sanctũ,est colere diabolum.

Ii

lum. Et si sanctum dicere Imperiũ est dœmonilatria, estne peccatum libro suo subscribere, quod fecit noster pseudopropheta, anno

MatVre CentIs sponsæ DIVæ?

Minoribus tribuunt honorem, quem magnis negãt. Iterum quæro: si idolomania est *Augustum dicere Imperium Romanum*, vt vult Aretius Caluinista, anne eo se crimine obstrinxerit Beza, dum sub AVGVSTO nomine Elisabethæ Britannicæ, noui testamenti versionem edere se scribit. An nomen AVGVSTI in Augustali imperio est cultus dœmonum, in ditione vnius insulę ὑπεροχικόν, & fidelitatis insigne?

Tertio quæro. Anne Casparus Waserus, qui plagã Regiam Graseri Serenissimo regi Britanniarum venditauit, sit idololatra. nám in illa præfatione, ait: *Tertium fuit Maiestatis tuæ auctoritas, quæ & in ipso summa, ac PLANE DIVINA residet, & talis iam olim residebat in IMMENSÆ MAGNITVDINIS, & CLARITVDINIS prosatoribus tuis, & c. pergit.*

Quorum consideratio omnium, auctorem huiusce operis iustissimè mouit, & permouit, vt ad SACRATISSIMI patrocinij, & CELSISSIMI præsidij Maiestatis tuæ ARAM istas lucubrationes quasi suspenderet. Nonne Maiestatis auctoritas plane diuina, Immensa magnitudo, & claritudo, sacratissimum patrocinium, Celsissimum præsidium, maximè cũ ara additur, in qua flamines Waserus & Graserus adulationes sacrificant, nonne inquam defendunt ista verba tam ampla Germanos Principes, cum vocant Romanum Imperiũ SANCTVM? Cum Pareus l. de Vnione, & Synodo Euãgelicorum, Serenissimum magnæ Britanniæ Monarchã vocet D Iacobũ VI. Si ille DIVVS, cur nõ Imperator AVGVSTVS. Illud enim D. Diuum, non Doctorem significat.

Quorsum ista tendant vel cæcus viderit, vtinã non interitu suo Germania nostra discat. Omnes reges sunt sacrosan-

crosancti, coluntur à suis, in admiratione sunt eorum læsa maiestas supplicijs rebellium sese vlciscitur, an solum Imperatorē sacrosanctum dicere, colere, mirari idololatria est? an solum hoc regnum est diabolicū? Quid aliud prophetæ isti agunt, q̄ vt miserā Germaniā fraterno collisam duello, seruitio & libidini tyrāni Mahometani contradāt?

CAPVT XXX.

De ijsdem Bestiis, ex cap. 13. Apoc. à versu 11.


DE altera bestia agitur à v. 11. ad finem capitis, quam Pontificem, seu Pontificatum esse vult noster propheta. Spiritus sanctus autem qui reserauit ora Ioannis Euangelistæ, ea symbola adiunxit vtrique Bestiæ, quibus certo constet nec illam esse Imperatorem, nec hanc Pontificem.

Ratio prima. Secunda Bestia *omnem potestatem prima facit in conspectu eius*, v. 12. Eam potestatem non facit Papa coram Imperatore, non igitur est altera bestia, nec prior est Imperator. *Pontifex non facit potestatē bestiæ primæ.*

Ratio secunda. *Et fecit terram & habitantes in ea, adorare bestiam primam, cuius curata est plaga mortis.* Pontifex hoc non fecit, non ergo est altera bestia. Respondet Graserus: *Pontificem retinere homines in cultu prioris bestiæ, etsi illa iam non sit.* Respondeo vicissim, tam clarum hoc esse mendacium, quam clarum est meridie liquere. Est enim adhuc imperium Romanum, omnesq; principes eius se ita nominant, & nominantur ab omnibus. Respōdeo deinde Adorari bestiam, non quæ non est, sed quæ reuera est, id enim Spiritus sanctus spiritui mendaci opponit, *cuius*, inquit, *curata est plaga mortis.* Respondeo tertio, multum debere principes imperij, etiam suorum iudicio, Pontifici, qui tam sedulo auctoritatem illis conciliare conatur. Nam *Pontifex non facit adorari Imperatorem cultu latriæ.*

facere vt bestia adoretur. *Nihil aliud esse* vult Aretius, *quam velle imperium sacrosanctum, augustum, & venerabile esse, vti olim sub gentilibus fuit;* hoc vult Pontifex non tamen cæcitatem gentilium, vel Imperatorum ἀποθεώσεις induci; si male nos, qui Imperium Sacrosanctum, augustum, venerabile esse volumus, si ideo antichristiani sumus, & morti destinamur ab ijs qui sub eodē Imperio viuunt, quid merentur illi qui augustum, sacrosanctū, venerabile esse nolunt? qui humile, profanum, contemptibile esse volunt? tanto odio Germano-Romanæ Maiestatis, vt extrema exempla meritos velint, si qui Imperio bene volunt? an alia vota in Mahometanorum Moscheis concipi, nuncupari que putamus? at maiore scelere nostri Caluino-Turcæ, quia ciues, quia iuramenti sanctitate Imperio deuincti.

Ministri perduelles.

Non possum hoc loco ridiculam Illyrici præterire delirationem, facere potestatem coram bestia, vt ipsa adoretur, interpretatur, *Exercere potestatem inuitis Imperatoribus. subijcere Imperatores.*

Ratio tertia. *Et fecit signa magna, vt etiam ignem faceret, de cœlo descendere in terram in conspectu hominum.* V.13. Nemo Pontificum ignis è cœlo deuocatione Imperatoribus adorationem conciliauit, non igitur Papa est bestia secunda, vel Imperator prima. Quis enim Pontifex quenquam coegit titulum Imperij adorare? si adorare est dicere *augustum, inuictum* quem etiam Britanni regni titulum adorat Waserus, vocat enim *Augustissima auspicia, ipsum regem Inuictum* ὑπερμαχίστην.

Impij ministri in formam Reipublica Germanica.

Ratio quarta. V.14. *Secunda bestia dicit, vt faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladij, & vixit.* Quam imaginem Imperatoris fieri, & adorari iussit Pontifex, quam illi vitam dedit? Imaginem bestiæ formam reipublicæ Illyricus Bullam auream Caroli quarti, eneruem imperij vmbram, alij aliud interpretantur. Si ita res habet, non

igitur

igitur iam viuum & verum Imperium habemus, ſed vmbraticos Magiſtratus. Deinde imago eſt beſtiæ quæ reuixit, viuæ ergo eſt imago. Itaque Aretius, imaginem beſtiæ, ait eſſe Imperatorem electum, vitam vero confirmationem eſſe. Sed blaſpheme, & ſtulte, ſecunda enim beſtia, & beſtiam & imaginem ſimul adorari cogit, & imago beſtiæ, & poſterior ipſa Beſtia, deinde imago viuẽs & garrula, non eſt ipſa beſtia, ſed imago beſtiæ, nouum enim erat loqui imaginem; nam beſtia iam ante blaſphemias elocuta fuerat, in Deum & Sanctos, V. S.

Ratio quinta. Beſtia ſecunda faciet omnes habere characterem primæ beſtiæ, aut nomen, aut numerum nominis, hæc Pontifex non præſtitit Imperatori, non ille ergo ſecunda, nec hic eſt prima beſtia. Quis enim vetitus eſt emere vel vendere ſine charactere Imperatorio? Dum characterem quærimus, Bullingero eſt Chriſma, Chytræo iuramentum fidelitatis, Aretio vtrunq; etiam Doctorum & Magiſtrorum dum inaugurantur. Illyricus extendit ad raſuram & characterem ordinis. Graſerus characterem ordinis, exorciſmum, ſacramentum confirmationis. Sutliuius communem viuendi modum Papiſtarum, elidunt illa ſe mutuo, & à noſtris ſæpe refutata ſunt, mihi ſatis eſt inſignem Sectariorum in conuitiando oſtendere inſtabilitatem; nihil enim contra Pontificem omnia illa faciunt, quod in hunc modum irrefragabili ἀποδείξει demonſtro. *Character non eſt beſtiæ ſecundæ.*

Quinque ſunt quæ Euangeliſta, & Propheta Ioannes beſtiæ Symbola proponit, Imago beſtiæ, vita imaginis, character beſtiæ, nomen beſtiæ, numerus nominis beſtię. Tria poſteriora omnes Pontifici attribuunt, maximè noſter præſtigiator. Vt probent eum eſſe Antichriſtum, mira nomina fingunt & refingunt, quæ apud Lutherũ, Chytreum, Graſerum, & noſtrum quem nunc refutamus pro-

phetam inueniuntur, nam de charactere totum librum sextum implet. Characterem bestiæ ait esse nomen eius hoc proprium, vel numeris signatum, vel ænigmaticum, tædet nugarum, ita ad explicandum argumentum procedo. Antichristus ille est, cuius imago character, nomen, numerus nominis in Apocalypsi describitur, sed illa non sunt Pontificis, non igitur est Pontifex Antichristus. Propositio controuersa nō est, vtraq; enim pars illa Antichristo tribuit. Assumptio probatur. Imago, character, nomē, numerus nominis sunt primæ bestiæ, seu primariæ, nō secundæ, quæ primæ ancillatur, sed iuxta conuitia sectariorum, secunda est Pontifex, non prima, Imperium n. aiunt. Primam esse bestiam, non ergo character, nomen, numerus nominis ad Pontificem, sed ad Imperatorē, & Principes Imperij pertinent, si illorum vera est hæresis. Nunc itaque probandum est, hæc primæ esse, nō secundę bestię.

Primo. Contextus ipse docet, eiusdem bestiæ esse imaginem, cuius est character, nomen, numerus nominis: Imago est primæ bestiæ. *Dicens habitantibus in terra, vt faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladij & vixit. v. 14.* Pergit v. 15. *Et datum est illi, vt daret spiritum imagini bestiæ, & vt loquatur imago bestiæ: & faciat, vt quicunq; non adorauerint imaginem bestiæ occidantur.* Nulla igitur controuersia est de Imagine, illa enim est eius bestiæ, quæ habet plagā gladij, & vixit. Sed eiusdem bestiæ est character, & nomē, quod probo ex vers. 16. *Et faciet omnes pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis.* Et v. 17. Et ne quis possit emere, *aut vendere, nisi qui habet characterem aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius.* Non dicitur secunda bestia id agere vt imago, vel character suus habeatur, sed bestiæ, primæ scilicet, nec dicit, Numerum nominis sui, sed numerum nominis eius.

Considera quid de imperio sentiant Caluiniani.

Secun-

Secundo. c. 14. v. 9. 10. 11. *Si quis adorauerit bestiam & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, & hic bibet de vino iræ Dei, &c. Nec habent requiem die ac nocte, qui adorauerunt bestiam & imaginem eius, & si quis acceperit numerum nominis eius.* Clarius Spiritus sanctus dicere non potuit, eiusdem bestiæ imaginem esse, & characterem, imago prioris est, ergo & character, prior est, imperium ex seditiosa sectariorum sententia. Character ergo est imperij, non pontificatus, omnis ergo calumniarum & conuitiorum mephitis in Augustos, & Electores Imperij, principesque exhalat, quam merito subditi omnes abominamur, liber autem est Pontifex.

Tertio. c. 15. 2. *Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne, & eos qui vicerunt bestiam, & imaginem bestiæ, & numerum nominis eius, stantes supra mare vitreum,* &c. Non alius bestiæ est imago, & alius numerus nominis; Imago non est bestiæ pontificiæ, ex consensu hostium Pontificis, nec igitur numerus nominis, itaque vanitas tot nominum in Pontifices confictorum Principes petit, ad eos enim primam bestiam pertinere ingrati & flagitiosi subditi Caluinistæ calumniantur.

Quarto. c. 16. 2. Pœna reos secuta idem iudicat. *Et factum est vulnus sæuum & pessimum in homines, qui habebant characterẽ bestiæ; & in eos qui adorauerunt imaginẽ eius.* Cuius imaginem adorauerunt? Eius, cuius erat, & character.

Quinto. c. 19. 20. *Et apprehensa est bestia, & cum ea pseudopropheta: qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius.* Pseudopropheta est secunda bestia, minor ipsa, quæ simpliciter bestia dicitur, ideo nec secunda dici potest Pontifex, ne quidem peruicaci malitia sectariorum, cum enim extollere illum dicant, sese supra omne σέβασμα, quomodo sui negligens hoc agit, vt diuinitatis opinionem primæ bestiæ conciliet? *Pontifex se non extollit supra omne σέβασμα*

Nequic-

Nequicquam igitur tantis furoribus, tanto apparatu, Character, nomen, numerus nominis iactatur in Romanã Ecclesiam, frustra bella & cruentas cædes machinantur, non est illa, quam insequuntur fera fragili carni, hoc est, clero, vt Graserus interpretatur, quærunt illidere dentẽ, solido autem infringunt, hoc est, eodẽ interprete, Laicis. Miseratione potius, quã insectatione, vel risu digna, multorum Germanorum, etiam Principum simplicitas, qui cum numerum nominis 666. in voculâ aliqua, à suis inuẽtum audirent, vt רומיית, vt λατεῖνος, aliaue, continuo παχυπαχίαν admirati imperioso ostracismo à Christiana republica omnes pontificios exulare iusserunt, ignari illa subtilitate Politicum Magistratũ, Imperatorem, & nobilissimos imperij Dynastas, tanquam bestiam, in stagnum sulphuris, & ignis abijci.

CAPVT XXXI.

An verè asserant Iubilantes se diuini honoris zelo à nobis recessisse?



NOn est vlla legitima causa huius discessionis. Nam de Deo, eiusq; gloria rectè sentimus, & docemus.

Deum esse docemus omnes.

Primo enim esse Deum, contra Prothagoram, & Epicurum, cæterosq; atheos omnes asserimus. Artificem enim suum mundus ipse agnoscit, & prædicat, admirabilis ordo, consensioque omnium rerum. Ipse animus noster initij sui, & creationis ignarus, tam rerum infinitarum capax, tam acute pro Deo suo disputans, tam memor præteritorum, tam sagax futurorum non potuit habere auctorem nisi Deum. Tota vero rerum quæ sunt, congregatio & systema, ab alio pendere non potest, nec productiones ab infinito interuallo infinitorum agentium proficisci, nec in orbem omnia fieri, vnus itaque auctor est omnium atque effector, vnus est finis omnium,

crea-

creator increatus, immensus, æternus, immutabilis, sapiẽtissimus, liberrimus, optimus, verissimus, potentissimus, misericordissimus. Hæc toto animo confitemur, omnibus viribus propugnamus. Honorem igitur Deo hac in parte tribuimus.

At si vestros spectemus, non manent apud eos intacta diuinitatis attributa. Videantur hac de re disputationes Vorstianæ, & quæ in Vorstium Sladus aliique scripserunt: Nec tamen ab Academicis, aut statibus Hollandicis Vorstius damnatus est, sed vt ab Greuinchouio docetur publicò adhuc alitur. ita in absterſione calumniarum Smoutianarum.

Deum blasphemant aduersarij.

Nam imprimis Dei omnipræsentiam omnino tollit, tum aliis locis, tum p. 208. Vbiquitariæ controuersiæ: fatetur humanam Christi naturam in deitate sua, seu respectu suæ deitatis eadem cum Deo omnipotentia præditam esse. Quæ si vera sunt, omnipræsentia Dei non erit Deus, nam omnipræsentia diuina non est præsens natura creata. Quin & Brentius cui secundas à Luthero tribuunt Vbiquistæ, duas diuinitates docuit, quod Iacobus Andreæ in colloquio Hertzbergensi damnat. Qui immensum negant, immutabilem dicere non possunt, quia esse aliquando vbi non fuerit, aut non esse, vbi fuerit mutabilitatis est. Nec rectius videntur Philosophari Caluinistæ de immensitate Dei si Luthero credimus, in cõfessione maiore: *Ratiocinantur diuinitatem crasso sensibilique modo vbique esse, perinde ac si Deus tam amplum ac diffusum quiddam sit, quod & per, & super omnes creaturas se extendat.* Id eos crasso & corporali modo intelligere ostendit Hunnius lib. 1. de omnipræsentia Christi c. 2. Imo Nestorianiſmũ, & Manichæiſmũ de diuina immensitate illis obiicit. Libertatem Dei etiam in seruitutem commutare conati sunt. Nam Sibrandus, atque alii, etiam Pareus: *Punire*

Deum mutabilẽ faciunt, & duplicem diuinitatem.

De immẽsitate Dei errores.

Libertatē Deo auferunt.

peccata est Deo naturale, perinde vt peccatum odisse, & auersari. Ita Sibrandus pag. 35. Quod non modo libertatem, sed potestatem eius quoque tollit, si enim non potest non punire, si naturali necessitate punit, non igitur condonare potest. Hoc planè durum efficitur numen, quod nihil miseris remittere potest.

Potentiam multis modis impugnat. *Inepta fictio est*, inquit, Sibrandus, *si quis statuat, Deum potuisse decretum facere de non permittendo peccato.* Quod si cœteri sequuntur, non potest vlli esse dubium, quin omnipotentiam Dei abnegent, infirmum, & miserum faciant. Atque hoc ipsum Caluinianus Vorstius Sibrando exprobrat l. de centum erroribus Sibrandi errore 36. *Quod si decretum illud facere non potuit, vel ideo constricta fuit eius omnipotentia, quod rem illam fieri impossibile esset, & naturæ legibus repugnaret, vti illa quæ contradictionem implicare dicuntur, vel quod natura diuinæ repugnaret.* Non prius, quia intermitti peccatum, & non permitti nulli naturæ creatæ repugnat: Quæ enim in tempore facta sunt, poterant non fieri, & multo magis quæ male facta sunt, poterant omitti. Si enim quæ nō sunt futura, fieri tamen, ac proinde permitti poterant peccata, cur non & inhiberi illa quæ facta sunt, ab æterno potuerunt? Non posterius, quia si diuinæ naturæ repugnat, impedire aliquid eorum quæ facta sunt, omnia quæ fecit, quæque permisit, necessario, & facta sunt, & permissa. Nec in libertate Dei sunt, illa vel non facere, vel non permittere: ex qua opinione, loco Dei viui statuitur ἡ πεπρωμένη, seu fatum ineuitabile, fatum maius Deo, quale ille canit:

Quæ facta sunt non fieri potuerunt.

Fatum Deo potētius statuūt aduersarij.

O fatis superi certasse minores.

Veritatem Dei negant, qui in scripturis falsa esse quædam comminiscuntur, vt supra probaui. *Misericordiam*, qui durissimam prædestinationem confingunt, *Bonitatem*,

tem, qui Deum Tiberianum nobis proponunt, nullo modo possunt agnoscere. Si de Trinitate agatur, si de prædestinatione, multo clarius rex elucescet.

CAPVT XXXII.

De Trinitate rectius Catholicos quam aduersarios docere?

NOs cum vetere Ecclesia, Tres in vna deitate atque essentia personas esse docemus. Vna est enim non producta, si enim duæ essent non distinguerentur ratione originis, duæ vero sunt productæ, quia sunt duæ actiones immanentes in Deo. Filium Patrem & Spiritum Sanctum dicimus vnum Deum, tres personas, filium alium à patre non aliud. Persona enim diuersa est, essentia, eadem. *S. Trinitatem agnoscimus.*

Personas à se mutuo quinque notionibus distinguimus. Innascibilitate, Paternitate, filiatione, spiratione actiua, spiratione passiua. *Notiones quinq.*

Relationes tres sunt, Paternitas, filiatio, spiratio passiua.

Verbum diuinum personale est, non essentiale: productum est enim intelligendo, vt imago substantiæ patris. Duo sunt tamen in verbo respectus, significantis ad significatum, & producti ad producens, & hic est personalis.

Verbum procedit à patre qua suam essentiam personas, & creaturas omnes cognoscit, naturaliter vero procedit, quia procedit, qua Pater essentiam suam comprehendit.

Spiritus Sanctus etiam Deus est, à patre filioq; procedens. Hæc omnia confitemur, & symbolum Athanasij pro tessera huius fidei in Ecclesia recitamus.

Ab hac veritate vestrum multi recesserunt. Quidam apertè, alii occultè. Apertè contumacissima gens Iudæorum, ex veteribus Praxeas, Hermogenes, Sabelliani, Paulianistæ, Ariani, Marcelliani, Priscillianistæ, Iacobitæ, Mahometani, Bogomili. Huc quoque pertinent Prodicus, Manichæi, Tritheitæ, Cononitæ. Raimundus Lullus. Ex recentioribus, qui noui Ariani, Trinitarii, Antitrinitarii dicuntur, Michael Seruetus, Lucas Stenberger. Valentinus Gentilis.

Argumenta pro S.S. Trinitate Caluiniani infirmant.

Occultè vero Caluiniani: Primo quia veterum argumenta pro Trinitate, & loca scripturarum contemnunt: & veritatem astutè suis priuant præsidiis. Cal. lib. 1. institution. cap. 13. §. 15. Et in act. 13. 33.

Secundo, quia illa docent, quæ Trinitati sunt ἀσύστατα. Dei verbum (ait Beza in confess. fidei cap. 1. art. 2.) clarè non docet, *hanc diuinam essentiam esse realiter, & vere ab æternitate distinctam in tres personas.* Ita quoque Caluinus in actis contra Seruetum. At sane essentia vna est atque vnica, nullo modo in aliud, atque aliud diuisa. Ego & pater vnum sumus inquit Dominus, Ioan. 10. 30. & *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres vnum sunt.*

Dei filius naturaliter genitus est.

Tertio. Caluinus contra Gentilem docet, *Patrem generasse filium quia voluit.* Nam hanc propositionem Valentini Gentilis approbauit: *Deus potuit generare, & producere, quia voluit: quocirca genuit verbum ante sæcula, & produxit spiritum.* Si igitur filius libera Dei voluntate genitus, & eodem Spiritus Sanctus productus est, non Deus, sed Dei creaturæ sunt.

Quarto. Alii Caluiniani cum Noetianis, & Sabellianis censent *personas non distingui realiter.* Keckermannus in Systemate Theolog. p. 59. Quod si pergant affirmare, sequetur: *Non esse incommunicabiles, non esse relata:* Ita quoque

mysterium


mysterium Trinitatis tollitur. quod Caluinus Epist. ad Polonos sine metu facit. *Hæc precatio communiter recepta, Sancta Trinitas, Vnus Deus, miserere nobis, mihi non placet:* ac suam plane barbariem redolet. Quin & vocat *stolidam, fatuam, ac profanam eorum fidem, qui credere in Deum, sentiũt esse, credere in Trinitatem.* Similis perfidiæ est, quod Iacobus Gualterius refert in tabulis Chronographicis pag. 770. Caluinianum prædicantem à se interrogatum, quid de tribus personis sentiret, respondisse. *Tres personas diuinas esse tria officia.* *Vide Vorstium contra Scladum p. 14. 2. part.*

Quinto. Filium Dei inæqualem Patri constituit, ideo nec Deum. Nam in cap. 14. 28. Ioan. Illa verba: *Pater maior me est: non rectè à patribus de humanitate Christi intellecta* contendit.

Denique contra Valentinum negat *filium habere essentiam à patre.* Cum igitur, de Sanctissimâ Trinitate rectè nos docere illi fateantur, & nos illos errorum variorum conuincamus, quod etiam Lutherani faciunt: non fuit iusta causa recedendi. Estque status religionis proximus Ariano, si de Trinitate quæramus.

CAPVT XXXIII.

An de Christo rectè aduersarij doceant?



CHRISTIANI iam ab initio vocati sunt discipuli Antiochiæ, à cultu, & fide Iesu Christi domini & redemptoris nostri, nunc variis nominibus appellantur, qui omnes Christum tamen ore confitentur, nihil vero turpius quam de Christianis Christianos iubilare ac triumphare. Cum tam variè de omnibus fidei mysteriis errent. Itaque hinc multa illis argumenta sunt, vt ad nos redeant, nulla vt nos è vetere statione salutis recedamus. *Omnes in Christum se credere asserunt.*

Christus Deus est. Caput rei est. Nos Iesum Christum Dei filium, Deum verum de Deo vero confitemur. Idque scripturis, Conciliis, & Ecclesia consentiente. Est enim Malach, 3. Deus qui dicit: *Ecce ego mitto Angelum meum, & praeparabit viam ante faciem meam*. Et ille idem est Christus, Luc. 1. *Praeibis ante faciem domini parare vias eius*. Et dominus ipse Ioan. 5. *Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo*. Et Ioan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite*. Imo hunc non modo Deum, sed verum, patri aequalem, αὐτόθεον, qui etsi sit à patre, est tamen verissime Deus.

Secunda persona incarnata est. Secundo, Dei verbum, seu secundam in trinitate personam dicimus assumpsisse humanam naturam, & incarnationem ab aeterno ordinatam, in tempore factam. Incarnationis terminum esse, Christum, seu Hominem Deum. Hic enim ex humanae naturae, & diuinae personae vnione res[u]ltat.

Naturae inconfusae manserũt. Tertio. Itaque nec facta est naturarum confusio, vt Polemius, Iacobitae, Acephali docuerunt: Nec humanitas conuersa est in diuinitatem, vt Eutyches sensit, nec diuinitas in humanitatem, vt Apollinaris. Nec facta est tertia aliqua ex incarnatione natura: illa enim nec Deus esset, nec homo: deitas mutaretur, & verbum non diceretur caro factum.

In Christo vna persona, duae naturae. Quarto In Christo est vna persona diuina, in duabus naturis existens, sic enim est Deus homo, sic ipse ait, *Antequam Abraham fieret, ego sum*. Est igitur haec compositio ex natura & persona, facta quidem est à tota Sanctissima Trinitate efficienter: sed ita tamen vt humanitas à solo verbo non à patre, & Spiritu Sancto terminetur, & assumpta sit Solus enim Dei filius incarnatus est, itaq; per id quo filius est, hoc est, persona.

Filius qua filius incarnatus est.

Quinto. A Christo abest humana persona, cuius vicem supplet ineffabili modo verbum, non in genere causae efficientis,

cientis, quatenus est incarnatum, sed vt purus terminus. Terminat autem humanam naturam, nô subsistentia absoluta, non natura, sed relatione. Si enim absoluta subsistentia terminet, Deus ergo primo factus est homo, itaq; & Pater & Spiritus Sanctus: quæ enim Deo absolute côueniunt, de omnibus personis dicuntur: quæ vero ratione vnius personæ conueniunt Deo, non dicuntur de aliis personis.

Sexto. Verbum diuinum veram humanam naturam, animam, corpus, & vnita quidẽ illa, omnes corporis partes, atq; adeo ipsum sanguinem assumpsisse. *Omnes corporis partes assumptæ sunt.*

Septimo. In Christo omnis gratia, omnia dona S. Spiritus fuerunt. Gratia cognitionis, & sanctæ voluntatis.

Octauo. Hinc oritur idiomatum, seu proprietatum communicatio: nam diuina & humana prædicata de eadem persona diuina verè dicuntur. Cum enim in vna eademque hypostasi duæ naturæ iunguntur, vnius naturæ affectiones, & proprietates sub nominibus idem suppositum significantibus, de alterius naturæ hypostasi dicuntur. Sic verè dicimus, *Christus est homo, Christus est Deus, ergo Deus est homo.* Non tamen eodem modo concludimus: *Hic Deus est homo hic Deus est pater, ergo homo est pater.* Nam *Deus* in prima propositione pro persona filii, in altera pro persona patris accipitur. *Idiomatum communicatio.*

Nono. Nullo tamen modo naturæ in abstracto de se mutuo dicuntur: non enim humanitas est diuinitas.

Decimo. Attributa diuinitatis, nec in concreto, nec in abstracto de humanitate dicuntur. Non enim humanitas est æterna, nec æternitas. Et reciproce nec de diuinitate humanitatis attributa dicuntur. Non enim diuinitas est mortalis, nec mortalitas. Vndecimo. Quicquid essentia-

eſſentialiter dicitur de Deo, & quicquid eſſentialiter, aut perſonaliter dicitur de filio, abſolute dicitur de homine. Homo enim æternus, & filius Dei, & primogenitus dicitur. Quicquid etiam eſſentialiter de homine, & abſolute dicitur, vere, & propriè de Deo prædicatur. Sic Deus paſſus dicitur.

Duodecimo. Attributa tamen diuina cum reduplicatione non dicuntur de homine, nec humana de Deo. Sic falſa eſt propoſitio Chriſtus, qua homo eſt, immortalis; Chriſtus qua Deus eſt, mortalis eſt. Si tamen reduplicatio vtriuſque ſit, vera efficietur enunciatio. Vt Chriſtus qua Deus-homo eſt, mediator eſt. Nam actiones quibus reconciliati ſumus, humanitatis ſunt, valor infiniti precii à dignitate perſonæ.

Tertiodecimo. Chriſtus ſacerdos & hoſtia eſt. Se in cruce obtulit, non mortem efficiendo, ſed ſponte eam, cum impedire poſſet accipiendo, & pro vniuerſorum ſalute offerendo.

Quartodecimo. Vitam æternam nobis, omniaque ad eam præſidia meruit.

Chriſto vere debetur adoratio.

Quintodecimo. Chriſto eadem, quæ Deo debetur adoratio, nempe ſuprema, quam latriam dicimus, quæ ſi alia conferatur, idololatria erit. Semper autem vt Deus adoratur, ſaltem publica Eccleſiæ oratione. Quod ſi quis naturam eius præciſe adorare velit, erit cultus non latriæ, ſed hyperduliæ.

Sextodecimo. Chriſtus omnia noſtra peccata tulit, nõ tamen vnquam ille peccauit:

Hæc fides de Chriſto vera eſt, & veteris Eccleſiæ, At qui à nobis receſſerunt, eam multis, contrariis, grauiſſimiſque erroribus infecerunt, adeo vt Turcis, & Iudæis ſimiliores effecti ſint eorum dogmatiſtæ, quam Chriſtianis. Id quod iam probare aggrediar.

Primo.

Primo Caluinus filium Dei *impropriè vocat creatorem.* Contra Gentilem opusc. pag. 1924. *Certe nos vno consensu confitemur Christum improprie vocari Creatorem cœli & terræ,* habitâ ratione distinctionis personarum, si impropr ie creator, ergo improprie Deus, ergo non est Deus. Nam distinctio personarum non efficit, vt aliqua persona non sit propriè Deus. Idem Sladus obiicit Vorstio, quem ait, æquiuocum Deum constituere. *Status fidei de Christo quoad aduersarios.*

Secundo in Hollandiâ sunt, qui Christum Deum negant plurimi, præter Vorstium. Sibrandus ita in declaratione Resp. Vorstij, pag. 114. de illis queritur, eos falsa de Christo, de iustificatione docere, tollere antiquissima concilia.

Qui vero illa concilia reiiciunt, quæ Christi diuinitatem præcipuè firmarunt, non est dubium, quin accedant Photinianis. Sunt horum principia apud Caluinum, vt diligenter notauit noster Gualterius in tabulis Chronolog. pag. 294. sæculo 3. de Arianis *Primus,* inquit (*error*) *in eo positus, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum non esse vnius eiusdemque naturæ, substantiæ seu essentiæ, quæ à græcis dicitur* ὀσία (*adeo vt illorum aures ferre non possent, Sanctissimam Trinitatem esse* ὁμοούσιον, *id est consubstantialem*) *sed Filium quidem esse creaturam, Spiritum autem Sanctum esse creaturam alterius creaturæ, hoc est, creatum à Filio: Quam ob causam Duliani quoque appellati sunt, quod Filium crederent tantummodo esse seruum Patris. Longior æquo futurus sim, si ennumerem quot modis prætentæ Reformationis ministri hac in parte Arianizent. Sex tantum seligam quorum loca expressa iam in variis superiorum errorum collationibus fuerunt breuiter recitata. Primus in eo positus est, quod realem distinctionem quæ est inter Sanctissimæ Trinitatis personas, essentiæ Diuinæ tribuunt. Hæc enim sunt Bezæ verba, in confessionis suæ editione gallica, Puncto primo, artic. secundo. Ceste essence Diuine est di-* *Caluiniani Arianizant.*

stincte realement & à la verite & eternellement en trois Persones. 1. Hac diuina essentia realiter distincta est, & vere & ab aterno in tres Personas. Secundus in eo quod asserunt, Filium Dei non esse proprie Creatorem cœli & terra, habita ratione distinctionis Personarum. Sic enim Caluinus in opusculo suo contra Valentinum Gentilem pag. 1924. Opusc. edit. Gall. in folio. Tertius in eo quod Deum Patrem vocant nunc Deum κατ' ἐξοχὴν 1. per excellentiam seu prærogatiuam. Ita Caluinus lib. 1. instit. cap. 13. §. 20. nunc Deum proprie καθ' ὑπεροχὴν 1. proprie secundum excessum, vt idem Caluinus contra Prothesin 10. valentini Gentilis pag. 1930.

Quartus in multis loquendi formulis, qua trium personarum diuinarum aqualitati parum consonant, plenoque ore Arianismum sapiunt, vt cum Caluinus in Gen. 14. 18. edit. Gall. Filium Dei appellat, secundum Regem post Deum: & in Harmonia sua in Marci 16. 19. Secundam à Deo potestatem. Et in Ioannis 6. 57. Secundam vita causam. Et in Harmonia in Matt. 22. 44. Dei vicarium, secundum vel proximum gradum occupantem. Et in Marci 16. 19. Dei vicarium qui eius personam sustinet. Et in Iohan. 1. 18. edit. Gall. Secretarium patris admodum ei familiarem, siue vt in editione latina loquitur, qui ab intimis secretis Patri fuit, & in Iohan. 17. 12. ministrum duntaxat statutum (qua loquendi formula aperte Caluinus se Dulianum profitetur:) nec non cum idem Caluinus in opusculo citato contra Valentinum Gentilem, pag. 1930. plane admittit hanc 10. Valentini de Deo Patre Propositionem: Deus potuit generare & producere, quia voluit: Quapropter genuit verbum ante sacula, & produxit Spiritum Sanctum. Admittit, inquam, adeo absolute, vt hoc tantum Valentino respondeat: Per hanc sententiam fides nostra nulla in re corrumpitur: quandoquidem ingenue diximus nomen Dei proprie tribui Patri καθ' ὑπεροχὴν. Quis autem non videat, cum generatio productione libera potuit non esse, aperte ex hac Valentini

lentini & Caluini propositionē consequi, potuisse Dei Filium à patre non generari: Potuisse item Spiritum Sanctum non produci, quod creaturarum proprium est.

Nec mitius loquuntur de Lutheranis Caluiniani, quorū in horto vbiquitario Vrsinus ait, *crescere tres herbas pestilentissimas: Nestorianismum, Eutychianismum, Arianismū, & hinc eripi arma, quibus pugnandum est contra Arianos & Samosatenianos.* Id verò faciunt magna pars per imperitiam, dum omnia loca, quibus diuinitas Christi probatur, ad humanæ naturæ cum diuina exæquationem trahunt. *Tres in horto Vbiquitario herba.*

Secundo errant Zwinglius, & alii, quod humanam Christi naturam contemnant. Zwinglius Epist. ad Matth. Alber. De Christi carne interpretatur: quod dicitur. *Quod ex carne natum est, caro est.* Et lib. 1. De vera religione. *Videndum est hic obiter, quod Christus nobis ea parte salutaris est, qua de cælo descendit, non qua ex illibatissima virgine natus est.* *Turcica Caluinistarū blasphemia.*

Caro igitur Christi, quæ cibus est pro mundi vita, illi salutaris non est, hanc plusquam Turcicam blasphemiam vocant Lutherani. Et sanè vna hac voce omnem de Christo homine disputationem, & verum sensum tollunt. Hinc illa Osiandrinorum in Prussia hæresis, Christi morte non esse nos redemptos, *sanguinem Christi vt pecudum cruor solet, in terram delapsum computruisse.* Eadem opinio est Perkinsii in cōtrou. Thomæ Erasti, im gründlichen Bericht, & aliorum. Hinc toties ingeminant illud: *caro non prodest quicquam.* Quod de sua carne dixisse Christum Rodulphus Gualterus super Ioannem censuit: cum Christus de cruda & Capernaitica manducatione locutus sit, si igitur caro non prodest, frustra Christus carnem non profuturam assumpsit. Stulte carnem suam tot cruciatibus sine fructu subiecisset Dominus, falso diceret Petrus Epist. 1. c. 1 18. Nos sanguine Christi redemptos esse.

Ruditas vbiquitariorum impia.

Tertius error. Fatalis vbiquitas, quâ negant vſpiam eſſe diuinitatem vbi non ſit humanitas. Alioqui fore verbum ſimul ἄσαρκον & ἔνσαρκον. Sed puerilis eſt imaginatio Lutheranorum: Nam cum duo coniunguntur adæquatè, vnum æquè latè atque alterum extenditur, tum ſane eodem interuallo, & ſpacio ſe mutuo comprehendunt, ſic ſubſtantiam quantitas, & ſubſtantia quantitatem ſibi commenſuratam habet. At vero ſi alterutrum eſt eius naturæ, vt ſit inæqualis coniunctio, totum toti iunctum eſſe poteſt, & tamen illud cuius eſt nobilior, & latius patens natura extra alterum eſſe poteſt. Exemplum ex libris de animâ adoleſcentes ſumunt. Anima noſtra ἀμέριστος eſt, impartibilis, ideoque ὅλως ἐλόν τι, totaliter vbique tota. Tota in corde, tota in digito, tota in toto, & tota in qualibet parte. Nec tamen vbicunque eſt anima, etiam digitus eſt, quia non eſt adæquata animæ, & digiti, quamuis ſit ſubſtantialis coniunctio.

Coniunctio inadæquata non facit vt vbi eſt vnum ſit & alterū.

Obſtupui cum nuper quadratum Lutheranum Henricum Eckardum in faſciculo controuerſiarum legerem cap. 4. quæſt. 1. arg. 3. *Si λόγος aliquibus in locis eſt extra carnem, habebimus duplicem λόγον, ἔνσαρκον & ἄσαρκον. Incarnatum & extra carnem conſtitutum. Sunt enim contraria. In carne eſſe, & extra carnem eſſe, 2. Cor. 12. v. 3. At non habemus niſi vnum λόγον, ſemper & vbiq; ἔνσαρκον.*

Stupor Eckardi

Hoc argumento conficiam habere nos duplicem Deum. Si enim Deus eſt in terra, & extra terram conſtitutus, duplex ergo Deus eſt. Nam ſunt contraria eſſe in terra, & extra terram. Si anima in digito & extra digitum, ergo duplex anima. Non adfero ridiculas, & ineptas rationes eorum, ſed impias. Sunt enim ineptiæ impiæ.

Conſequētiæ Vbiquitatis fidem tollunt.

Hæreſis hæc innumeras trahit alias, nempe Chriſtum cum eſſet in vtero virginis, etiam extra, & vbique fuiſſe, & cum natus eſt, in vtero materno remanſiſſe.

Hinc

Hinc & alia consequuntur. Si enim quod conuenit in vno loco ratione humanitatis verbo diuino, hoc ratione omnis loci de eo dicitur, pari ratione Deus dicitur vbiq; homo, & vbiq; genitus, vbiq; incarnatus, vbiq; natus. Argumentatur c.4.p.73 in hunc modum Eckardus. *Posita vbiquitate Deus vbiq; natus est.*

Si λόγος est extra carnem suam, aut totus, aut ex parte.

Non ex parte, quia est ἀμέριστος, ὅλως ὁλόντι.

Neq; totus. Sic enim dissolueretur Vnio, quæ secundum Apostolum Totus λόγος παντὶ πληρώματι, in carne habitat. Ergo λόγος non est extra carnem suam.

Ad hunc modum, & tu syllogismum confice; Si λόγος in cœlo non est natus ex B. Virgine, aut totus aut ex parte non est natus in cœlo: Non ex parte, quia est ἀμέριστος, ὅλως ὁλόντι. Neque totus, sic enim dissolueretur natiuitas, per quam totus Dei filius factus est ei ex semine Dauid secundum carnem.

Quartus error. Ne fieri quidem posse aiunt, vt saluâ vnione verbum, aut Trinitas sit extra carnem: quod horrendum est dogma, & Deum finitum simpliciter asserit: sane anima nostra per diuinam potentiam corpus informare potest, & simul esse extra corpus: quia tota esse potest præsens rebus pluribus. Vti iam tota est in digito, & tota extra digitum: neq; ideo non informat digitum, quia informat & caput. Verbum etiam diuinum partes corporis assumpsit, manus & pedes, & tamen est etiam extra manus & pedes, neq; enim aduersarii concedunt, omnia membra Christi esse in omnibus. Et cum Christus in crucem tolleretur, non erat in manuum, & pedum vulneribus, omnia membra Christi, sic enim & caput, & cor, & omnia penitus transfixa fuissent. Potest igitur esse extra corpus Christi diuinitas, quæ illud assumpsit, salua vnione hypostatica qua corpus assumpsit. *Verbũ esse potest vbi caro non est.*

Quintus error. *Finitum docent esse capax infiniti: nempe*

Finitum non adæquatur infinito. *rem finitam posse adæquari rei immensæ.* Eck. pag. 81. Quod manus & oculi refutant: Infinitum enim continet finitum, & vltra eius terminos in infinitum procedit.

Sextus error. *Duas vniones hypostaticas ponunt: Vnam in corpore & anima: alteram in homine & verbo personaliter iunctis*: quod si verum est duæ erunt hypostases, cum sint duarum vnionum termini.

Septimus error. Has prædicationes: Deus est homo, Homo est Deus, Filius Mariæ est filius Dei, ita interpretantur, vt omnem οἰκονομίαν tollant. Nam Eckardus in fasciculo, c.5. p. 84. *In hac propositione: Deus est passus, negat eam explicandam tropice, neq; in ea pro subiecto solâ humanam naturam supponi posse.* Si igitur & diuinitas supponitur, igitur & diuinitas passa est. Omnia enim propriè dicit esse accipienda, licet inusitatæ sint prædicationes.

Ingens error. Octauus error. Esse prædicationem generis de specie: *Deus est homo, Homo est Deus.* Filius Mariæ est filius Dei. Ita sentire Piscatorem ad Elenchos Busch. c.14. asserit Eckardus. Grandis error, Deum esse genus hominis, & de eo essentialiter prædicari. Monstrosum vero hominem esse genus Dei vicissim Sed malo non credere Eckardo, quam hoc de Piscatore suspicari, librum enim eius nondum vidi. Hoc si sensit Piscator, Totum nouum testamentum vna sententia euertit. Posse tamen ad tam absurda peruenire animos sibi præfidentes, & contumaces, documento est Keckermannus in suo Systemate p. 319. *Qui ait prædicari hic speciem infimam de indiuiduo extraordinario.* Erit igitur essentialis, & necessaria prædicatio, & reciprocè, nunc species, nunc indiuiduũ erit Homo, respectu Dei, & Deus respectu hominis.

In absurdißima impingũt cum errare cœperũt.

Nonus error. *Communicationem idiomatum consistere in reali participatione, qua vna natura alterius proprietates accipit. Non autem ex eo, quod vna persona ratione diuersarum naturarum diuersa prædicata recipiat.* Verum illa sunt portenta,

Portenta Vbiquitaria.

ta. Quomodo enim humanitas erit increata, carens principio, immutabilis? Iacobus Andr. putat per accidens cõmunicari: perinde hoc est, ac si quis dicat, mundum qui à Deo creatus est, p accidens esse increatũ: quomodo enim illi qui vere ex nihilo factus est, accidere potest, vt fuerit ab æterno? cũ nisi in tempore factus esset, accidere illi nihil possit? Alii negant omnia cõmunicari, quædã enim realiter, q̃dã verbaliter cõmunicari. Quod in primis absurdum est, & illis ipsis repugnat. Absurdũ est, quia cũ omnia attributa de se mutuo essentialiter, & formaliter dicantur, si vnũ realiter cõmunicatur, necesse est omnia cõmunicari. Si enim realiter omnipræsentia Dei cõmunicatur, cũ sit illa essentialiter omnipræsentia increata, & æterna, imo sit essentialiter æternitas, necessario etiã cõmunicatur æternitas. Quo statuto, Deus, & mũd⁹ tollitur è medio. De quo enim res aliqua dicitur, de eodẽ õia rei essentialia dicũtur.

Decimus error Idiomatũ cõmunicationẽ aiunt fieri, per *συνδύασιν* copulatiõnẽ duarũ naturarũ, non ita vt inde cõfusio oriatur naturarũ. *Anima* inquit Eck. c. 6. p. 89. *ὅλως & reuera suas facultates atq; proprietates communicat corpori sibi vnito: confusio tamen animæ atq; corporis inde non sequitur.* *συνδύασις Lutherana.*

Sed hic quoq; horribilis est blasphemia; Nam mutuã naturarũ *Κοινωνίαν* ille ait, quo futurũ est, vt humanitas quoq; diuinitati reuera suas facultates, & proprietates cõmunicet, vt non modo accidentia accipiat diuinitas, sed etiam plane mori possit: nam reuera & realiter humanitatis illi idiomata communicari dicit. Deinde anima non est corpus, nec corpus est anima, at illi in hac vnione verbi, naturas de se mutuo prædicant.

Vndecimus error, Hinc oritur *σύγχυσις* & cõfusio naturarũ Eutychiana, & Monothelitica. Cui enim realiter per *συνδύασιν* seu per coniunctionem cõmunicatur attributũ aliquod diuinũ, illi cõmunicatur diuinitas. Nam omne attributũ est diuinitas. Accipit ergo diuinitatẽ humanitas. *Cõfundunt naturas.*

Scriptura

Scriptura (inquit Eckardus cap. 6. pag. 87. *quando de Idiomatum communicatione loquitur, vtitur vocabulis Realitatem significantibus, cuiusmodi sunt, Dari, accipere, donari, effici, habere, constitui. Ergo etiam ipsis communicatio realis sit, necesse est.* Si igitur datur æternitas humanitati, si accipit, si efficitur æterna, si habet æternitatem, si constituitur æterna. Si ista fiunt, humanitas efficitur diuinitas, quandoque nihil potest esse æternum nisi sit Deus. Hinc duplex Brentii diuinitas.

Humanā naturam faciunt Deum.

Duodecimus error. Vt distinctæ sunt proprietates vrendi in igne, & incidendi in ferro, sed tamen coniunctæ in ferro ignito, ita quoque proprietates naturarum, & naturæ sibi realiter communicant, distinctione reali non obstante. Sic cõmunicant in eo duntaxat quod sint in eodẽ ferro, & natura, ꝗ eadem hypostasi, vera est doctrina. Si autem sibi cõmunicant, vt vis vrendi sit vis secandi, aut vis secandi habeat vim vrendi, vtraque vis tollitur.

Tertiusdecimus error. Quando dicitur: Deus est passus, significatur diuinitas suo quodam modo affecta, vt omnia quæ accidunt carni sibi accidere statuat Selnecc. contra Bezam. Hoc si ita intelligatur vt mors negetur attingere diuinam naturam rectè dicitur. Sed aliud illi intelligunt. Nam Martyrem Caluinianum refutant, dicentem in dialog. pag. 36. *Cum dicitur* (vt habet Eckardus cap. 6. pag. 98.) *Christus passus & mortuus est, non ex natura deitatis sed ex natura humanitatis, nimirum, passionem & mortem ex humana natura esse profectam, & in ea terminatam, eo quod ad verbum ipsum non permearit, neque penetrauerit, quia id neque pati, neque mori potest.* Hoc refutat Eckardus, sentit igitur mortem ad verbum penetrasse. Si igitur mors non est in humana natura terminata, sed ad verbum penetrauit, quis est, qui non concludat inde verbum mortuum esse, seu diuinitatem? quia mors in sola humanitate non stitit.

Quartus

Quartus decimus error. Tandem ex professo Deum blasphemant, sic enim Eckardus c. 6. p. 98. disputat. *Infinitæ Dei iræ non potest satisfieri λύτρῳ aut ἱλαστηρίῳ finito.*

Patientis solius (Zwingl. in B. Conf. de cœna fol. 284. fac. 2.) naturæ humanæ meritum est ἱλαστήριον finitum.

Ergo patientis solius naturæ humanæ λύτρῳ siue merito non potest satisfieri infinitæ Dei iræ.

℞. Maior impietas dœmoni necessaria non est: si enim humana natura non sufficit, etsi sit in diuino supposito, sed opus est passione reali infinitæ naturæ, diuinitas vere, propriè, realiter occiditur. Infinita ira requirit infinitam placationis victimam, ergo necesse est cadat diuinitas, nã præter eam non est proprie infinita hostia. Quod si aliud non docet, quam Deum in carne pati, nec contra veritatem, nec contra Caluinianos pugnat.

Diuinitatis passione sola iram diuinitatis placari putant.

Quintus decimus. Omnia idiomata diuina humanæ naturæ communicata esse docet Eckardus c. 6. pag. 111. *Quoniam natura Christi humana per vnionem in totius hypostaseos diuinæ κοινωνίαν peruenit, in omnium quoque singulorum idiomatum diuinorum κοινωνίαν eandem peruenisse, certe statuẽdum est: præsertim cum in illa tota* TOTA *Deitatis plenitudo σωματικῶς inhabitet, omnesque sapientiæ & scientiæ thesauri absconditi in ea lateant teste Apostolo, Col. 2. Nihil ergo idiomatum diuinorum hic excipimus, quod λόγος assumptæ suæ carni per vnionem non communicauerit.*

Hæc humanam naturam prorsus faciunt diuinitatem. Si enim cõmunicantur verè, realiter, sicut ipsa hypostasis vt illi dicunt, cur non de humana natura prędicantur, si enim cõmunicatur æternitas, omnipræsentia, omniscientia; certe recte dicitur ęterna natura, omnipręsens, omnisciens, cui illa data sunt. ait Eckardus mediate quædam, alia immediatè prædicari. c. 6. 112. sed effugia sunt, quę magis inuoluunt. Natura humana, nec mediate, nec imme-

diatè,est æterna. Quod enim in tempore creatum est ex nihilo, quod aliquando non fuit, non potest semper fuisse. Non potest, ne mediate quidem æternum esse, quod in tempore cœpit esse.

Attributa Dei separat Eckardus.

Sextus decimus error. Eckardus in fasciculo, vno fasce multos simul errores complectitur c.6.p.110.℞.1.ad propos. *Negando disiunctum: quoniam 1. communicatio idiomatum non est physica quædam transfusio sed libera & δωρεά diuinæ dispensationis. 2. Scriptura ad cuius testimoniũ in huius mysterij consideratione potius quam ad rationis consequentias attendi debet, ipsa differentiam inter idiomata diuina ostendit, & quorundam communicationem palam & expresse tradit: cæterorum vero secus. Hominis autem pie modesti & Christiani est in arduo hoc fidei articulo se se intra verbi diuini cancellos atque limites continere: & μὴ φρονεῖν ὑπὲρ τὸ γέγραπται. 3. Vnio & communicatio facta est propter officium mediatoris. Cum ergo ad illud non sit æqualis idiomatum omnium respectus, conditio atque ratio, hinc in ipsa quoque communicatione eorundem differentiam aliquam esse sponte sequitur. 4. Idiomata licet intra essentiam Dei considerata sint vnum ἀδιαίρετόν τι, tamen & in doctrina atq; enunciatione distinctæ eorundem sunt ἐνέργειαι: & hoc modo διαίρεσιν quandam admittunt.*

Physica vbiquitas statuitur.

Hic nota primum. Non esse physicam transfusionem idiomatum; non est ergo physica communicatio, sed alterius generis, quod est contra Vbiquitarios, qui naturam humanam aiunt physice factam vbiq; præsentem. Quomodo autem non est physica transfusio, qua vnius hominis anima, & corpus in omnem immensitatem, quam Deus habet, si non transfunditur, aut extenditur, saltem comitatur, atque ita adæquatur, vt præsens sit, vbicunq; est diuinitas? Hoc certe physica mutatione fieri necesse est.

Deinde grande hoc mysterium impietatis considera. *Scriptura*, ait, *differentiã inter idiomata diuina ostẽdit.* Id scri-

pturæ

pturæ & patribus repugnat. Nam primo omnes Dei perfectiones, omnia idiomata absoluta inter se, & cum essentia sunt eadem. Cum enim Deus sit existens per essentiam, in sua essentia includit omnem rationem essendi. Deinde si esset aliqua distinctio, esset compositio, & naturalis resultantia.

Omnia idiomata Dei sunt eadem.

Confirmatur hoc ex simplicissima Dei natura, qua fit, vt omnes perfectiones & idiomata absoluta sint eadẽ cum essentia, & de essentia essentiæ. Quia Deus est ens essentialiter existẽs, ergo essentialiter summe perfectus, ergo essentialiter includit omnem perfectionem. Sunt enim omnia in essentia eminenter, atque ipsa eminentia est essentia, & de essentia. Imo omnes proprietates absolutæ sunt de omnium, & singularum essentia.

In Deo omnia absoluta sunt de omniũ essentia.

Deniq; quod de distinctione, & διαφέρει loquitur falsum est; & ad rem prorsus nihil facit. Nam quamuis perfectiones non distinguantur actu ex natura rei, virtute tamen & eminenter distinguuntur, nam se habent ad inuicem ac si distinguerentur, hoc duobus modis fieri potest. 1. Quia essentia diuina talis est, quia infinita, vt seipsa possit omnia præstare, quæ creata per multas qualitates, hinc possumus varios conceptus facere, & hoc est quod dicimus, in Deo esse virtualem multitudinem perfectionum, quæ in eo consistit, quod vnica essentia propter summam perfectionem potest ea omnia facere, quæ fiunt à distinctis creatis. 2. Quia perfectio diuina licet simplex sit, non operatur secundum adæquatam rationem, hoc patet in effectibus ad extra, quorum nullus est adæquatus virtuti diuinæ, inde vere dicimus Deum creare hominem per Ideam hominis, non equi, licet sit vna eminens Idea, tamen non producit, nisi qua illud repręsentat, quod autem simul alia, est per accidens ad talem effectum. Idẽ de processionibus ad intra: nam licet in Deo patre voluntas & intellectus sit idem, non est tamẽ personæ alicuius principiũ

per adæquatam rationem, sed principium filij prout habet vim intelligendi, Spiritus S. vt amandi. In hac virtuali distinctione fundatur distinctio rationis, quam propter imperfectionem intellectus nostri in Deo facimus, nam ex eo quod sit Deus ita perfectus, vt seipso omnia præstet, itemque ex eo quod noster intellectus non possit vno cõceptu omnia concipere, fit vt distinctis conceptibus inadæquatè, & quasi diuisim concipiat, & faciat in Deo distinctionem rationis. Quod si obijcias Intellectum errare, dum de simplici format conceptus diuersos formales, cum non respondeant diuersi obiectiui. Respondeo. Non esse errorem in nostris conceptibus, quia sunt diuersi cõceptus obiectiui; nam essentia Dei vt habet rationem intellectus, est vnus obiectiuus, vt voluntatis, est alius: vnde sequitur distinctionem rationis non esse in nostris formalibus, sed esse in obiectiuis qua referuntur ad formales: Loquimur autem de diuinis vt à nobis concipiuntur, ita tamen vt reduplicatio non designet modum ex parte nostra, sed ex parte rei conceptæ: nam modus ex parte nostra est imperfectus ad modum creaturarum Deum concipiens, sed potius sub illo modo veram eius perfectionem concipimus; De relationibus vere iudicamus eas reipsa non pertinere ad constitutionem essentiæ, sed personarum. Illa vero propositio: *Iustitia vt Iustitia est misericordia;* potest esse vera, & falsa: Vera, si sermo sit de re concepta, quia sensus est rem illam quæ iustitia, formaliter & essentialiter includere misericordiam; falsa; si de re prout distinctè & expressè à nobis concipitur; quia quod tribuimus illi sub vna ratione, non potest illi tribui sub alia ratione: nam rationes illæ virtualiter sunt distinctæ. Hinc non sequitur nostros conceptus de Deo falsos esse, quia præscindimus Deum vno conceptu tanquam carentem alijs perfectionibus. Nam duplex potest

test esse præcisio in nostro conceptu, vt si in Deo nihil aliud nisi rationem Iustitiæ consideremus expresse: secunda est exclusiua, qua non vtimur, nam qui sic faceret, erraret.

Porrò illa conceptuum distinctio ad quæstionem præsentem nihil facit. Nam cum naturæ humanæ communicatur aliquod idioma, v. g. omnipræsentia, etiam communicantur omnia alia, quæ sunt realiter eadem cum omnipræsentia, quæ sunt de essentia omnipræsentiæ, cui enim communicatur aliquod attributum, illi etiam communicantur omnia illius attributa essentialia. Hac ratione victus Brentius duplicem deitatem finxit, vt supra dixi.

Septimus decimus error. Videntur illi qui nunc errorum habenas tenent, de communicatione admodum lubrice loqui. Eckardus c. 6. p. 112. Probaturus, Diuinam essentiam naturæ humanæ posse communicari, sic ait: *Et annon in regeneratione nobis communicatur Spiritus Sanctus, qui est essentia diuina? Communicatio Spiritus sancti nobiscum*, inquit Apostolus, 2. cor. 13. v. 13. Hæc communicatio vel est hypostatica, vel tantum per dona sanctificantis gratiæ, cum quibus ipsa persona datur: si hypostatica, ridicula est Pauli precatio, si petit vt ad vnionem hypostaticam Corinthij assumantur, imo impia, omnes enim essent æquales Christo, cum persona Spiritus Sancti, Patris & filij personis sit æqualis, si Paulus loquitur de communicatione gratiarũ, & donorum Spiritus sancti, vt reuera loquitur, & optat vt per suos effectus in illis habitet Spiritus Sanctus: nihil facit ad probandam hanc idiomatum diuinorum communicationem, quæ faciat omnipræsentes, omniscientes. Nam Eckardus pag. 111. Omnia tribuit humanæ naturæ vt supra dixi. Itaq; vel tantum in Christo intelligit vnionem illam Arianam quæ fit per dona

Hic locus Apostoli de communicatione gratiæ tãtum agit.

dona gratiæ, vel cogit nos dicere, eum rudissimæ imperitiæ hominem non posse inter vnionem hypostaticam, & vnionem caritatis & gratiæ distinguere.

Humana natura nō est Deus. Octauus decimus error. Humana natura si attributa realiter accipit, realiter Deus est. Respondet Eckardus, Deum esse, aut Deificatam, aut propriè loquendo Deo personaliter vnitam, quod verum est, si posteriore modo accipiatur. At Deum esse, aut Deificatam esse, more vbiquitario est in Dei naturam transiisse, quod omnes patres negarunt. Nam vbiquistæ censent Deificatam non tantũ vnione cum verbo, sed reali mutatione, nam realiter accepit immensitatem, æternitatem, eminentiam rerum omnium. Cœteraq; Dei attributa tali modo, vt sit omnipræsens, æterna, quod est solius Deitatis Nam si est natura humana realiter in se etiam omnipotens, omnisciens, si est omnipræsens ex communicatione omnipotentiæ diuinæ, etiam sequetur necessario ex se esse omnipotentem, quod habet contradictionem. Nam etiam est diui- *Eminentia est etiã attributũ, hoc non potest communicari.* nitatis attributum, eminentia, natura omnipotentem esse, ex se habere perfectiones, independentem esse, quæ etiam communicari debent ex doctrina aduersariorum, & communicata faciunt humanitatẽ perfectissimè deã. Nam vna omnipotentia naturam humanam, & diuinam omnipotentem aiunt, Eckard. c. 6. p. 124. atq; ita vna omnipræsentia Deum, & humanitatem consequenter dicere debent esse præsentes: At vero diuina omnipræsentia *Quæ eadẽ sunt vni tertio sunt eadem inter se.* à Deo non differt, & præsentia humanitatis ab humanitate non distinguitur, nisi relatione quadam ad locum. Itaque & humanitas ipsa sic diffusa per præsentiam diuinam ab ea non distinguitur.

Nonus decimus error. Christum secundum humanitatem debere esse vbiq; præsentem, quia citra iacturam vitæ caput à corpore abesse nequit, & abesse non potest magis

magis quam vitis à palmitibus, quod est absurdissimum, si de præsentia corporali intelligatur. Inaudita est enim hęresis nihil Christum posse, vbi non est secundum humanitatem præsens. Eodem modo errant, cum aiunt, Christum non posse dominari creaturis, nisi quibus corporaliter est præsens, Eckard. c. 6. p. 195. Quia Dominatio, inquit, requirit pręsentiam, quasi vero non sufficiat pręsentia personæ.

Christus etiam absens agere potest.

Vicesimus error. Fuisse semper pręsentem omnibus, & à quibusdam creaturis remotam humanitatem Eckard. c. 6 p. 162. *Potuit tamē, quoties voluit, sine vlla locali translatione, ijs etiam creaturis, à quibus localiter erat remota, se præsentē sistere, dicta audire, facta videre, corda & cogitationes inspicere, morbis mederi, &c. vt ex particularib. Demōstrationibus luculenter apparet. Deposito vero nunc statu exinanitionis postquam à Dextris Dei consedit, & obstacula infirmitatis voluntariè assumptæ sunt sublata, præsentissime & potentissime creaturis omnibus dominatur.* Si remota erat ab aliquo, non erat vbiq;, hæc enim inter se quam plurimum differunt. Deinde eratne ibi verbum, vbi non erat humanitas?

Si post incarnationem verbū fuit, vbi nō fuit humanitas, tollitur vbiquitas.

Vicesimus primus error. *Christum qui adoratur, oportere esse vbique, vt omnium vbique inuocantium gemitus, & preces possit exaudire.* Eckardus c. 6. pagin. 167. Quæ blasphemia est omnium maxima: Christo enim minus tribuit, quam puris hominibus: nam 4. reg. 5. 26. ait Elisæus. *Nonne cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tuum?* Imò Deus prophetis suis reuelauit futura, quibus adesse non potuerunt. Si igitur non aberrat vbiquitatis opinio, ne futura quidem nosse poterit, nisi sit eo tempore, quod nondum est. Si enim humanitas Christi nihil scire potest nisi vbi est corporaliter præsens loco, etiam scire non poterit ea, quæ multis sæculis absunt. Nam maioris perfectionis est cognoscere futura quam absentia.

Humanitas Christi non est vbiq; vbi inuocatur.

Vicesi-

Vicesimus secundus error. Vbiquitas conuellit omnes fidei articulos, vt verè contra Lutheranos docent orthodoxi, & Heterodoxorũ pars maxima. Sadeel. 7. T. 2. Martyr in locis comm. Danæus, alij.

Christum fingunt ignorantẽ. Vicesimus tertius error. Christum diem extremum iudicij ignorare, cum tamen ipse iudex sit. Hac quidem in re consentiunt cum Agnoetis, de quibus Niceph. li. 18. Eusebius, alij. Ita crassiores Caluinistarum, cum tamen illi qui cautiores sunt, aliter sentiant: vt Fr. Iunius de Christo in animad. pag. 39. cum ait illa verba: *Neq; filius hominis nouit diem illum, dicta esse ex hypothesi, secundum quid, & mentem aliorum.* Et Sohnius in Disput. Heidel. 7. Thesi. 23. *Christũ dici ignorare diem iudicij, quia vt sciret, & doceret, non postulabat præsens status, & officij executio.* Trelcatius pagin. 332. *Ignorare, quod nos ignorare faciat: vel quoad humanam naturam quæ ordinaria, & naturali cognitione hac de rè nihil nouit.*

Quomodo Christus ignoret diẽ iudicij.

Vicesimus quartus error. *Quidam negant in Christo homine confidendum.* Danæus in exam. pagin. 417. Ierem. 17. vers. 5. *Maledictus, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.* Ergo non debet fiducia poni in Christo homine. Cui sic respondet Eckardus c. 6. pagin. 136. *Non vitiosa modo, sed impia quoq; & extremè blasphema est hæc conclusio, æterno sulphure digna: quam cæteri etiam Caluiniani abhorrent. Quis enim nisi peruicacissime impius, Christum, qua frater noster est, brachium quoq; nostrum esse, & fiduciam in ipso nostram collocandam esse neget: cum vt homo etiam noster sit Mediator, caro eius sit fide à nobis spiritualiter manducanda, Iohann. 6. vers. 54. In ipsius nomen & mortem baptizemur, & in ipsum etiam, vt homo est, conceptus, natus, passus, &c. Ex symboli Apostolici præscripto credere teneamur. Non ergo ad viuificam Christi carnem hoc torquendum est, cum de communi & promiscua cæterorum mortalium turba Propheta loquatur, quo-*

In Christo homine etiam confidendum est.

tur, quorum extra Personam τῦ λόγυ sua est subsistentia. II. *Præterea committitur Elenchus compositionis & diuisionis: verba enim prophetæ integrè sic habent: Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Et corde suo recedit à Domino. Assumo. Atqui Christum Dominum adorant, à Domino non recedunt: cum naturam Christi humanam non scorsim, neq; separate vel extra personam τῦ λόγυ, sed in ipsa persona τῦ λόγυ subsistentem & consideratam fides intueatur, apprehendat & cultu religioso prosequatur. Ergo qui Christum hominem adorant ex sententia dicti prophetici, maledicti non sunt.* III. *contrarium autem nos ex eiusdem capitis versiculo seq. 6. concludimus, ita argumentantes: Benedictus vir qui confidit in Domino, & cuius Dominus est fiducia. Christus quà Deus & Homo, est Dominus. Ergo benedictus, cuius Christus quà Deus & Homo est fiducia.*

Vicesimus quintus error. Lutherani in Christi carne & sanguine non modo infinitam merendi, sed etiam efficiendi vim concedunt, atq; ea ratione Verbo exæquant, Caluiniani omnē efficientiam tollunt. Iodoc. Naū p. 80. *Pugna Andabatarū.*

Vicesimus quintus error. Christum nascendo matris vterum reserasse, Sohnius T. 2. p. 385. Cum scriptura conceptum, natumq; de virgine doceat.

Vicesimus sextus error. Christum nihil sibi meruisse. Caluinus l. 2. c. 17. Inst. §. 6. *Quærere vero an sibi ipse meruerit (quod faciunt Lombardus & Scholastici) non minus stulta est curiositas, quam temeraria definitio, vbi hoc idem asserunt. Quid enim opus fuit descendere vnicum Dei filium, vt sibi acquireret quicquam noui? Et consilium suum exponens Deus omnem dubitationem eximit. Nō enim Filij vtilitati consuluisse dicitur Pater in eius meritis, sed eum tradidisse in mortem, neq; ei pepercisse, quia mundum diligeret. Et notandæ sunt locutiones Propheticæ, Puer natus est nobis. Item, Exulta filia Sion: Ecce rex tuus venit tibi: Frigeret etiam alioqui confirma-*

tio illa amoris, quam Paulus commendat, quod Christus pro inimicis mortem subierit. Inde enim colligimus rationem sui non habuisse: idq; clarè affirmat, dicens: Pro illis sanctifico me ipsum. Se enim sibi nihil acquirere testatur, qui fructum sanctitatis suæ in alios transfert. Et certè hoc maximè dignum obseruatu, quod Christus, vt se totum addiceret in salutem nostram, quodammodo sui oblitus. Præpostere vero huc trahunt Pauli testimonium, Propterea exaltauit illum pater, & dedit illi nomen, &c. Quibus enim meritis potuit assequi homo, vt Iudex esset mundi caput Angelorum, atq; vt potiretur summo Dei imperio, atq; in eo resideret maiestas illa cuius millesimam partẽ cuncta hominum & Angelorum virtutes attingere nequeunt? Sed facilis & plena solutio est. Paulũ illic non differere de causa exaltationis: sed consequentiam duntaxat ostendere, vt nobis esset exẽplo: nec omnino aliud volũt, quã quod alibi dicitur, oportuisse Christum pati, & ita intrare in gloriam Patris. Sed hos refutat non modo scriptura, cum dicit. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem, &c. propter quod & exaltauit eum, & dedit illi nomen: &c.* Sed posteriores etiam Caluiniani Piscator & alij: nam viderunt, si Christi meritũ pro sua gloria denegent, etiam omne meritum pro nostra iustificatione, & salute passioni illius detrahi: Nã Sociniani, alijq; qui Iudæis, & Turcis propius accedunt, ex fundamentis Zvvinglianis impietatem hauserunt. Cum enim viderẽt, omnia loca scripturæ, quibus operum bonorum merita commendantur, ita à Socinianis torqueri, vt non merita, sed consequentiam indicare viderentur, hoc etiam ad Christi merita transtulerunt, vt libro de hæreseon incremento ostẽdi. Si enim cum Paulus dicit Phil. 2. 9. Propter quod exaltauit illum, non differit de causa, sed consequentiam duntaxat ostendit, cur non pari modo cætera loca eodem modo interpretentur Sociniani?

Argumentis contra merita sãctorum etiam Christi merita reprehendunt.

Vicesimus septimus error. Caluinus, Cathechismus Heidelbergens. Bucanus docent Christum dolores inferni

ferni sustinuisse Catechismus ita loquitur pag. 2. qu. 44. Quid igitur significat iste descensus Christi ad inferos.

I. Summos cruciatus, angustias, & dolores, quos Christus perpessus est in anima sua, quales damnati experiuntur partim in hac, partim in altera vita. *Christo damnationem tribuunt.*

II. Complectitur etiam ignominiam maximam, & extremam, qua est affectus Christus in toto actu passionis Ista significari per descensum ad inferos docent testimonia scripturæ supra citata; Angustiæ inferni inuenerunt me. Dominus deducit ad inferos, & reducit.

Christũ vero ista debuisse pati, & perpessum esse, probatur testimonio eodem Dauidis: Angustiæ inferni cõprehenderunt me: quod de Christo dicitur in persona Dauidis. Similia sunt: Dominus voluit conterrere eum in infirmitate. Tristis est anima mea vsq; ad mortem. Idẽ demonstrant terrores & cruciatus in horto, cum sudaret sanguinem: quia coniecit in eum omnes iniquitates nostras Dominus. Propterea exclamat: Deus meus, Deus meus, quare me deseruisti? Idem probatur argumentis:

I. Christus non tantum corpora, sed etiam animas nostras debuit redimere. Ergo non tantum corpore, sed etiam anima debuit pati.

II. Debuit nos ab angustijs, & cruciatibus inferni liberare. Ergo debuit ipse hos experiri. Id fecit vel ante vel post mortem. Non post mortem, ipsis papistis fatentibus. Ergo ante mortem. At non in corpore. Huius enim passiones tantum fuerunt externæ. Ergo in anima dolores illos est passus.

III. Cruciatus & Angustias animi summos, tanquã grauissimam passionis Christi partẽ in symbolo, non taceri consentaneũ est. Atqui tacerentur, si articulus de descensu ad inferos de ijs non intelligeretur: Nam præcedentes articuli tantum de externis passionibus corporis lo quuntur, quas Christus foris perpessus est.

Non igitur est dubium, hoc articulo spirituales animæ passiones significari.

Multas conglobatim illa res continet blasphemias. Prima, *hominis damnati pœnas pertulisse*, dolores maximos, desperationem, & quod inde sequitur fremitum, & odiũ Dei. Nam præcipium damnati hominis tormentum est desperatio meliorum. Tanta igitur inter Christum, & Caluinianos est æqui boniq; distantia, vt Caluiniani salutis certissimi sint, Christus damnati & perditi instar desperarit.

Multæ de Christo blasphemiæ.

Secunda. *Debuit nos à cruciatibus inferni liberare, ergo eos pati.* Impium os. Si id pati debuit, à quo nos liberauit, æternas pœnas tolerare debuit, vri debuit, desperare debuit. Hoc vero est sanguinem testamenti conculcare, dicere non sufficere sacrificium crucis, nisi inferorum cruciatus accedant. Quanto nos rectius, & honorificentius de Christo sentimus. Omnia eius opera fuisse infinitè meritoria, & satisfactoria: Vnam sanguinis illibati guttam redimendo vniuerso orbi satis fuisse.

Tertia. Ideo sudasse sanguinem in horto, & clamasse in cruce *Deus meus, Deus meus quare me dereliquisti?*


Quarta. Caluinus libro 2. cap. 16. §. 8. Expresse ait: *Nihil actum erat, si corporea tantum morte defunctus esset Christus. Et non modo corpus Christi in pretium redemptionis Christi traditum, sed aliud maius, ac excellentius precium fuisse, quod diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulerit.*

Mors Christi nõ sufficit Caluinianis pro redemptione.

CAPVT

CAPVT XXXIV.

De prædestinatione, & reprobatione abominandos errores esse apud aduersarios.



Rouidentia generalis est, eius pars est prædestinatio. Prouidentia est conceptio ordinis rerum in fines in mente diuina existens, cum volũtate eum per se, vel causas secundas executioni mandandi. Non omnia finem illum assequuntur in quem ordinata sunt; nam satis est, idonea in finem media esse concessa: Videmus enim multa rerum naturalium impediri, & non omnes quos ad salutem creauit Dei bonitas, eam consequi. Nam & hæc prouidentiæ constitutio est, vt contingentia contingenter, libera libere efficiantur. *Quædam fine excidunt, & alio modo in eum recidunt.*

Prædestinatio est ratio mediorum in Deo, quibus præuidet creaturam rationalem in vitam æternam producendam, & voluntas eum ordinem exequendi. In se itaque complectitur actum intellectus media cognoscentis, & voluntatis eadem volentis. Effectus prædestinationis sunt non modo supernaturalia dona, sed multa naturalia, occasiones recte agendi aduersitates.

Nos de Prædestinatione in hunc modum docemus.

Primo Prædestinatio actus est liber, itaque necessarium est, vt actus aliquis necessarius eum antecedat; actus enim voluntatis liber requirit scientiam præcedentem, & naturalem. *Prædestinatio libera.*

Secundo. Ad prædestinationem requiritur præscientia conditionata.

Ratio est. Prædestinatio est certa præfinitio per media infallibilia hominem libero arbitrio cooperante in vitam æternam deducendi, sed hæc media decernere voluntas *Eam cognitio necessaria antecedit.*

non poteſt niſi cognitum ſit eſſe talia, ergo neceſſario ante cognoſcit. Si talia media conferat fore vt perueniat, nam futura eſſe videt poſt decretum.

Prædeſtinatio certa, & inconfuſa.

Tertio. Quicunque ſaluandi ſunt, illi ſingulatim electi ſunt, & prædeſtinati. Neque enim Dei præſcientia, neque decretum in confuſo accipitur. Deinde certarum perſonarum in indiuiduo eſt electio. Denique ſingulis præfiniti ſunt certi gradus donorum, & gratiæ.

Quarto. Media igitur omnia ſingulatim, & diſtinctè ſunt præparata. Quod ſi inter ea ſint actus à peccato dependentes, eos præuiſo peccato prædeſtinat, vt pœnitentiam.

Quinto Prædeſtinatio non eſt ex noſtris meritis; ſed Dei miſericordia. Cuius vult miſeretur. Non ex operibus quæ fecimus nos.

GratiaDei præuenit noſtras voluntates.

Sexto Actus bonus moralis, non eſt neceſſaria diſpoſitio ad gratiam ſi ſit naturalis. Nam Arauſicana Synodus damnauit eos qui dicunt *voluntates noſtras à Deo exſpectari vt à peccato purgemur*, loquitur autem Conc. de voluntate naturaliter conſtituta, non diuinitus excitata, hanc enim Deus exſpectat. Si autem diſpoſitio naturalis eſſet neceſſaria, eſſet etiam exſpectanda. Secundo neque ex rei natura, neq; ex lege Dei eſt neceſſaria, ergo nullo modo, cũ natura ſit inferior, & ſcripturæ illam Dei legem potius negent. Tertio cur naturalem exſpectet Deus, cũ potius omnia melius poſſit voluntas per ſupernaturalẽ efficere. Quarto ex ſtatibus peccatorum id eſt manifeſtum, non enim infidelem exſpectat, nec fidelem, nam præuenit vtriuſque voluntatem.

Diſpoſitio ad iuſtificationem ſufficiens non eſt à natura.

Sexto. Actus moralis bonus naturalis nunquam eſt diſpoſitio ſufficiens ad iuſtificationem impij, nec ad primam gratiã. Quia requiritur fides infuſa quę eſt ſupernaturalis.

Septimo, Reprobatio non prædeſtinationi ſed approbationi

bationi opponitur, hæc ſequitur prædeſtinationem qua Deus ſtatuit illi dare talia, quibus fiat vita æterna dignus, quem prædeſtinat, tum cum ſic conſideratum approbat dignum vita æterna; & ita reprobatio nihil aliud eſt, quã iudicium quo quis ob præuiſa peccata iudicatur indignus vita æterna. Prædeſtinationi contradictoriè opponitur non prædeſtinatio.

Effectus reprobationis eſt à vita æterna excluſio, & ad inferorum pœnas addictio. Non autem peccata, quæ licet permittantur, non tamen præſinitione & voluntate diuina efficiuntur.

Octauo. Cauſa prędeſtinationis, quoad integrum effectum nulla eſt. Effectuum tamen particularium alter alterius cauſa eſt. *Cauſa prædeſtinationis nõ eſt.*

Nono. Ex partę reprobi ſemper datur cauſa reprobationis, mortalis culpa reprobi, in qua moriturus præuidetur.

Quid de Deo prædeſtinant, & vi prædeſtinationis ſentiant illi, qui nos accuſant, iam eorum diſſidijs conſtat, & ſæpe docui. Nec tu mirabere lector, ſi ſuas nobis blaſphemias impingunt, id domi inter ſeſe actitant. Hic totus mundus pro nobis contra eos teſtimonium dicet. Sed mihi inſtar omnium eſt *Iubilæum anni* 1617. *ſcriptum*, oroque & obteſtor, vt quod de ſe mutuo teſtantur lector conſideret. Nicolaus Greuinchouius in Apologia publica, & priuata, ſeu abſterſione calumniarũ Adriani Smoutij, blaſphemias Caluinianorum ſic deſcribit, à pag. 48. Cum enim Ameſius rigidus Nicolaum mollem, dixiſſet, *Rabſacen impium, conſceleratorem diuinæ maieſtatis, & DIABOLO ipſo in Deum irreuerentiorem*, vt queritur Nicolaus, non potuit ille quin cauſam ſuam ageret, & omniũ miniſtrorũ Caluinianorum pluſquã tartareã doctrinam deſcriberet. Nã egone iſta in diuinam maieſtatem? ſupplicium" nul-

Aſſueti domeſticis litigiis in omnes ſunt acerbi.

Doctrina Caluinianorum ex ipſis teſtibus.

„nullum deprecor, si ego vnquam talia fando in Deum, in „Deum meum, Deum, Opt. Max. Sed quis te alter audacior homo, qui mihi vestras ipsorum blasphemias tam „confidenter impingis? vestras inquam; neque enim has „aliunde, quam ex vestris principijs eduxi; nec alia quàm „vestra ipsorum confessione probaui. Hic tu, sat scio, ad „tabulas prouocabis, atque ex ijs blasphemias nostras recitari postulabis: Non recuso; si prius id concedas, quod „negare non potes, diuersitatem verborum omnem, non „tollere diuersitatem sensus, & per æquipollentiam ea „affirmari posse, quæ verbo negantur. Deus igitur autore Marlorato, Piscatore, Gomaro, Triglandio, te „Smoutio &c. exitio destinat, & ad damnationem creat, „quos libet; non propter vllam indignitatem, aut infidelitatem, aut alia peccata, sed ex mera voluntate & beneplacito suo: Eosdem porrò vt ad damnationem, sic etiam ad causas damnationis ita ordinat, vt non peccare „non possint; & postquam peccauerint scil. tam facile cōuerti possint, quàm cœlum digito attingere; siue per naturam, siue per gratiam; nempe, quia Deus non vult ipsos conuerti, sed aduersus oblatam qualemcumq; gratiæ vmbram pertinaces esse; & quamuis facerent omnia „opera Sanctorum, non possent tamen saluari: Et hos tamen electionis suæ certos esse iubet; tenetur enim quisque credere se electum esse etiam reprobus:) &, quamuis verbum suum non destinat in istorum correctionem, „sed maiorem condemnationem, tamen à peccatis dehortatur serio, vocat, inuitat, obsecratur, ac nullis non „blanditijs allicit ad conuersionem; quin & iuramento „addicit, se nolle exitium ipsorum, sed vt conuertantur & „viuant; atque hoc idem obsignat Sacramento foris; interim

Suas blasphemias fratribus suis Caluiniani impingunt.

Deus Caluinistarū non vult conuerti.

Deus Caluinistarū vafer.

Astutam vapido seruans sub pectore vulpem.

Eos-

Eosdem vult offendere ac labi, quos recta iubet incedere; non vult autem secundum electionem, quam sibi reseruat, illis qui non sunt electi baptismum prodesse, neque per orationes ab Ecclesia pro ipsis factas, benedictionem, quã Christus Ecclesiæ suæ meruit, impetrari.

Nunc tu, si his admissis, Deum istum neq; hypocritam, neq; tyrannum, neq; personatum Histrionem &c. agnoscis, h.e. si tu isodynamiam in istis nullam vides; tum ego ingenue profiteor, me nescire, quid sit Tyrannum, quid Hypocritam agere? quid instar Pardi, homines odore gratiæ allectos inuadere atq; occidere, si hoc non est? Non possum profectò; quin hic probem candorem D. Withakeri: Is igitur lib. 8. cont. Duræum, sect. 1. Si Caluinus (inquit) aut Martyr, aut Philippus, aut quisquam nostrum affirmet, Deum esse autorem & causam peccati, non repugno, quin sint omnes horrendæ blasphemiæ, scelerisque rei, &c. *Deus Caluinistarũ tyrannus, Pardus.*

Ego verò, nisi tam horrendæ blasphemiæ assertores indicauero, ipse blasphemus, vt audiam, non recuso.

Zwinglius de Prouid. c. 6. Facinus, puta adulteriũ aut homicidium, est Dei autoris, motoris, impulsoris opus. *Deus Caluinistarũ author scelerum.*

Beza contra Castell. aphorism. 1. 6. 7. Deus efficaciter agit seu efficit, & sua ipsius efficacitate peragit omnia, sine vlla prorsus quantulacumque exceptione.

Musculus l. 1. de desperatione: Desperationis, quam finalem & incurabilem vocamus, occulta causa est reprobatio, sicut veræ spei occulta causa est electio.

Martyr in 1. Sam. 2. Deus videri potest causa non tantum humanarum actionum, verum etiã defectuum atque priuationum, quæ ipsis inhærent.

Sturmius de prędest, Thes. 16. Deus efficit ea quę peccata sunt.

Piscator resp, ad Apolog. Bertij p. 116. Sicut fides ori-

,,tur ex decreto electionis,ita è contrario incredulitas ex ,,decreto reprobationis oriatur necesse est.Psal.143.

,, Quando homo alterius hominis procurat adulteri-,,um,maledicta,mendacia,ille peccat; cum vero Deus i-,,dem facit,sanctè agit.

Deus Caluinistarũ procurator peccati.

Idem Resp.ad Tauffr.p.65.omnes peccatores & flagi-,,tiosi,vi voluntatis Dei faciunt quicquid faciunt.

,, Quid vis amplius? Certè ad istos ne Witakero qui-,,dem repugnante, horrendæ blasphemiæ conuincendũ, ,,quid desiderari possit amplius, non video. Sed nec vos ,,æquum est,ista tam iniquè ferre; cum & vobis & alijs in ,,isthoc genere eadem reponere soleatis.

Supra-Lapsarij.

,, Quod à nobis allatum est,vobis esse id relatum puta-,,te: Gomarus, Festus,alijque supra-lapsarij,tuque adeò ,,ipse, 'nî fallor, contendis aduersus Dontelockium, A-,,cronium &c. Deo nihil insipientius nec stultius affingi ,,posse,quam vt creauerit hominem,non constituto pri-,,us fine,puta salute cuiusque aut damnatione, seu mauis, ,,ostensione iræ & potentiæ suæ in perditione reprobo-,,rum. Acronius vero ille tuus, & reliqui sub-lapsarij, ni-,,hil iniustius excogitari posse, quam hominem nondum ,,peccato corruptum reprobari, aut ad interitum crea-,,ri:Nunc tu nobis responde, Smouti consultissime, vtri ,,parti hic credam: Si enim vtrique parti aduersarijs bla-,,sphemias tam atroces obijcienti credam,vtramque bla-,,sphemiæ ream teneo:Si neutri credam, neutram absol-,,uere possum à calumnia; neque enim innocentes esse ,,possunt, qui alijs tam calumniosè blasphemias impin-,,gunt. Dices tu,mihi crede: quid?Ergòne tua solius cri-,,minatione blasphemus mihi erit Acronius? Acronius ,,ille,qui tibi Iuueni nè increpandus quidem, sed hono-,,randus vt Pater? Sed quid si eadem linea ex aduerso oc-,,currat Acronius,dicatque;mihi crede,non Smoutio? iã

tu

tu Smouti eiusdem viri Reuerendi iudicio blasphemiæ"
reus eris: Sin minus, quid reliquũ sit, nisi vt vos sine bla-"
sphemia, sine iniuria in diuinam maiestatem, quin & sal-"
ua pace, ac societate mutua, alij alijs blasphemias impin-"
gatis? nobis verò easdem reponere non liceat sine impie-"
tate aut blasphemia? "

Hæc eadem licet & nobis laudare "
(quid nî & exprobrare atque obijcere) "
Sed illis creditur: "

Sed nunc vestra quoq; opprobria atq; irreligiosas voces"
in Deũ nostrum audiamus: Acronius ille tuus, suis ad me"
3. Kal. Mart. 1609. Talem (inquit) qualem nos scil. Deum"
Aristoteles pingit, dormientem & sua bonitate quibus-"
libet vti & abuti permittentem: Et tu Smouti, quando in"
tuo illo *Nãi* sententiam nostram oppugnas argumentis"
ductis à Natura Dei Patris omnipotentis & iusti, à Chri-"
sto redemptore eiusq; satisfactione; à Spiritu sanctifica-"
tore, à verbo Dei, à fœdere Dei, ab Euangelio, à nostri"
saluatione, iustificatione, regeneratione, vita æterna, à"
spiritus obsignatione, ab Ecclesia, à baptismate, à cœna"
Dominica, à lib. arbitrio, à cognitione Dei Patris, Filij: à" *Deus Caluinistarũ monstrum horrendũ.*
cõuersione, fide, spe, caritate, ab Idololatria, Atheismo,"
Libertinismo &c. quid aliud agis, quam vt Deum nostrũ"
transformes in monstrum horrẽdum, ingens, cui nihil sit"
commune cum Deo Patre, Filio & SS. cuius nec verbũ,"
nec fœdus &c. in Euangelio reuelatũ teneamus. Idolum"
Deo Ariano, Macedoniano, Nestoriano, Eutychiano,"
longè vanius. "

Caluinus porrò in Libertinos c.13. Notãdum (inquit)"
ex hoc articulo, Deum scil. omnia operari, tria admodũ"
horrenda consequi. 1. Nullum inter Deum & diabolum"
discrimen fore &c. Et c. 14. Cum nihil Deo sit magis pro-"
priũ q̃ sua bonitas, ipsum à se abnegari oportet, & in dia-"
bolũ transmutari vt malũ efficeret, q̃ ei ab istis tribuitur."

„ Sed iam quoque Bezam audiamus: Deus (inquit) ἐνερ-„γεῖ, id est, efficaciter agit, siue efficit omnia, Eph 1. Atque „in hoc dicto vniuersalis particula nulla prorsus quantu-„lacumque exceptione restringi potest: Ac ne peccata „quidem excipi possunt, nam eiusdem Caluini iudicio, „quæ perperam & iniustè ab hominibus fiunt, eadem re-„cta & iusta sunt Dei opera: Hic non alium iudicem, quā „teipsum deposco, Smouti, dummodo ne secundum car-„nem aut faciem iudices, vt facis, quando ex colore mihi „lutulento, melancholico, siue Saturnino

Deus Caluinistarũ efficaciter agit omnia.

(*O formose puer nimium ne crede colori.*)

„ Ex oculis, ex superciliis, ex mystacibus, ex ore, ex vul-„tu deniq; toto iudicas, de animo & ingenio meo; tādem, „opinor, ex facie quoque prædestinationem cognosces.

„ Quid enim refert, vosne ista Libertinis, an nos vobis „eadem ista in eadem causa ac sententia reponamus? Scio „vos id ægrè ferre. Sed nec Libertinos istam impropera-„tionem minus ægrè sustinere, sat scio.

Caluinistæ sanctos vocant laruas.

„ Tum si vobis ista, quæ nos ex vestris ipsorum tabulis „depromimus, tam in diuinam maiestatem, atque in vos „quoq; ipsos iniuriosa videntur; cogitate, vos nō minus in „Deum blasphemos, aut in homines pios contumeliosos „videri Pontificijs, quoties Deum ipsorum Maozim, Deū „frustaceum ridere; Papam Antichristum, Sanctos eorū „laruas ac bestias proclamare soletis: Caluinus alibi Do-„minicum carnificem appellat: quo iure aut merito? Hoc „nempe, quod eo autore atq; impulsore tot sunt horren-„dæ immanitatis edita exempla in Albigenses: Nunc cū „vos Deum longè immanioris adeoque immanissimæ in „homines innoxios, in teneram atque infantilem ætatem „lanienæ autorem, atque humani cordis ad quæuis scele-„ra, latrocinia &c. impulsorem prædicetis, non nostrum, „sed vestrum est dispicere, quomodo eum nefandis istis

ac

ac diuina maieſtate indignis titulis exoneretis: Certè ç-"
quum eſt, vt quiſque, qualẽ ſe reipſa pręſtat, talis audiat."
Neque ego primus aut ſolus ſum infrunitus ille (qualẽ"
me ſcilicet graphice depingit tuus ille Ameſius) qui ad-"
uerſus vos iſta depromo: ſed eaſdem blaſphemias (quod"
idem agnoſcit) alij antè me, Hunnius, Bellarminus, &c."
in doctrina veſtra notarunt, quibus ſi accedant Melan-"
thon, Henningius, Gellius, Sneccanus, Anaſtaſius Velua-"
nus, alijque, qui iſtos genuinos fœtus veſtræ prædeſtina-"
tionis obſeruarunt næ vos ſoli ſapitis, homines fruniti, ſi"
omnes illos infrunitos, aut tam publicæ quam priuatæ"
pacis hoſtes habendos cenſetis: Nihil hic Demoſthene"
opus eſt, qui iſtos ab impietate defendat; viros graues,"
quos inter primarios & honeſtiſſimos Eccleſiæ tam ſua"
merita, quam publica ſuffragia collocarunt; quorum e-"
go dum veſtigijs inſiſto, & veſtra illa monſtra lucifuga"
è ſpecu ſua protraho, tu blaſphemias crepa, quãtum po-"
tes, non magis moror, quàm ranas paluſtres."
Verum vt ex ipſo boue lora ſumam, compedeſque tu,"
quas feciſti, vt geſtes faber; h. e. vt te eiuſce blaſphemiæ,"
cuius me inſimulas, ex tuo ipſius ore reuincam, audi, quę"
tua ſunt: Agnoſcis igitur ante ὀρισμὸς præuiſam fidei obe-"
dientiam atq; incredulitatem; id eſt, ante actum vtriuſ-"
que præuiſum ſiue præſentem, ſiue futurum; de cuiuſq;"
ſalute ac damnatione ęterna irreuocabili pręiudicio, ita"
ſtatutum eſſe, vt numerus ſiue ſaluandorum ſiue damna-"
torum nec augeri poſſit nec minui. Agnoſcis itidem tèn"
hypakoèn tés piſte os: & tò dózon tés piſteos, tò ameta-"
meleton eſſe media ad conſequendam ſalutem nobis"
deſtinatam energetikà atque inuicta aduerſus omnem"
Satanæ, mundi & veteris hominis ſiue carnis & peccati"
inhabitantis & regnum affectantis conatum. "
Nunc ex his vide quid inferam. 1. Ergo Deus vt hos"

„ad salutẽ nulla sua dignitate aut merito, ita illos ad da-
„mnationem ordinauit, non vlla ipsorum indignitate aut
„culpa incredulitatis atque inobedientiæ, sed puro puto
„arbitrio ac beneplacito voluntatis suæ; ideoque nec isti
„sua culpa pereunt, sed sola voluntate Dei immeritos (a-
„gnoscis, opinor, Symbolam Concordiæ tuæ) damnantis.
„Connexum probatur, quia (teste Pareo atque ipsa adeo
„ratione, æquitate, nec non iustitia atque immutabilita-
„te Dei suffragante) sicut iustus iudex non aliam decer-
„nendæ, aliam exsequendæ in adulterum capitalis sentẽ-
„tiæ causam habet, sed eandem vtriusque, nempe capita-
„le illius flagitium; alioqui vel in decernendo, vel in exse-
„quendo supplicio iustus non videretur: sic Deus quam
„in tempore causam habet reprobis, damnationem infli-
„gendi, nempe peccatum admissum, eamdem ab æterno
„eos ad damnationem ordinandi habuisse videtur, nẽpe
„peccatum præuisum: Ergo eodem iudice Pareo (à quo
„tua Concordia tãtum in hac causa distat quantum ignis
„ab aqua) Deus vester iniquus, iniustus est; An vos potius
„in Deum verum iniurij estis? Certe enim estis iudicio nõ
„meo solius sed D. Molinæi, ad cuius tribunal vos cento-
„nes vestros fide pessima consarcinatos deferre, ac super
„iis iudicium eius aduersus nos explorare atque emendi-
„care soletis: & vt facilis est, causa vixdum cognita, iam
„impetrastis, iam obtinuistis, opinor: Sed & eundem quo-
„que contra vos pronuntiantem audire æquum est: Qui-
„cumque glorię diuinę amantes sunt & conscientias tur-
„bare metuunt, ijs sollicitè cauendum, ne dicant, Deum
„creaturas suas aut perdere aut reprobare, non vllo ipsa-
„rum merito, sed pro beneplacito suo: Vos verò quid? Id
„tu nos edocebis, Concordiæ tuæ pag. 109. Deus maximã
„partem hominum reprobauit pro beneplacito suo: An
„propter peccatum? hoc non docet Christus. Item Tri-
glandius

glandius Defens. p. 83. Reprobi non sunt reprobati pro-"
pter peccata sua; nec præuisa peccata sunt causa, ob quã"
quis reprobatur; Gesselius in specimine cap. 13. fol. 52."
Quod Deus quosdam non eligit sed reprobat, eius alia"
causa reddi nequit, quam simplex Dei voluntas. & cap."
17. fol. 74. Nec peccatum, nec incredulitas reprobatio-"
nis causa sunt. Iterum ergo, vos, iudice Molinæo læsæ"
Maiestatis ac gloriæ diuinæ reos teneo. "

Hæc ex illo docere volui. Primo, ne mihi quispiam irascatur, si ego eos tales asseram: Deinde, quia ille Bellarmini & aliorum Catholicorum dicta contra eos approbat.

Vtile est Caluinistarum elogia colligere.

S. Dominicus impie traducitur.

Quod vero Caluinum iure ac merito ait Dominicum vocasse carnificem, id secus habet; magna enim iniuria afficit virum sanctissimum, religionis eruditissimæ, & pijssimæ institutorem. Nam cædis reus Dominicus non fuit, conuertere errantes voluit: pertinacium ingentes blasphemias, & scelera blasphemiarum germina magistratus puniuit. Quia vero Albigensium successores esse gloriantur Caluiniani, operæ precium est cognoscere, quid illi senserint, vt ex sociorum, quos canonizant communione, & virtutibus, eorum laudatores ęstimare possimus. Est enim socius morum index. *Noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se.* Errores Albigensium sunt in Baron. anno 1176. Prateolo, verbo: Albigenses, Sandero hæresi. 151. ipsa Cõcilia, & historiæ testantur. Noster Gaulterius breuiter sic enumerat sæculo 1100. c. 17.

Albigenses patres Caluinianorũ quales.

In primis aiebant se non teneri fidem suam profiteri.

Albigenses hypocritæ Manichæi.

II. Duo esse principia, vnum bonum, scilicet Deum: alterum malum, scilicet Diabolum.

III. Deum creare animas, Diabolum autem creare omnia corpora.

IV. Deum

Pythagorici. IV. *Deum nullam animam nouam infundere: sed animas ex vno corpore in aliud transmigrare, etiam animas serpentum, aliarumque brutarum animantium: nempe secundum cuiusque meritum, ita vt anima eius qui male vixerit, per serpentum aliarumque brutarum animantium corpora transeat, eius autem anima qui bene vixerit, per Regis aliusue principis viri corpus.*

Negant resurrectionem. V. *Non esse corporum resurrectionem.*

VI. *Neque purgatorium esse neq; infernum.*

VII. *Defunctis nihil prodesse quæ illis applicantur suffragia.*

Negant scripturā. VIII. *Nec legem Mosis, nec Prophetas, nec Psalmos, nec vetus testamentum, nec noui testamenti Doctores esse admittendos.*

Iusiurandū vetant. IX. *Iusiurandum omne esse nefarium.*

Baptismū inutilem iudicant. X. *Baptismum reijciendum esse tanquam superuacaneum & inutilem.*

Eucharistiam à malis cosecrari negant. XI. *Eucharistiam à malis presbyteris non consecrari.*

XII. *Corpus Iesu Christi non aliter esse in Eucharistia, quam in aliis rebus.*

XIII. *Peccata non esse confitenda Sacerdoti.*

Episcopum malum negant Episcopum esse. XIV. *Malum Episcopum non esse Episcopum.*

Matrimonium vetant. XV. *Actum coniugalem esse saluti perniciosum.*

XVI. *Inutile esse, ire in Ecclesiam, ad orandum Deum, vel in ea orare.*

Legi & alios Albigensium errores execrandos apud Petrum Vallis Sarnensis Historiæ Albigensium authore atq; oculatum teste paulo ante in capite de Waldensibus citatū. Est igitur error

Vetus testamētum à malo Deo esse. XVII. *Nouum testamentum benigno Deo, vetus vero maligno attribuendum; & hoc quidem reijciendum, exceptis quibusdam eius authoritatibus in nouum testamentum insertis, quas ob Noui reuerentiam recipiendas sentiebant.*

XVIII. *Veteris Testamenti authorem esse mendacem & homicidam.*

XIX. *Omnes*

XIX. Omnes veteris Testamenti Patres esse damnatos, Iohannem Baptistam esse vnum è maioribus Dæmonibus. Baptistam esse dæmonem dicebant.

XX. Christum illum qui natus est in Bethleem terrestri & visibili, quiq; Hierosolymis crucifixus est, esse malum. Christum ipsum esse malum.

XXI. Mariam Magdalenam fuisse illius concubinam: fuisseque illam ipsam mulierem in adulterio deprehensam, de qua in Euangelio. Os impurum.

XXII. Bonum Christum nunquam comedisse vel bibisse, nec veram carnem assumpsisse, nec fuisse vnquam in hoc mundo, nisi specialiter in corpore Pauli. De bono Christo fabula.

XXIII. Esse aliam terram nouam & inuisibilem, in qua bonus Christus natus est & crucifixus. Vxores Dei.

XXIV. Bonum Deum duas habere vxores, Collant & Colibant, atque ex ipsis filios procreasse & filias.

XXV. Cuiusdam Waldensium secta fuit asserentis, vnum quidem esse creatorem, sed habuisse filios, Christum & Diabolum. Creaturas item omnes bonas fuisse, sed per filias, de quibus in Apocalypsi, omnia fuisse corrupta. Filij Dei duplices.

XXVI. Omnibus Waldensibus communis fere totam Romanam Ecclesiam speluncam esse latronum; ac Meretricem illam de qua in Apocalypsi. Hinc laudantur à Caluinianis.

XXVII. Baptismi aquam ab aqua fluuiali non differre, neque Eucharistiam à pane laico: Inutilem esse tum confirmationem, tum confessionem: in matrimonio neminem saluari posse.

XXVIII. Resurrectione abnegata dicebant animas nostras esse spiritus illos Angelicos, qui per superbia Apostasiam præcipitati de cælo, corpora sua glorificata in aere reliquerunt; & ipsas animas, post successiuam qualiumcunque corporum septem, & terrenorum inhabitationem, quasi tunc demum pænitentia peracta, ad illa relicta corpora remeare. Animas esse dæmonas. Ad corpora redituras.

Cibos detestabantur. *XXIX. (Eorum ſpeciatim qui inter eos dicebantur perfecti, nigroque habitu induti, caſtitatis obſeruatores ac mendacij oſores videri volebant) eſum carnium, ouorum, & caſei omnino eſſe deteſtandum.*

XXX. (Eorum propriè qui credentes hæreticorum vocabantur, quique licet ad vitam perfectorum imitandum non pertingerent, in illorum tamen fide, cui adhærebant, ſe ſaluandos ſperabant,) ad ſalutem non eſſe opus confeſſione aut pœnitentia, vel reſtitutione ablatorum, dummodo in ſupremo mortis articulo dicere poſſent, Pater noſter, & manuum impoſitionem à ſuis magiſtris (erant hi magiſtri ſeu Magiſtratus ex perfectis hæreticis, quos Diaconos & Epiſcopos nominabant) recipere. Vnde & ſecurius effrænatiuſque ad vſuras, rapinas, homicidia, carnis illecebras, Periuria, aliaq; ſcelera animum applicabant.

Impunitatem ſcelerum docebant.

Inſaniſſima inſania. *XXXI. (Quorundam ex illis hæreticis) neminem poſſe peccare ab vmbilico deorſum verſus.*

XXXII. Vſum imaginum, quæ ſunt in Eccleſiis, eſſe idololatriam.

XXXIII. Eccleſiarum campanas eſſe tubas Dæmonum.

XXXIV. Non peccare grauius, qui cum matre vel ſorore ſua dormiat, quam qui cum alia qualibet.

O cæcitas. *XXXV. Si perfectorum illorum aliquis peccato mortifero ſe coinquinaret, nempe minimum quid carnium, caſei vel oui, aliuſue rei ſibi inhibitæ comedendo; omnes eos, quibus ille manum impoſuiſſet, Spiritum ſanctum amiſſuros; imo & ipſos ſaluatos, ob manuum imponentis peccatum, de cœlo caſuros.*

„ Hæc ſunt, quæ ex varijs authoribus collegi, Waldenſium dogmata, ſeu potius ſomnia; ea quidem inſolentijs „eorum ſacrilegis plane conſentanea: de quibus cum libri

bri extent integri, duo tantum vel tria præsegmina af-"
feram, ex quibus facile erit Lectori coniјcere, quid de"
reliquo sit sentiendum. "

Vnum est, quod Tolosæ illorum aliquis in odium Iesu"
Christi, fideique Catholicæ confusionem, ventrem ad"
Ecclesiæ primariæ Altare exonerauit, sacrisque illius al-"
taris corporalibus suas sordes abstersit. "

Facta Albigensium similima Caluinistarum furoribus primis.

Alterum quod quidam alij collocata super altare an-"
te crucifixum meretrice abusi, inde sacram imaginem"
auulserunt, & brachijs truncatam fune in collum inie-"
cto, per vrbis plateas, cum execrabilibus blasphemijs"
traxerunt. "

Tertium quod in vrbe Bituricensi à Catholicis obses-"
si sanctum Euangelij volumen vrina conspurcatum ex"
mœnibus in Catholicos proiecerunt, sagittasque in il-"
lud eiaculantes clamauerunt, Ecce Lex vestra, miseri."
Hic duo mihi à lectore concedi cupio: prius quidem, vt"
partim ex capite de Manichæis, partim ex alijs multis"
collationibus supra traditis meminerit, quid illic simile"
his omnibus obseruarit, indeque expiscetur quæ sit Al-"
bigensium & Caluinianorum affinitas. Posterius vero,"
vt, licet Albigenses à Caluinianis viderit partim supera-"
tos, partim exæquatos, tum in dogmatis, tum in sacrile-"
gijs, (etiam vsque ad Diabolicam illam irreuerentiam"
ad Altare sacrum perpetratam, siquidem nostra ætate i-"
dem patrarũt duo tresue Caluiniani in æde S. Desiderij"
Albenaco proxima, qui eodem, aut certe sequenti anno"
pœnas luere per extraordinariam mortem cœperunt;)"
mirari tamen non desinat eorundem Caluinianorũ cæ-"
citatem, qui cum se profiteantur, saltẽ vt apparet, nõ nisi"
vnum principium, vnumque rerum omnium tam spiri-"
talium, quam corporearum creatorem agnoscere, vetus"

Iunctos sibi Albigenses esse dicunt Caluinistæ.

„testamentum admittere, matrimonium saluti non aduersarium dicere, aliaque plurima supra descriptæ Albigensium fidei repugnantia; audent tamen illos fratres „ac fœderatos nuncupare: vt planum est ex aperta Bezæ „testificatione in suis Iconibus, vbi Albigenses cum Wal„densibus copulans, eos in commune laudat tam propter „testatissimam vitæ innocentiam, quam quod nũc rursus, „& religionis puritate, & omnium Christianarum virtu„tum exemplis insignes Ecclesias habeant.

CAPVT XXXV.

An de libero arbitrio Iubilantes falso nos accusent & peruerse doceant.

Rudiores Caluiniani nos Pelagianismi accusant.



RVdiores fere, aut impudentiores Sectariorum Pelagianismi nos accusant, quasi gratiæ diuinæ contemptores, proprij arbitrij viribus salutem nobis polliceamur. Scharpius tractatu de libero arbitrio. Tres controuersias inter suos & nostros constituit cap. 1. *Nos liberum arbitrium dicimus, non modo à coactione, sed etiam à necessitate. Illi necessario agere docent. Deinde illi asserunt omne hominis opus esse peccatum, id nos negamus. Tertio, nos hominem dicimus gratia cooperari posse, illi negant.* In hisce controuersijs eorum doctrina est horrenda, nostra scripturæ, patribus, veritati, & rationi consentiens, immerito igitur nos accusant. Status igitur religionis eorum periculosissimus.

Tres controuersiæ.

Fatum Stoicum docent.

De necessitate quidem illi ita sentiunt, vt à fato stoico nihil abesse possint. Piscator. vol. 1. disp de prouidentia th. 105. *Prouidentiam Dei,* ait, *omnibus rebus creatis necessitatẽ imponere*. & Thesi. 109, *omnia infallibili & immutabili necessi-*

cessitate fieri. Ita cæteri rigidi Caluiniani, & qui hoc anno iubilauit Ioannes Scharpius.

Scharpius solus in Gallia quasi iubilauit

Huic tam horrendæ opinioni repugnant non modo Catholici, sed Lutherani etiam, & molliores Caluinistæ. Et Lutherani omnino hanc ob causam stoicismi illos accusant, *Iacobus Reineccius de ortu, cursu, exitu Caluinistarum.*

Vide & Haidelbergenses cōtra Tubingenses p. 170. & Tubingenses contra Haidelbergenses cōtinuat. examinis pa. 125. Multo infestius pugnant inter se Belgæ. Constāter Nicolaus Greuinchouius in abstersione calumniarum Adriani Smoutij p. 91. Nouitios patres Caluinum aliosq; Stoicos vocat, & Adriano querenti, quod istorum pudenda non potius silentio tegat, quam communibus hostibus spectanda, & ridenda publicè propinet, ipse respondet, id se quoq; malle: Sed nec iam secreta esse, & necessario refutāda. Verum illū audiamus pro nobis inter iubila canentem. Aut ergo p. 92. tu Caluinum, Bezam " &c. ab ista Stoicorū secta cæterorumq; affinitate vindi-" ca, si potes, aut nos saltem patere, eam ab Ecclesiæ Re-" form. ceruicib. arcere: sin stomachari pergis, cogita A-" mesij tui aduersus nos iudicium prius isti collationi in-" ter vos & Stoicos &c. occasionem dedisse, quando vix" ouum ouo similius esse pronuntiabat, quam dogma Pe-" lagianum & Arminianum nostrum.

Inter iubila infestissime pugnant. Greuinchouius iubilantium pudenda detegit.

Nec vero te quicunq; tandem, isti collationi succen-" sere æquum est, quando multis paginis, ita Stoicorū cau-" sam agis, atq; ab omni quantum potes improperio vin-" dicas, ac si te sibi patronum conduxissent: Ac 1. quidem" pro Zenonis seruulo vehementius insurgens: talem (in-" quis) seruulum ne in gentili Stoicorū schola audisse, aut" vidisse memini: qui nempe à fato suo sibi impunitatē fa-" cti postularet: atq; ad fatum tuum redeuns, iterum hic" mihi mendacium exprobras: Nempe igitur, ego men-"

Caluiniani an à fato scelerū impunitatem quærant.

Si fatalis culpa, fatalis & pœna.

„dax, quia tu obliuiosus es? Dabo linguariū, vt postea
„consideratius loquare, Diogenem Laert. de vitis philo-
„soph. li. 7. ca. 1. in vita Zenonis Cittici, qui tibi suggeret:
„seruum in furto, vt aiunt deprehensum verberabat (Ze-
„no) cumq; ille diceret, fatale mihi erat furari : & cædi
„inquit: Quid? Etiamnum mihi mendacia profluunt ex
„liquido canali aperti pectoris? Inspice si placet, ac teme
„ritatis tuæ culpam agnosce: Deinde Oedipum inducis
„multa timentem ac tergiuersantem fato, ac tandem in-
„terrogas Pathetice: Estne illud securum esse, an vero so-
„licitum? omnium scelerum ac vitiorum habenas laxare,
„an vero inhibere, adducere & constringere: Carnem si-
„nere ad pessima quæq; proruere, an vero frænare? &c.
„Parum abest, quin nobis Oedipum Dei spiritu renatum
„sistas, saltem non paulo plus renatum ijs, qui propensi
„ad omne malum, nullum obseruant mandatorum Dei,
„&c. At tu te hic iterum nimis inconsideratum prodis:
„Neq; enim id nunc agimus, vt Stoici vosq; adeo ipsi vir-
„tutis & vitij, salutis ac damnationis æquè securi, ad pessi
„ma quæq; proruatis: dixi (nec tu id ignoras: sed quia dis-
„simulas, repetam) diuinæ religionis semen eas in quo-
„rundam animis radices egisse, quas Satan istis irpicibus
„suis exstirpare non potuit: addidi, quosdam incogitan-
„tia, alios iudicij imbecillitate, alios desultoria quadam
„ingenij facilitate, quiduis susq; deque habere, nec vllius
„decreti consideratione in hanc vel illam partem com-
„moueri: Ergo Oedipus, sua timeat, fugiat fata. Iocasta
„erroris à se dira supplicia exigat, quid tum? non illud sed
„hoc quæritur: An si Oedipus, si Iocasta, nō desperantis
„aut furijs agitati in morem abrepti, sed integra mēte ac
„iudicio constanti fatum expendissent suum (fatum in-
„quam ipsum Deum causasq; insuper, siue influētias quas-
„que necessitās, quod tu vtrumq; Stoicos somniasse som-
nias)

Fata stoica vitare non possunt.

nias) vnquam eò adduci potuisse, vt frustra, precando," sperando, metuendo, cauendo declinarent ineuitabile" fatum? aut sceleris patrati vitium in se ipsos exercerent?

It cuiq; ratus, Prece non vlla mobilis ordo:

Multis (si Senecæ credimus, in quo tu quod culpes, ni-" hil habes) ipsum timuisse nocet, & multi ad fatum vene-" re suum, dum fata timent: Quare

Soluite mortales animos, curasq; leuate
Totq; superuacuis vitam deflere querelis.
Fata regunt orbem, certa stant omnia lege.

Quis verò sapiens se sceleris conuictũ damnet in eo," quod fato, hoc est, Dei ipsius omnipotẽte decreto cau-" sis omnibus superiore, atq; inuicto aduersus omnem ho" minis conatum, euitare non potuit? Nunc quum, te as-" serente, omnes motus atq; actiones humanę voluntatis," adeoq; res omnes Dei æterno atq; immutabili consilio" præordinatæ ac definitæ sint, ita fieri, sicuti in tempore" fiunt, h. e. cum ea sit necessitas rerum à Dei consilio &" prouidentia promanãs, quæ causas secundas sua natura" in vtrãq; partẽ indefinitas, in alterã dumtaxat definiat," vt illam velint homines, quam Deus ipsis ab æterno de-" stinauit: Sic peccatũ Adami necessarium fuit: quid agi-" mus, nisi vt reiecto nomine fati, rem tenentes, decretũ" nempe prædeterminãs ac necessitans voluntatẽ ad sin-" gulos actus ruptis spei ac timoris habenis, in omne scelus" præcipites ruamus, fatis acti, fatis cedentes? En genium" vestri dogmatis, cuius solius impulsu, ac persuasione, ni-" si singularis obstet Dei gratia ac vis conscientiæ potis sit" Satan ex animis hominum spem, fidem, religionem ac" timorem Dei quemcunq; radicitus euellere.

Necessitas antecedẽs tollit liberum arbitrium.

Fatum cogit ad scelera.

Vnum excipis, seu distinguis potius, quod scilicet" Stoici fatum somniarunt, cuius vi non modo causæ" mediæ seu influentiæ, sed & Deus ipse necessitetur ad"

hoc:

„hoc: Ergo, hoc somnio excepto, in cæteris cum Stoicis „consensum tuum agnoscis: Somnium vero istud sapien- „tioribus Stoicis, ne per somnium quidem in mētem ve- „nisse, adeoq; falso & iniuria ipsis à vobis affingi, luculē- „ter euici, vt tu id nulla arte queas eludere.

Causa prima determinans causas secundas necessitat.

Et vero, quasi intersit, minoremue nostris actionibus, „necessitatem adferat, fidei autē atq; incredulitatis, sa- „lutis ac damnationis non æque securos reddat ineuita- „bile fatum, cuiq; nostrum solius Dei arbitrio impositū „nullo cogente, quam alio superiore fato Deum ipsum „necessitante: tum vero necessitas ista fatalis, an sese ex- „erat per causas atq; influētias siderum, an per Dei ipsius „influxum, siue immediatum in voluntatem & singulas „actiones, siue in causas medias, sua quidem natura libe- „ras, at Dei decreto atq; influxu determinatas ad hoc v- „num, quid refert? dummodo nobis dura lex necessitatis „diuinitus imponatur, sic vt non sit in nostra potestate, „causarumve mediarum libertate, impedire influxum „causæ superioris, decreti seu diuini, oēs causas creatas „vi inuicta flectentis ac determinantis ad eos motus atq; „effectus, quos sibi destinauit: posita quippe causa prima „ineuitabiliter prædeterminante causas secundas ad a- „ctum hunc, fieri nequit, vt idem actus à causis secundis „libere atq; euitabiliter producatur.

Scelera imputant fato, hoc est absoluta Dei voluntati, & antecedenti.

Et hic tu, quasi re bene gesta, Age, inquis triumphator „quid habes quod culpes? Habeo sanè: Quid? Egone ista „vt probem? Quicquid facimus venit ex alto, h. e. ex sen- „tentia tua, à voluntate Dei efficaci, absoluta, atq; ante- „cedente: Ergo & scelera quæcunque facimus, totidem „sint dona Dei, seu mauis, opera, quæ superne descendūt à patre luminum: Rursus:

It cuiq; ratus, prece non vlla
Mobilis ordo.

Puta

Puta etiam in iis, quæ precibus à se impetrari iussit" Deus, quæque adeo nostri officii aut arbitrii aliquatenus" esse voluit : Non autem suæ solius potestatis, vt sunt," Mors inopina, aut vis, aut casus aliquis, absoluto atque" ineuitabili Dei consilio destinatus; cui vulgo accinere" solemus, ita est voluntas Dei; Ergo & deliberando &" precando, & sollicite agendo, etiam ex iussu & volunta-" te Dei reuelata; frustra tamen sumus, oleum atque ope-" ram perdimus nec hilum proficimus : At, quæ ista, prô" Deum! Hyprocrisis atque insania est? preces mandare" simul, & negligere animo, non hominis culpâ, sed sua" solius voluntate culpam omnem antecedente, aduersus" easdem obfirmato atque inexorabili! "

Deus Caluinianorũ cur hypocrita?

Dicendum ex præscripto Iacobi.cap.4.15. Si Domi-" nus voluerit, & viuamus, faciemus hoc aut illud, ibimus" in illã vrbem & agemus annũ vnum, & mercabimur &c." Quid infert? Ergo de cæteris actionibus nostris qubus-" cunq; tandem, idem esto iudicium? Quin igitur ex eo-" dem præscripto dicamus, cras scortabimur, si Deus vo-" luerit: Age, quid habes, quod culpes? nam "

Quicquid facimus, venit ex alto.

Porro vt ad profectionem aut negotiationem à nobis" institutam, impediendam sufficit potestatis ad eam exe-" quendam requisitæ suspensio, vel ablatio; ita ad eandem" promouendam nihil hic opus est Dei voluntate efficace" ac necessitante ad actum hunc: imo vero, quum profici-" sci, negotiari &c. sint actiones arbitrii nostri; ne locus" quidem hic relinquitur isti voluntati, quæ vsum nostri" arbitrii impediat; sed quæ contra, sic eum permittat ar-" bitrio nostro (faciemus hoc, siquidem Deus permise-" rit, &c.) vt nec vitam, nec agendi facultatem nobis sub" trahat, nec cõcursum suum neget, sed præbeat indeter-" minatum ad opus tale; Et porrò consilia atq; actiones"

Arbitrium fato tollitur.

„nostras vsurpet, gubernet, dirigat, ac disponat ad arbi-
„trium suum, in obiectum & finem sibi placitum, siue nos
„eundem intendamus, siue alium. Qui hæc attendit, næ
„ille Deum respiciet in consiliis suis, & ab eius prouiden-
„tia totus pendebit: Ergo (si Dominus voluerit) duplicem
„ponit conditionem ex sententia Caluini.

„ 1. Si tam diu erimus superstites; deinde si Dominus
„concedet, h.e, permittet: fixũ enim in memoria habere
„debebant, nihil se posse, nisi Dei permissu: voluntatẽ au-
„tem intelligit consilium, quo moderatur omnia: nõ quo
„præcise prædeterminat, nedum efficit omnia virtute ir-
„resistibili.

„ Iam quod Esauus fatalem seruitutem etiam cum la-
„crymis detrectare sategit, neq; tamen resipiscentiæ locũ
„inuenit, quid hoc (ais) aliud est? at tu mihi dic prius, à quo
„hoc aliud esse nolis: An ab eo, quod ex Seneca recitasti,
„Quidquid facimus, venit ab alto: omnia certo tramite
„vadunt: Imò, inq̃ ego, hoc longè aliud est ab illo: ideoq;
„& connexũ nego: Esauus fatalem seruiit seruitutem &c.
„Ergo fatalis est rerum omnium, actionumq; necessitas:
„Itidem & aliud ab eo, quod ex S. Iacobo retulisti; Nam
„Esauus quidem inuitus seruiit, Nos vero volentes profi-
„ciscimur & negotiamur: Esauũ resipiscentiæ locũ inue-
„nire, alienæ voluntatis erat, At velle cras huc, illuc profi-
„cisci, nostri est arbitrii, & permissionis diuinæ, nõ volun-
„tatis efficacis; quam tu dum ex istis principiis elicere sa-
„tagis, hoc efficis, vt tua ipsius confessione Zenonis disci-
„pulus audias: Certe enim, nisi tu aliud quid habes, quo
„crimen tantum amoliaris, nõ est q̃ verear, ne quis sanus
„me conuitiatorem redarguat, quoties vos Stoicis affines,
„vestrumque illud dogma fatale piæ sollicitudinis euerri-
„culum, securitatis autem carnalis licentiæ atq; impuni-
„tatis vehiculum quoddam arguo.

Fatum licentiæ curriculum.

„ Sed pro Manichæo-libertinisto Enthusiasmo (quem
vocas)

vocas) auertẽdo, vehementius agis: & post iterũ iterum-"
que, ac tertium ingeminatas querimonias, diabolismos,"
meranatha καὶ Epitimesai se ὁ kyrios: tandem vero quid?" *Rigidus molli restim minitatur.*
crucẽ restim, saxa mihi, te iudice, merenti minitaris, ni-"
si quidem versiculũ istum ex vestris ipsorum paginis le-"
gendum dedero sc. scortatus est, furatus est aliquis: quid"
tum? ne ille quidem hoc fecit, sed Deus in illo. At tu ora-"
tor quidem vehemens es, sed disputator parũ fidus, pa-"
rum attentus ad rem: Neq; enim ista parte epistolæ meæ"
ad Amplissi. Senat. Roterodam. quam tu nunc arrodis, id"
ago ex professo, vos vt libertinismi, ex vestra ipsorũ cõ-"
fessione conuincam, sed vt doctrinæ illius vestræ de præ-"
destinatione inconditionata, de prouidentia Dei, atq; o-"
mnipotente voluntate, prædeterminante ac necessitãte"
voluntatẽ hominis ad singulos actus, siue bonos, siue ma-"
los: huius inq̃, vt doctrinæ vestræ geniũ atq; energeiam"
ad viuũ resecarem, atq; Ampliss. Senatui fructus eius ge-"
nuinos exhiberem: Hoc si te nunc vrit, egone id p̃stem?"
aut, si ego ista nõ totidẽ verbis ex vestris tabulis demon-"
stro, ꝓpterea calumniator, diabolus aut anathema, ma-"
ranatha vt audiam? nunquã tu id efficies vt sine vlla sen-"
tentiæ vestræ iniuria atq; insectatione, nõ liceat eandem"
consequentiis atq; absurdis premere; iis maximè (quale"
hoc est) quæ proximè atq; immediate ex ea deducuntur:"
Tu ipse, si tibi mens integra esset, hoc integrum esse iudi"
cares, neq; hic ipsum tò reton vrgeres, sed consequentiæ"
nodum solueres, aut incideres; si tamen vestram cum Li-"
bertinis affinitatem iterũ iuuat cognoscere, age; quid in"
præfatione mea, quid in limine subsistis? ipsam discerta"
tionem adi, & vide, quam non meis sed vestris verbis ac" *Caluinista Stoico-libertini.*
sententiis libertinicis eam demõstrauerim: nihil hic ista"
repetere opus erat, nisi vt tu imposterum orare, rogare,"
obsecrare, atq; obtestari desinas; Quare, en tibi paucos"
hosce versiculos.

LIBERTINISMVS.

Caluin. Instruct. aduersus Libertinos. Temulenti isti (scil. Libertini) à Deo fieri omnia perstrepentes, eum mali autorem constituunt, &c. At scriptura, inquiunt, in vniuersum pronuntiat, Deũ omnia efficere in omnibus 1. Cor. 12. 6. Ephes. 1.

Beza contra Castell. aphor. 1. 6. Deus energei, id est, efficaciter agit seu efficit omnia, secundum consilium volũtatis suæ, Eph. 1. In quo Pauli dicto vniuersalis particula, nulla quantulacunq; exceptione restringi potest.

Deus vt sagittam, ita dirigit animum impij ad scelus, iuxta Caluinistas.

Ratio in compendium collecta ista est. *Quoscunque Deus arcana vi, tanquam occulto fune, alioquin nescios, ad eos fines, quos ipsi minimè spectant, consequendos trahit. Sic impij, occulta Dei manu, sine vllo suo proposito, ac conatu, & finem ipsis incognitum non secus diriguntur, quam sagittæ ad emittentis scopum sine vllo suo sensu perueniunt.*

Deus in hunc modum trahit & dirigit: non igitur vlla libertas est, sed merum fatum. Hinc neque proemia, nec pœnæ locũ vllum habere possunt: cõtingentia enim tollitur: nec magis rea fuerit conscientia directa in scortationem, aut homicidium, quam sagitta, quæ in corde innocentis fixa stridet. Nec adhortationes ad bonum, nec dehortationes à flagitio efficere quicquam poterunt, cum animos, corporaque, actiones atque omnes earum circumstantias clauo trabali figat sæua necessitas.

Aliter nos scriptura docuit, 1. Cor. 73. 7. & 2. Cor. 9. 7. & Phil. 1. 4. Aliter omnium patrum consensus. Athanasius oratione de idolis. Hil. lib. 1. de Trinit. Basil. quod Deus non sit auctor malorum. Ephrem l. 1. de vitâ spirituali: Ambr. in Psal. 118. 84. Nazianzenus in apolog. 1. Epiphan. in hæres. 16. Nyssen. hom. 4. in cantica. Theophil. Alexandr. in Epist. 3. de Paschate. Claudam verbis Hiero-

Hieronymi l. 2. contra Iouinianum, c. 2. *Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur. Alioquin vbi necessitas est, nec damnatio, nec corona est.* *Necessitas pœnas tollit, & coronam.*

Si igitur immutabiliter inclinata voluntas ab alio, ita vt non agere non possit: nulla est in eâ libertas. Si immutabiliter à Deo tracta peccat, in auctorem omnis culpa refunditur. Cum enim non eodem excusemur modo, quo pecora, quo furiosi, & amentes, cur enim sit culpa necessitate volentium, & non sit culpa naturaliter agentium? *Quod necessitate volumus sine culpa est.*

Duo effugia tentat Scharpius. 1. In nobis esse peccata, quia sponte fiunt ex deliberatione. *Sponte fiunt peccata, sed id quod sponte agit, necessitatem patitur, non sunt peccata.*

Respondeo. Non esse peccata nisi sponte fiant, & cum deliberatione. Verum cum ad deliberationem immutabili necessitate homo aduersariorum sententia trahatur, cum aliter iudicare non possit, ad rationem peccati non facit errantis iudicii necessitas. Non peccat Leo innocentem occidens, quia deliberare non potuit; cur peccat homo qui respectu Dei necessario iudicauit occidẽdum, & ita iudicauit, vt duro fato, nec contrarium iudicare posset, nec à iudicando abstinere, actionemque cohibere posset? Plus igitur excusationis ex eo habetur, vnde accusatio intentatur. Quia ad facinus plus virium habet deliberatio sagittæ instar, immutabili necessitate ad decernendum scelus à Deo directa, quam consultandi, & decernendi impotentia. Siue cœcum, siue videntem ad scelus maior vis necessitet, æquè innocens, qui resistere nõ potest.

Alterum κρησφύγετον etiam absurdius est. Peccata à Deo non fieri vt sunt peccata, sed vt pœnas peccatorum. Nam primum peccatum saltem in solidum Dei erit, non est enim alieni peccati pœna, si primum peccatum est. Deinde quamuis nos recte dicamus, Deum actus malos non definire, multo minus eos velle, & definire, vt sunt mali: neu- *Peccata secundum Caluinianos à Deo fiunt, vt sunt peccata.*

trum tamen illi affirmare possunt. Nam Deus absoluta voluntate, vt illi sentiunt, quosdam damnare decreuit, vtque id iustè exequeretur, peccata vult, definit, ad ea cogit, trahit, ad ea dirigit vt sagittam ad scopum: sed cum ea velit, definiat, dirigat, ad illa trahat, cogat, vt sint iustæ causæ damnationis: necessario ea vult, definit, vt sunt peccata, nam vt sunt peccata, ita sunt iustæ causæ damnationis, non aliter, non alias: Quid clarius? si Caius vult Titium esse pœna dignum, vult igitur esse peccatorem. Si vult esse, quod iustè puniat, vult esse quod malum est, vt malum est.

Hæc igitur summa est impietatis, qua sic arbitrium nostrum tollitur, vt omnium culpam Deus sustinere cogatur.

Dei prouidentia libera libere agere sinit.

Quod vero Ex. 14. 4. Pharao induratur, & Deut. 2. 3. 1. Reg. 10. 26. hominibus incutitur timor, Deus animos immutat, consilia ciuilia disponit. Futura prouidet, nullam adfert necessitatem, nam omnia mouet, vt natura sua cõsentaneè moueri, regique possunt. Augustinus lib. 7. de ciuitat. Dei cap. 30. *Sic enim Deus administrat omnia, quæ creauit, vt etiam proprios exercere, & agere motus sinat. Nos vero ita habemus liberum arbitrium, & non nisi eo peccamus.* Augustinus tres libros de libero arbitrio scripsit, quibus nostram fidem contra Manichæos, & Stoicos asseruit: lib. 3. cap. 1. *Neque*, inquit, *vlla culpa deprehendi potest, vbi natura necessitasq́ dominatur*, & cap. 18. *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caueri potest? Peccatur autem: caueri igitur potest.* Et lib. 5. de ciuit. cap. 10. *Neque enim & vitam Dei & præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus, necesse est Deum semper viuere & cuncta præscire: sicut nec potestas eius minuitur, cum dicitur, mori fallique non posse. Sic enim hoc non potest, vt potius si posset, minoris esset vtique potestatis. Recte quippe omnipotens dicitur: qui tamen mori & falli non potest. Dicitur enim omnipotens faciendo quod*

Quædam velle non possumus, & liberi tamen sumus.

vult,

vult, non patiendo quod non vult. Quodsi ei accideret, nequaquam esset omnipotens. Vnde propterea quadam non potest, quia omnipotens est. Sic etiam, cum dicimus: necesse esse: vt cum volumus: libero velimus arbitrio: & verum procul dubio dicimus, & non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati subijcimus, qua adimit libertatem.

. Et lib. de vera religione cap. 14. *Nunc vero vsque adeo peccatum voluntarium est malum, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium: & hoc quidem manifestum est, vt nulla tum doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Quare autem negandum est peccatum committi, aut fatendum est voluntate committi. Non autem rectè negat peccasse animam, qui & pœnitendo eam corrigi fatetur, & veniam pœnitenti dari, & perseuerantem in peccatis iusta lege Dei damnari. Postremo, si non voluntate malè facimus, nemo obiurgandus est omnino, aut monendus: quibus sublatis Christiana lex & disciplina omnis religionis auferatur necesse est. Voluntate ergo peccatur. Et quoniam peccari non dubium est, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim seruos suos meliores esse Deus iudicauit, si ei seruirent liberaliter. Quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate seruirent.*

Peccatum omnino est voluntarium.

Hunc vero errorem esse Manichæorum, testatur Augustinus l. de fide contra Manichæos.

Obiicit tamen Scharpius Augustinum in Enchir. c. 105. *Neque culpanda est voluntas, aut volũtas non est, aut libera dicẽda nõ est, qua beati esse sic volumus, vt esse miseri non solum nolimus, sed nequaquã prorsus velle poßimus. Sicut ergo nũc etiã anima nostra nolle infelicitatẽ, ita tum nolle iniquitatem semper habitura est. Sed ordo prætermittendus non fuit, in quo Deus voluit ostendere, quam bonum sit animal rationale, quod etiam peccare poßit, quamuis sit melius quod peccare nõ poßit, sicut minor fuit immortalitas: sed tamen fuit in qua posset etiam mori, quamuis maior futura sit, in qua non poßit mori.*

Respon-

Respondeo non recte quidem citari locum à Scharpio, nam causalem addit: (quia quâ beati esse volumus) quæ in Augustino non est. Deinde solutionem à Bellarmino adhibitam omisit, cum tamen ex eo obiectiones scripserit. Non enim sic dicimus liberum arbitrium, vt omnia velle possit, aut omnia nolle: non enim potest velle miser, nec nolle beatus esse. Quamuis eatenus liber sit, vt cessare ab vtraque actione possit.

Non igitur ad rem facit, quod adfert: Voluntas libera est, sed non in omni actu: non potest velle esse miser quisquam, nec in eo liber est, sed aliis in rebus libertas quærenda est. Est tamen quædam in illa ipsa actione libertas, qua potest ab actione desistere. Atque hoc est, quod Theologi pariter & Philosophi docent: Voluntatem liberam esse quoad exercitium actus, non autem quoad specificationem, seu speciem.

Hunc locum percommodè exponit Augustinus lib. 5. cap. 10. de ciuitate Dei, non l. 2. vt perperam citat Scharpius: Verba Augustini sunt: de Ciuit. Dei cap. 10. *Si illa definitur necessitas, secundum quam dicimus necesse esse vt ita sit aliquid vel ita fiat, nescio cur eam timeamus, ne nobis auferat libertatem voluntatis.*

3. Idem l. de Nat. & Grat. cap. 45. *Perquam absurdum est, vt ideo dicamus non pertinere ad voluntatem nostram, quod beati esse volumus, quia id omninò nolle non possumus, nec dicere audemus Deum non voluntatem, sed necessitatem habere iustitiæ, quia non potest velle peccare.*

4. Bernard. serm. 8. 1. in Cantic. *Nescio quo prauo & miro modo ipsa sibi voluntas peccato quidem & in deterius mutata necessitatem faciat, vt necessitas cum voluntaria sit, excusare non valeat voluntatem, nec voluntas cum sit illecta, excludere necessitatem.*

Et post, *Ancilla tenetur voluntas & libera, Ancilla propter*

pter neceßitatem, libera propter voluntatem, & quod magis mirum, magiſque miſerum eſt, eò rea quo libera, eoque ancilla quo rea: ac per tot eo ancilla quo libera.

5. Thom. Aquin. quæſt. 10. de pot. artic. 2. 5. *Ait ſolam coactionem repugnare naturali libertati voluntatis.*

Vbi hoc ſolum dicet, non ideo Deum non eſſe liberum, quia neceſſario eſt, & quia quædam non poteſt velle, aut facere, Parique modo voluntatis libertas non aufere- tur, quamuis quędam neceſſario velit, vt felicitatem, quędam neceſſario nolit, vt miſeriam. Deum vero libere eſſe, aut libere non peccare, nemo Theologorum vnquam dixit. *Deus libere non eſt.*

Sic quoque illa verba intelligenda ſunt, quæ ait eſſe l. de nat. & gratiâ, cap. 45. ſed in meis exemplaribus cap. 46 ſunt.

Voluntatis enim eſt, quod naturaliter & neceſſario volumus, liberum non eſt. Et voluntas quædam neceſſaria, non libertas.

S. Bernardus neceſſitatem voluntariam intelligit: Ideo vim quandam à voluntate eſſe affirmat, ſed quâ ingenita libertas non auferatur. Quæ illa ſit neceſſitas exponit. *Eſt enim neceßitas hæc quodammodo voluntaria. Eſt fauorabilis vis quædam premendo blandiens, & blandiendo premens: vnde ſeſe rea voluntas, vbi ſemel peccator conſenſerit: nec excutere iam per ſe, nec excuſare tamen vllatenus de ratione queat. Inde querula illa vox veluti gemētis ſub onere neceßitatis huius: Domine, inquit, vim patior, reſponde pro me. Sed rurſus ſciens quod non iuſtè cauſaretur aduerſus dominum, cum voluntas ſua ipſius potius in cauſſa foret, attende quid ſecutus intulerit. Quid dicam aut quid reſpondebit mihi cum ipſe fecerim? Premebatur iugo. non alio tamen quam voluntariæ cuiuſdam ſeruitutis, & erat pro ſeruitute quidem miſerabilis, ſed pro voluntate inexcuſabilis.*

Sermon. 81. non 8.

Vis illa voluntatis blanditie, non neceſſitate trahit.

 Addit

Addit verò volűtatem teneri,sed volentem,& seipsam tenere voluntatem.

S.Bernardus voluntatis liberæ assertor est.

Quam vero libertatem probet,hæc eius verba ostendunt. *Arbitrij libertas hæc est,plane diuinum quiddam præfulgens in anima tanquam gemma in auro. Ex hac nempe inest illi inter bonum quidem & malũ,necnon inter vitam & mortem,sed & nihilominus inter lucem & tenebras,& cognitio iudicij & optio eligendi: & si qua sunt alia quæ similiter circa animi habitum sese & regiones respicere videantur: nihilominus inter ipsa censorius quidam arbiter is animæ oculus diiudicat & discernit: sicut arbiter in discernendo ita in eligendo liber. Inde & liberum nominatur arbitrium, quod liceat versari in his pro arbitrio voluntatis. Inde homo ad promerendum potis. Omne etenim quod feceris bonum malumue quod quidem non facere liberum sit, meritò ad meritum reputatur. Et vt meritò laudatur non is tantum qui potuit facere mala & non fecit, sed & qui potuit non facere bona & fecit: ita malo non caret merito tam is qui potuit non facere mala & fecit,quam qui potuit facere bona & non fecit. Vbi autem non est libertas,nec meritum. Propterea quæ sunt carentia ratione animalia nihil merentur: quia sicut deliberatione,ita & libertate carent. Sensu aguntur,feruntur impetu, rapiuntur appetitu. Neque enim iudicium habent, quo se dijudicent siue regant, sed ne instrumentum quidem iudicij idest rationem:inde est quod non iudicantur,quia non iudicant. Quanam quippe ratione ab his exigatur ratio quam non acceperunt.Hanc vim à natura solus homo non patitur, & ideo solus inter animantia liber. Et tamen interueniente peccato patitur quamdam vim & ipse, sed à voluntate non à natura, vt ne sic quidem ingenita libertate priuetur. Quod enim voluntarium & liberum. Et quidem peccato factum est, vt corpus quod corrumpitur, aggrauet animam, sed amore, non mole. Nam quod surgere anima per se iam non potest, quæ per se cadere potuit:voluntas in causa est, quæ corrupti corporis vitiato ac vitioso amore languescens & iacens, amorem pariter iustitiæ non admittit.*

Hæc

Hæc sanctissimus ille Abbas, qui in libertate meritū collocat, quod aduersarij etiam Christo negant. Si igitur de statu Religionis interroges. Magna pars qui sanctos PP. reiecerunt, Zenonem, & Stoicos imitantur.

Alterum controuersiæ caput est, de necessitate peccandi. *Omne enim opus hominis non regeniti peccatum esse fingunt, imo omne opus etiam hominum sanctorum ex se peccatum esse, sed gratia Christi tegi.*

Hanc hæresin Arminiani, & alij detestantur.

Quam hoc absurdum, quamque cœlum ac terram misceat illa hæresis, docet Belgarum ab ea recessus. Adolphus Venator in sua defensione. *Sane illa (inquit) approbare non possum, quæ istis male fundatis hypothesibus ἀγράφοις, & rationi contrariæ prædestinationis superstruuntur. Videlicet: virtutes omnes, quinimo præstantissima quæque opera Ethnicorum, quæ longe multumque vitam plurimorum Christianorum antecellunt, nec pro alijs, quam quæ charitati Dei, & proximi conformia sunt, censeri possunt, qualis est ista à peccatis omnibus intemperantiæ, iræ, ambitionis, auaritiæ & similibus abstinentia pauperum & miserorum per pecuniarum subministrationem, & auxilium in necessitatibus subleuatio & consolatio &c. isthæc inquam opera mereri æternum ignem, peccataque & abominationes apud Deum esse. Quin imo si pater infantem suum ex aqua atque ignis discrimine eripiat, abominandum esse peccatum, quod iram Dei & æternam damnationem mereatur. Porro quo plus faciant boni, eo plus peccare Ethnicos, omnem ipsorum fidelitatem, & cordis synceritatem, omnes ad Deum preces, ingentia fuisse delicta, etiam eorum qui vnum illum solum Deum professi sunt.*

Hinc igitur magna pars abscessit, cum nihil absurdius iudicarent, quam omnia omnino esse peccata, quæcunque cogitarent, aut molirentur.

Quid enim certius, quam Deum etiam impiorum opera remunerare? Achab corā Deo humiliatus est, & pęnam auertit.

Substantia operũ bona esse potest bona.

At sane peccato Deus non placatur. Concedit Scharpius, cum substantia operum bona est Deum remunerare illa, ex gratia promissionis: at si substantia bona est, potest & finis, & modus esse bonus: possunt enim obstetrices parcere natis hebræorum, idque propter Deum, & prudenter celando. Possunt mali etiam nolle esse mali, simplicemque cogitationem concipere, quâ velint sese conuertere.

Scharpius sane in nostras partes vel inuitus transit, cum dicit. pag. 521. *Deum externam obedientiam, externa cum remuneratione compensare.* Si externam obedientiam, cur non multo magis internam?

Omnem virtutem tam portentosa doctrina exscindi, nemo dubitat. Quomodo enim peccatorem hortaberis, vt rectè agat, si omnia bona opera sint crimina, quibus ad inferos præcipitatur: nec iuuat quod operis substantia sit bona, cum boni operis æternas pœnas in morte sit pendendum.

Ex malo quadam bona sunt.

Mens, inquiunt, & voluntas polluta est, nihil igitur inde boni oriri potest, arbor mala non potest bonos fructus facere. Sed facilis responsio. Pollutæ mentis aliquod opus esse posse, quod malũ non est: quemadmodum ipsum eius esse malum non est. Malum enim purum esse sine boni admistione non potest. Arbor mala est mala doctrina, est cupiditas mala, quæ opera bona nulla facit.

Verum iam hac in parte Arminiani, aliique ad nos redierunt, veteresque damnarunt Sectarios.

De tertia parte multo absurdius sentiunt: cum negant gratiæ primæ liberum arbitrium cooperari, assentiendo. Sic enim plane stipites ex hominibus efficiunt, truncosque, cum recte doceat Augustinus, *nos agi & agere.*

CAPVT

CAPVT XXXVI.

De statu religionis quoad controuersiam de iustitia?

GRAVISSIMA est de iustitia, & de iustificatione controuersia. Omnia enim eo diriguntur, vt iusti, Deoque cari viuamus, & moriamur: Si igitur iustitia excidisse summum mali est, & iustificari summum huius vitæ bonum: ex hac præcipuè doctrina de statu religionis iudicandum est. Talis est namque religio, fidesque, qualis est iustitia crędentium. *Iustitia credentium est iudiciũ qualis sit religio.*

De iustificationis doctrina nos pleraque iubila accusant. Prolixissime Scharpius, breuiter Henricus Altingus in oratione sæculari pag. 52. & 53 *Beneficia an religiosius seruarit,* (Pontifex) *videamus præcipua breui, sed aureo aphorismo. Apostolus 1. Cor. 1. Christum, inquiens, factum nobis à Deo sapientiam, Iustitiam, Sanctificationem & Redemptionem. Omnia hæc impiis, exitialibus erroribus in papatu corrupta fuisse & deformata absque Papistarum iniuria dixero. Fides quam sapientiæ nomine designat Apostolus, ipsis nudus assensus est doctrinæ etiam incognitæ; quæ per ignorantiam rectius definiatur, quam per notitiam: Aliena est fiducia misericordiæ diuinæ vsque adeo, vt gratiæ specialis promissionem ne leui quidem obtutu respiciat: separata à Spe, Charitate, ac amabili illo virtutum Christianarum Choro: ita deniquc natura sua comparata, vt impij hypocritæ, & , quod horrendum dictu, ipsi Diaboli non minus quam verè fideles obtinere eam ac possidere queant.* *Fides assensus est doctrina speciatim & generatim cognita.* *Impiorum potest esse vera fides, diabolorũ non est fides, sed actu credũt, qui similis est nostro actui.*

Iustificationem peragi docuerunt & docent non Imputatione Iustitiæ Christi, sed charitatis habitualis infusione; negant esse ex fide, per fidem vt quæ ad iustificationem tantum disponat; vel solius Christi meritis obtineri, cum in censum eius veniant quoque merita nostra ac aliorum, inprimis vero laboriosa superstitiosorum opera, & periculosa sceleratorum quorundam facinora, *Calumnia est, nos talem doctrinam damnamus.*

nora, siue sponte suscepta, siue à viris prudentibus ac grauibus imperata.

Hoc docent etiam Remonstrantes.

Certitudinem de remissione peccatorum, Perseuerantia, æterna Beatitudine nullam haberi aiunt, nisi coniecturalem & fallacem; vt de gratia Dei præsente, futura certo confidere sit temeraria præsumptione seipsum præcipitare.

Sanctificationem vt perfectam in hac vita, sic meritoriam fingunt: Huius beneficio renatos asserunt omnia Dei mandata non modo absolute seruare posse, sed etiam superare, adeoque indebiti obsequij auctario summum legis rigorem excedere: opera vero sic edita meritoria esse vitæ æternæ, ex congruo pariter & condigno, tam propriæ dignitatis, quam pacti diuini respectu: In meritis suis posse hominem fiduciam collocare in iudicio Dei, quæ Deum debitorem faciant ad vitam ex debito ei reddendam, ita quidem vt nisi reddat accusari iniustitiæ, iniuriarum postulari à creaturis creator possit.

Deus debitorem se promittẽdo facere potest.

Scharpius controuersias de his sex & decem disputat: aliorum sunt eadem in nos conuitia.

Mihi facilimum est ostendere, Catholicæ Ecclesiæ sententiam de iustificatione esse sanctissimam, vetustissimam, scripturæ consentaneam, sibi consentientem: opiniones aduersariorum esse profanissimas, indies mutari, alienas à scriptura, inter se pugnantissimas. Doctrina nostra hæc est, quam concilium Tridentinum sessione sexta capitibus sedecim explicuit, deinde hæreses damnauit canonibus triginta tribus.

Canon I. Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ, vel per legis doctrinam fiant, absque diuina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo: anathema sit.

Canon II. Si quis dixerit, ad hoc solum diuinam gratiam per Christum Iesum dari, vt facilius homo iuste viuere ac vitam æternam promereri possit; quasi per liberum arbitrium sine

sine gratia vtrumque, sed ægrè tamen & difficulter possit: anathema sit.

Canon III. Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei Iustificationis gratia conferatur: anathema sit.

Canon IV. Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam Iustificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passiuè se habere: anathema sit.

Canon V. Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique à Satana inuectum in Ecclesiam: anathema sit.

Canon VI. Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita vt bona; Deum operari non permissiuè solum, sed etiam propriè, & per se, adeo, vt sit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli: anathema sit.

Canon VII. Si quis dixerit, opera omnia quæ ante Iustificationem fiunt, quacunque ratione facta sint verè esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum grauius peccare: anathema sit.

Canon VIII. Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere; anathema sit.

Canon IX. Si quis dixerit sola fide impium iustificari, ita vt intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi: anathema sit.

Canon

Canon X. Si quis dixerit, homines, sine Christi iustitia per quam nobis meruit, iustificari, aut per eam ipsam formaliter iustos esse; anathema sit.

Canon XI. Si quis dixerit, homines iustificari vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & caritate, quæ in cordibus per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum fauorem Dei: anathema sit.

Canon XII. Si quis dixerit, fidem iustificantem nihil aliud esse, quam fiduciam diuinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua iustificamur: anathema sit.

Canon XIII. Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, vt credat certo, & absque vlla hæsitatione propriæ infirmitatis & dispositionis peccata sibi esse remissa: anathema sit.

Canon XIV. Si quis dixerit, hominem à peccatis absolui, ac iustificari ex eo, quod se absolui ac iustificari certo credat, aut neminem verè esse iustificatum, nisi qui credat se esse iustificatum, & hac sola fide absolutionem & iustificationem perfici: anathema sit.

Canon XV. Si quis dixerit, hominem renatum, & iustificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero prædestinatorum: anathema sit.

Canon XVI. Si quis magnum illud vsque in finem perseuerantiæ donum se certo habiturum, absoluta, & infallibili certitudine dixerit; nisi hoc ex speciali reuelatione didicerit: anathema sit.

Canon XVII. Si quis iustificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, vtpote diuina potestate prædestinatos ad malum: anathema sit.

Canon XVIII. Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam iustificato,

iustificato, & sub gratia constituto, esse ad obseruandum impossibilia: anathema sit.

Canon XIX. Si quis dixerit nihil præceptum esse in Euangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neq; præcepta, neque prohibita, sed libera: aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos: anathema sit.

Canon XX. Si quis hominem iustificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit, non teneri ad obseruantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ, sed tantum ad credendum: quasi vero Euangelium sit nuda & absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione obseruationis mandatorum: anathema sit.

Canon XXI. Si quis dixerit, Christum Iesum hominibus datum fuisse à Deo vt redemptorem, cui fidant, non etiam vt legislatorem, cui obediant: anathema sit.

Canon XXII. Si quis dixerit, Iustificatum, vel sine speciali auxilio Dei, in accepta iustitia perseuerare posse: anathema sit.

Canon XXIII. Si quis hominem semel iustificatum dixerit, amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atq; ideo eum qui labitur, & peccat, nunquam verè fuisse iustificatum, aut contra posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia: anathema sit.

Canon XXIV. Si quis dixerit, iustitiam acceptam non cõseruari, atq; etiam augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse iustificationis adeptæ, nõ autem ipsius augendæ causam: anathema sit.

Canon XXV. Si quis in quolibet bono opere iustum saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atq; ideo pœnas æternas mereri; tantumq; ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem: anathema sit.

Canon XXVI. Si quis dixerit, Iustos non debere pro bonis

operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & sperare æternam retributionem à Deo per eius misericordiam, & Iesu Christi meritum, si bene agendo, & diuina mandata custodiendo vsq; in finem perseuerauerint: anathema sit.

Canon XXVII. Si quis dixerit nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio quantumuis graui aut enormi præterquam infidelitatis, peccato, semel acceptam gratiam amitti: anathema sit.

Canon XXVIII. Si quis dixerit amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti; aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viua; aut eum, qui fidem sine caritate habet, non esse Christianum: anathema sit.

Canon XXIX. Si quis dixerit, eum, qui post Baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere; aut posse quidem, sed sola fide amissam Iustitiam recuperare sine Sacramento Pœnitentiæ, prout sancta, Romana & Vniuersalis Ecclesia, à Christo Domino, & eius Apostolis edocta, hucusq; professa est, seruauit, & docuit: anathema sit.

Canon XXX. Si quis post acceptam Iustificationis gratiam cuilibet peccatorum pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere possit: anathema sit.

Canon XXXI. Si quis dixerit, Iustificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis operatur: anathema sit.

Canon XXXII. Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera, ita esse dona Dei, vt non sint etiam bona ipsius iustificati merita; aut, ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Iesu Christi meritum, cuius viuum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atq; etiam gloriæ augmentum: anathema sit.

Canon XXXIII. Si quis dixerit, per hanc doctrinam Catholicam

licam de Iustificatione, à sancta Synodo, hoc præsenti decreto expressam, aliqua ex parte gloriæ Dei, vel meritis Iesu Christi Domini nostri, derogari, & non potius veritatem fidei nostræ, Dei denique, ac Christi Iesu gloriam illustrari: anathema sit.

Ab hac antiqua veritate qui abierunt in alia omnia, atque adeo in absurdissima dogmata impegerunt. *Opiniones hæreticorum.*

Primo. Nullam fidem implicitam agnoscunt.

Secundo. Fidem esse certam cognitionem remissionis peccatorum.

Tertio. Hanc fidem non esse de articulis fidei; Deum esse creatorem cœli & terræ, &c. Sed tantum de voluntate Dei, qua scimus nos ab eo prædestinatos. ita Rigidi Caluiniani.

Quarto. Obiectum fidei præcipuum esse promissiones gratiæ.

Quinto. Pios & fideles nullo scelere posse à fide deficere. ita Rigidi.

Sexto. Fideles irresistibili potentia in fide teneri.

Septimo. Fidem non posse à caritate, & virtutibus separari. Rigidi Caluiniani.

Octauo. Sola nos fide correlatiue iustificari.

Nono. iustitiam nobis non inhærere.

Decimo. Imputari nobis Christi iustitiam.

Vndecimo. Imputari nobis Dei essentialem iustitiam. ita Osiandrini.

Duodecimo. Iustitiam consistere in sola remissione peccatorum.

Decimo quarto. Fidem vt opus, esse ad salutem necessariam. ita Arminiani.

Decimo quinto. Obedientiam Christi actiuam ad iustificationem non pertinere Piscator arbitratur, vol. 1. loc. 15. thesi 18.

Decimo sexto. Obedientiam actiuam omnia perficere.

cere Sadeel p.3.p.288.Bucanus,& alij. Et Synodus Vappiniensis anno 1603. die 23. Octob. scripsit quoq; contra eum errorem Eckardus librum singularem.

Decimo septimo. Si obedientia Christi actiua nobis imputatur ad iustitiam, non opus fuit Christum mori. ita Mentzerus vt eius dictata recenset Eckardus.

Decimo octauo. Vna oblatio consummat sanctificationem. Heb.10.14. Hæc est effusio sanguinis, nihil igitur opus est actiua sanctitate.

Decimo nono. Nonnulli sic apud Eckardum argumentantur: si Christus pro nobis legi obediuit, non est necesse nos obedire. At necessum est nos obedire legi. Ergo Christus non obediuit pro nobis legi.

Vicesimo. Quidam parentum fide saluari filios credũt. Perckins. in Casibus conscient. c.29.1. Beza vol.3. fol.346. negat, idque tam absurdum esse ait, quam si dicatur anima aliena viuere. idem ad acta Colloq. Mompelg. aliter sentit. p.102.

Vicesimo primo. Iustificationis duæ sunt partes; Remissio peccatorum, & iustitiæ imputatio. ita Polan. in partit. p.166. & Vorst. 2. Thessar. p.57. negat Piscator vol. 1. p.250. th.15.

Vicesimo secundo. Nullus remissionem peccatorum consequitur, nisi electus. ita plerique rigidi, & contr-Remonstrantes. Contra Musculus, Lutherani, & alij.

Vicesimo tertio. Reprobi nunquam vere credunt; Ideo hi nunquam accipiunt vere remissionem peccatorum Vrsinus Catech. q.56. pag.370.

Vicesimo quarto. Viuificatio nostri est omni spirituali operatione prior. ita Sibrandus pag.49. in declarat. responsionis; cuius & hæc sunt, quæ sequuntur.

Vicesimo quinto. Resipiscentia nostra non est causa, sed effectũ; neq; est antecedens, sed consequens iustificationis. p.50.

Vice-

Vicesimo sexto. Humanum commentum est, Deum nobis decreuisse salutem cum hac conditione, si resipisceremus. P. 50.

Vices. septimo. Qui dicit Deum esse primarium autorem eorum omnium, quæ Christus ob salutem nostram olim fecit &c. is clam ingerit, Christum non esse Deum P. 51.

Vicesimo octauo. Deus seruauit nos non ex operibus nostris (2. Timot. 1.) *Ergo non seruabit nos ob præcedentem resipiscentiam.* P. 53.

Vicesimo nono. Seruat nos Deus ex proposito suo. Ergo non ob impletam pœnitentiæ conditionem. P. 53.

Tricesimo. Data nobis est gratia in Christo ante tempora secularia. Ergo salus non est nobis decreta cum conditione pœnitentiæ P. 53.

Tricesimo primo. Resipiscentia nostra sequitur prædestinationem nostri: Ergo salus non est nobis decreta cum conditione resipiscentiæ. P. 54.

Tricesimo secundo. Qui dicit, Christum per acceptilationem quandam pro nobis satisfecisse, veram Christi satisfactionem negat, & tantum exemplarem agnoscit. P. 58. 59.

Tricesimo tertio. Apostolus Phil. 3. 9. obedientiam suam à causis iustificationis prorsus remouet, cum ait: Vt inueniar in eo non habens meam iustitiam &c. P. 60.

Tricesimo quarto. Locus ille Lu. 13. 3 nisi resipueritis, omnes itidem peribitis. Item ille Act. 3. 19. Resipiscite vt deleantur peccata vestra, &c. Non notant causam liberationis ab interitu seu deletionis peccatorum, sed tantum, quinam, & quales sint, qui liberantur. P. 64. 65.

Tricesimo quinto. Deus Ezech. 18. 24. *inquiens. Si iustus defecerit à iustitia sua, &c. Non loquitur de homine verè iustificato: sed de eo qui apparenter talis est. Sic etiam Apostolus.* 2. *Pet.* 2. 20. 21. *&c.* P. 65.

Tricesimo sexto. Quos Deus ob satisfactionem Christi, ipsis iam imputatam, à peccatis absoluit, eos iure ob peccata ipsorum ad-

rum adhuc punire posset: neq; si id faceret, duplicem satisfactionem exigeret. P. 66. 67.

Tricesimo septimo. Iustificamur obedientia Christi: Rom. 5. 19. Ergo hæc nobis imputatur ad iustitiam. P. 77.

Tricesimo octauo. Fides propriè dicta non imputatur nobis ad iustitiam. 76.

Tricesimo nono. Fides viua, & per charitatem operans, quatenus talis est, non imputatur nobis ad iustitiam. P. 86. 87. 88.

Quadragesimo Falsum est, verbum imputandi, in materia iustificationis coram Deo (& quidem in loco Rom. 4. vbi Imputationis præcipua mētio fit) habere triplicem illum vsum, quem Vorstius in Scholys ad locum Rom. 4. ostenderit. P. 92. 93. 94. 95.

Quadragesimo primo. Iustitia est ex fide (Rom. 10. 6.) & per fidem (Phil. 3. 9.) Ergo non est ipsa fides. Item fides est hypostasis sperandorum &c. (Heb. 11. 1.) Ergo non est ipsa iustitia. Deniq; iustificamur iustitia, non nostra (Phil. 3. 9.) Ergo fides non est ipsa iustitia. P. 91.

Quadragesimo secundo. Scriptura vbiq; docet, Abrahamum non esse iustificatum ex operibus. Itaq; affirmatio contraria falsa est. P. 95. 96.

Quadragesimo tertio. Apostolus Rom. 4. 5. per τὸν ἐργαζόμενον, siue operantem, non intelligit eum, qui legem Dei perfectè perpetuoq; præstat: Sed eum, qui bona opera quocunq; modo facit &c. P. 96.

Quadragesimo quarto. Iustificatio fidei fit per gratiam. Ergo non ex operibus (puta quocunq; tandem modo acceptis) quippe quæ omnia in vniuersum à iustificatione excluduntur. P. 95. 96. 97.

Quadragesimo quinto. Iustitia constans operibus meis, tuis, est mea, tua &c. At nemo sua iustitia iustificatur (Phil. 3. 9.) Ergo nemo suis operibus iustificatur. P. 97.

Quadra-

Quadragesimo sexto. Iustificamur obedientia vnius Iesu Christi (Rom. 5. 19.) Ergo nullo modo obedientia nostra, aut operibus nostris. P. 97.

Quadragesimo septimo. Non erat olim controuersia inter Paulum Apostolum, & Iudæos, an homo ex perfecta legis obseruatione iustificari posset. P. 97. 98.

Quadragesimo octauo. Deus iustificat impium, non qui desinit impius esse, sed qui adhuc impius est: Et talem impiũ intelligit Apostolus Rom. 4. 5. P. 99. 101.

Quadragesimo nono. Homo non agit pœnitentiam, antequam iustificatus sit, adeoq; ne potest quidem. P. 99.

Quinquagesimo. Locum Iac. 2. 21. 26. miserè deprauat, qui ait Apostolum non de offensione iustitiæ apud homines, sed de vera iustificatione coram Deo loqui item qui ait, ex operibus iustificari istic idem esse, quod ex fide operante iustificari &c. P. 99. 100. 101.

Quinquagesimo primo. Ex loco Col. 2. 13. Vos mortuos in peccatis viuificauit, condonatis vobis peccatis vestris, &c. rectè colligitur pœnitentiam non praire iustificatione: sed impium iustificari dum adhuc actu impius est. P. 101.

Quinquagesimo secundo. Certissima regula est, bona opera non praecedunt iustificandum, sed sequuntur iustificatum. Itaque impossibile est, impium per pœnitentiam iustificari. P. 101.

Quinquagesimo tertio. Operibus iustificari, & fide per charitatem operante, in S. Scriptura nunquam æquipollent, sed semper opposita sunt. P. 101. 102.

Quinquagesimo quarto. Locus Iac. 2. 21. non de ipsa iustificatione coram Deo, sed eius tantum declaratione apud homines, accipi debet. Et sic vniuersa Ecclesia Reformata de hoc loco sentit. P. 102. 103.

Quinquagesimo quinto. Fides & opus Apostolo sunt opposita. P. 103.

Quin-

Quinquagesimo sexto. Si viua fides, quatenus viua, nobis imputatur ad iustitiam, sequitur obedientiam Christi nobis non imputari. P.110.

Quinquagesimo septimo. Fides & obedientia differunt, tanquam causa & effectum. Item, fide accipimus aliquid à Deo: obedient a vero aliquid Deo damus. P.77.78.

Tam varia sunt, tamque pugnantia de iustificatione iudicia, & cum inter se infestissime digladientur, nos tamen accusant.

Magna hæc est errorum cohors, & planè inferis digna, vt permirum sit, eos qui ita sentiunt, de iustificatione mentionem inferre.

Primo negant vllam fidem implicitam esse. Et ne desit materia calumniandi, prorsus aliter statum quæstionis formant, quam oporteat. Ita Scharpius de iustificatione contr. 1. col. 816. Nos vero concedimus fidem posse dici implicitam duplici respectu.

Fidem implicitam etiam agnoscunt aduersarij.

I. *Respectu notitiæ, quia Pij simul semel omnia ad salutem necessaria distinctè non cognoscunt & explicitè, vt vel ipsi Apostoli initio multa distincte non cognouerunt, vt mysteriũ mortis & resurrectionis Christi, item nec statum regni Christi, nec vocationem gentium, atq; ita quia in hac vita ex parte tantum intelligimus, & per gradus, concedimus hoc respectu fidem dici posse implicitam.*

II. *Respectu apprehensionis & sensus particularis gratiæ, & Misericordiæ in Christo, quia aliquando accidit, vt qui reuera fideles & electi sunt, distinctè & certè non possint affirmare se credere remissionem peccatorum, sed se cupere cum Christo fide coniungi, quod accidit vel in prima ad Deum conuersione, quæ quidem fides dicitur, Ioh. 4. 39. 5. 3. vel tempore alicuius grauissimæ tentationis, quod quidem locum habet tantum ad tempus, gradus enim suos habet fides, tum in notitia, tum in promissionum applicatione. At de fide implicita, vt his*

modis

modis sumitur, non est quæstio inter nos & Pontifices, sed de fide & communiter in iustificatis est. Nos ergo affirmamus, quod fides non sit assensus in rem incognitam, sed quod ad fidem requiratur notitia verbi, & præcipuè promissionū, freti his argumētis.

Nos verò primo illo modo dicimus fidem implicitam: Nam multorum piorum inerudita simplicitas omnibus vt verissimis assentitur, quę biblijs continentur, quanquā quæ sint ea non constet omnibus.

Nemo pene est, qui nō aliqua credat implicite.

Nec assensū sine notitia esse dicimus, quomodo enim assentimur, de quo nihil nobis indicatū est? Sed sine clara cognitione, sine distincta & explicita cognitione. Id Bell. l. 1, de iustificat: c. 5. vt citat Scharpius, nos docet. Verba Bell. sunt. *Quod autem fides iustificans non sit propriè notitia, sed assensus in rem etiam incognitam, probat illud, (argumentū non apparentium) hinc enim intelligimus fidei officium non esse, efficere, vt res obscuræ fiant perspicuæ, sed vt credantur, etiāsi non appareant. Mirè enim coniunxit Apostolus (argumentum) cum (non apparētium) vt significaret, fidem id facere, quod faciunt argumenta, sed alio modo. Nam argumenta & maximè demonstrationes, faciunt, vt intellectus omnino assentiatur, sed hoc faciunt, per euidentiam rei intellectum conuincendo, dum causas ipsas, & proprietates aperiunt. At fides facit quidem, vt intellectus omnino assentiatur, sed non per euidentiam rei, & notitiam causæ, & proprietatum, sed credendo auctoritati dicentis. Itaq; in fide manet res obscura vt antea erat, sed creditur propter auctoritatem dicentis: non igitur fides proprie loquendo est notitia, sed assensus.*

Assensus nunquam est sine omni cognitione.

Cap. 7. Bellarminus non tollit à fide cognitionem, sed claram.

Denique in eo qui credit, duo sunt, apprehensio & iudicium, siue assensus: sed apprehensio non est fides, sed aliquid fidem præcedens. Possunt enim etiam infideles apprehendere mysteria fidei. Præterea apprehensio non dicitur propriè notitia, si sit

Clara cognitio non est in fide.

rudis, & confusa: distincta autem, & perspicua non necessario requiritur ad fidem. Nam accidere potest, vt Philosophus Ethnicus apprehendat non solum confuse, sed etiam distinctè mysterium Trinitatis, & subtilissimè intelligendo discernat essentiam, & relationes, atque alia id genus, & tamen non credat: Contra autem rusticus Catholicus, non apprehendat nisi confuse tria illa nomina, & tamen verè credat.

Iudicium autem, siue assensus duplex est. Alter enim sequitur rationem, & euidentiam rei, alter auctoritatem proponentis: prior dicitur notitia (si propriè loqui velimus) posterior fides. Sic enim loquitur Sanctus AVGVSTINVS, *in libro de vtilitate credendi, capite vndecimo. Quod (inquit) intelligimus aliquid, rationi debemus; quod autem credimus, auctoritati. Igitur mysteria fidei, quæ rationem superant, credimus, non intelligimus, ac per hoc fides distinguitur contra scientiam, & melius per ignorantiam, quam per notitiam definitur.*

Hinc apparet nos claram negare fidei cognitionem, & euidentem, quam si illi promittunt, iam Manichæis & Circumcellionibus sunt deteriores.

Nunquã enim diximus, esse rerum omnino incognitarum

Hac igi ur in controuersia nihil est, quo nos reprehẽdant, nisi ingens calumnia immerentibus impacta. Itaq; duodecim argumenta quibus probat Scharpius, fidem non esse ignorantiam, non esse rerum omnino incognitarum, totidem sunt calumniæ.

Quod vero affirmat idem Scharpius. *Nos vero concedimus fidem dici posse implicitam duplici respectu.*

I. *Respectu notitiæ, quia pij simul, & semel omnia ad salutem necessaria distinctè & explicitè non cognoscunt, vt vel ipsi Apostoli initio multa distinctè non cognouerunt, vt mysterium mortis & resurrectionis Christi, item nec statum regni Christi, nec vocationem Gentium: atque ita quia in hac vita ex parte tantum*

tantum intelligimus, & per gradus, concedimus hoc respectu fidem dici posse implicitam.

II. *Respectu apprehensionis & sensus particularis gratiæ & misericordiæ in Christo, quia aliquando accidit, vt qui reuera fideles & electi sunt, distincte & certe non poßint affirmare se credere remißionem peccatorum, sed se credere cum Christo fide coniungi, quod accidit vel in prima ad Deum conuersione, quæ quidem fides dicitur Ioh. 4.39.53. Vel tempore alicuius grauißimæ tentationis, quod quidem locum habet tantum ad tempus, gradus enim suos habet fides, tum in notitia, tum in promißionum applicatione.*

Hoc, inquam, totam fiduciæ præfidẽtiam euertit. Qui enim non credit remissionem peccatorum, ille infidelis est. Si vero apud Caluinianos quispiam de sua speciali iustitia dubitat, non potest habere fidem, dubitatio enim illa, vt docet Pareus in Ro. 11. 1. non potest cum fide consistere *Qui enim dubitat an sit ex saluandis, non credit vitam æternam*, ait ille: In eandem Epistolam ait, *esse desperationis officinam, & barathrum inferni*, col. 691. 1009. 1012. 1014. *& vestibulum inferni* 744. *denique argumentum Antichristi* 785. At Scharpius suos electos non posse affirmare, se credere remissionem peccatorum arbitratur. *Scharpius fideles concedit esse sine fide.*

Secundum multo est absurdius: nempe certa quemq; fide statuere posse omnia peccata sibi remissa esse. Ideo à toto illo errore longissime abire conati Arminiani sunt. Dum n. nostri Iubilantes in Germania fundamentum salutis, & consolationis in ea pertinacia præsumptuosa ponunt, dũ imperitos stolidæ persuasionis stupore fascinare satagunt. Ecce tibi Deus inter eos excitat, qui veritatis causã agant, & miserrimã cæcitatis confidentiã excutiãt Nã quod ex verbo Dei nec expresse, nec aliqua cõsequẽtia deducitur, id tanquã articulus fidei credi nõ debet, vt axiomate vulgato docẽt. At verbũ Dei nulli in particulari *Præsũptionem eliciun ipsi Caluniani.*

 denun-

denuntiat, tibi Petre, tibi Paule remissa sunt peccata, tu non deficies à fide. Etsi enormia flagitia committas, non tamen imputabuntur tibi. Nusquam hæc promissio, falsa est igitur fides huius promissionis.

Deinde fides iustificans seu fiducia apprehendens iustitiam, debet præcedere iustificationem. Fides specialis misericordiæ, seu fides, qua creditur specialis misericordia, & remissio peccatorũ, sequitur iustificationem. Igitur fides specialis misericordiæ non est fides iustificans. Maiorem aduersarius concedit, si de causa instrumentali intelligamus, *per fidem enim accipimus remissionem peccatorum*, inquit, *à Deo, sicut per manum accipimus eleemosynam seu munus à largiente*. Assumptionem quoq. concedit, sed negat consequentiam, quia dictum erat: sequitur iustificationem, ideo quatuor terminos esse dicit. Verum hac argutia vti nihil erat necesse. Cum Bellarminus Fiduciam ita sequi iustificationem probet, vt præcedere nõ possit. Nam ait: semper remissio est obiectum fidei, ac per hoc prius debet esse, quam fides, &c.

Pareus in Rom. 4.

Si credis remissionẽ esse, illa prior est.

Deniq; Pareus pag. 157. mira de hac fide speculatur. Primo ait: *Fiduciam primo ferri in mortem filij pro peccatis, deinde beneficium hoc sibi applicare. Tertio ante iustificationis actum, fidem habere pro obiecto hanc propositionem: Mihi credenti remittentur peccata. Quarto, Fidem habere hanc propositionem pro obiecto ante iustificationis actum natura non tempore: Quinto in ipso actu iustificationis habere hanc pro obiecto: mihi remittuntur peccata. Sexto, Fidem post actum iustificationis habere pro obiecto hanc propositionem: mihi remissa sunt peccata.* Verum hæc stolida sunt, & ἀσύςατα. Primo n. fides quæ absolute fertur in promissiones Euangelij, & mortẽ filij Dei, ex doctrina hęreticorũ non est fiducia, sed tũ demũ est fiducia, cũ sibi ea appropriat. Secundo: In eodẽ momẽto temporis ponit hos duos actus, *mihi remittentur, & mihi remittuntur peccata*: nam hic actus, mihi remitten ur pecca-

Non quaelibet fides promissionum est fiducia.

peccata, actum iustificationis natura, non tempore præcedit; itaque eodem tempore, seu eodem instanti, vt philosophi loquuntur, fiducia duos actus elicit, Remittentur, & Remittuntur peccata. Quorum alterum alter elidit. Tertio, Interrogaui ea de re Caluinistas, qui mihi responderunt, se nunquam eodem puncto temporis fiduciatos esse, vt dicerent, Mihi remittentur, & mihi remittuntur peccata. Quarto Ex his colligi: Fidem iustificantem quam dicit: Mihi credenti remittentur peccata, non accipere remissionem peccatorum, quia est natura prior remissione, & cum remissio datur, iam non est, aut falsa est, neque enim dicendum est: Remittentur, cum Remittuntur. Quinto, Etiam ille actus, Remissa sunt mihi peccata, non accipit remissionem, quia iam accepta fuit remissio. Sexto. Hinc igitur consequitur. Fidem quæ habet pro obiecto hanc propositionem: Nunc mihi remittuntur peccata, esse fidem iustificantem, quia illa sola posset accipere remissionem peccatorum, si vera esset opinio aduersariorum. Sed neque hæc potest remissionem accipere. Remissio enim peccati præsens cum est obiectum fidei, prior est ipsa fide, saltem natura, si non tempore, ergo fides natura posterior est, vti omnis actus est posterior obiecto, cuius est actus. Non igitur ille actus est instrumentũ efficiendæ remissionis, nec ex fide, & per fidem remittitur peccatum, quia fides per quam remitti debuit, natura posterior est remissione peccati. Dicit ille credo. *Per hanc fidẽ nõ remitti, sed accipi remissionem,* sed hoc imprimis dicit contra suos, qui fidem instrumentum remissionis faciunt. Deinde nihil illa captatione verborum deplorata causa adiuuatur. Qui enim sic credit: Nunc mihi credenti remittuntur mea peccata. Ille eodem momento naturæ & temporis credit se nunc accipere remissionem peccatorum. Acceptio præsens ergo natura prior est, quam fides,

Remissio peccatorũ prior est natura quam fides eius.

fides,qua me credo accipere, ſicut accepiſſe natura prius eſt,quam fides qua credo me accepiſſe. Imo,me acceptu-rum natura prius eſt,quam fides, qua me credo acceptu-rum. Firma igitur eſt illa ratio,&eius ſolutiones cum mul-ta imperitia totam fiduciam euertunt.

Concludo itaque irrefragabili argumento. Quando-cunque Propoſitio aliqua prærequirit rem ante exiſten-tem ad ſui veritatem,actus intellectus noſtri, (cum verus eſſe non poteſt niſi exiſtat id, in quod fertur) non eſt eius cauſa. Sed hic actus, *remittuntur mihi peccata*, fertur in i-pſam remiſſionem,ergo non eſt eius cauſa; ſed poſterior, non enim intelligendo remiſſionem, poteſt eam effi-cere.

Puluinar ſecuritatis Chriſtianæ excutitur.

Tertium eſt,de fidei & iuſtitiæ amiſsione, nam, quod de obiecto fidei diſputant, id iam ſatis notum eſt. Nihil porro poteſt ad mores deprauandos eſſe efficacius, quam illa opinio,quæ putat in omni ſcelere manere ſecuritatem credentibus. Quod egregie Romonſtrantes Belgici de-monſtrarunt. Nec minus in Colloquio Mompelgartenſi Lutherani, vſi in hac re argumentis Catholicorum. I-demque ſentiunt hodieque in Hollandia Roterodamen-ſes, Goudani, Leidenſes, Harlemenſes, Alckmarienſes, Hornenſes,& in primis Vltraiectenſes cum vicinis vrbi-bus,multi etiam per Angliam,Pruſſiam,Marchiam, & i-pſas Gallias. Hoc itaque in articulo malo errore à nobis receſſerunt. Iterum iterumque moneo vt legatur Ber-tius de apoſtaſia ſanctorum, & pro apoſtaſia Hyperaſpi-ſtes, non quod non melius iſta è Patrum, & Catholico-rum libris poſſint addiſcere,ſed vt à ſuis doceantur, quos ferre coguntur.

Certatim à ſecuritate deficiunt Caluiniſtæ.

Si audire Spiritum ſanctum mallent,quam à ſua confi-dentia pendere,facile intelligerent Ezechiel. 8.18.mul-tos auerti à iuſtitia,& vera iuſtitia;dicitur enim futurum,

vt

vt iustitia Deus non sit futurus memor amplius; certè si hypocrisis fuit illa iustitia, non est pœnæ loco memorandum, quòd non sit Deus memor futurus, sed beneficij. Peccati enim memoria pœnam habet.

Quartum est, Fidem posse à caritate separari, fidem solam non iustificare. Hæc res inter eos quoque agitatur. Lutherus falsaria manu particulam, *sola*, addidit in versione Germanica. **So halten wir es nun, daß der Mensch gerecht werde, ohn deß Gesätzes Werck, allein durch den Glauben.** Arbitramur enim iustificari hominem per solam fidem sine operibus legis, vel *Tantum* per fidem. Omittant particulam illam etiam qui sententiam tuentur, nec tamen à defensione Lutheri abstinent omnes, tanta est vis anteoccupati iudicij, tantique refert, cui se quis primum addixerit, adeo vt eorum, quorum auctoritate ducuntur, etiam vitia amplectantur, & quidem manifesta.

Sola additum falsaria manu.

Lutheri additamentum facile reijcitur. Vel enim sententia Apostoli sine illa adiectiuncula clara erat, & perspicua, vt qui eam legeret, nihil addubitaret sola nos fide, sine operibus iustificari; Vel ante obscura ambiguaque fuit, & certitudinem claritatemque non nisi ex Lutherano additamento mutuata est. Si prius dixerit, certè inanis est, & omnino superflua adiectio, qua nec lux noua textui accedit, nec dubitatio tollitur. At nullo modo probabile est sine aliquo emolumento Lutherum verbo Dei glossam nouitiam inserere ausum esse, nec cõmittere voluisse, vt se apertæ, & ἀναντιῤῥήτῳ doctorum reprehensioni exponeret, nisi imposturæ precium de animarum simplicium interitu sibi dœmon spopondisset. Hoc igitur statuendum est, opinionis suæ firmamento hoc apud rudes egisse, vt quoniam perpetuo clamitabat: *sola nos fide iustos esse, & omnes sola fide saluari*; nec id in sacris scripturis inueniebatur, ipse sumpto ab audacia, perfidia, hæresi, consilio, testamentum Dei cor-

Nemo sine auctoramento malus esse cupit.

corrumperet,& cum ſententiam in ſua ſenſa detorquere non poſſet, verba interpolaret.

Secundo refutatur, quia non ſola fide iuſtificamur vt iam oſtendam.

Sextum eſt. Fides iuſtificans non eſt fiducia de miſericordia Dei, remiſſione peccatorum, ex paſſione ac meritis Chriſti. Hoc nobiſcum ſentiunt, primo rigidi Caluiniſtæ; Sibrandus in collatione cum Bertio, quæ tota in eo verſatur, vt Sibrandus oſtendat, fidem propriè dictam non iuſtificare, ſed fidem impropriè dictam, ſeu fidem Metonymicam. At fiducia eſt fides proprie dicta, non igitur fiducia iuſtificat. Idem etiam ſentiunt Molles, nam fiduciam, hoc eſt certiſſimam remiſſionem peccatorum & electionis perſuaſionem negant ex ſcripturis probari poſſe, eamque noxiam eſſe moribus. Quia tamen contra ſua principia nonnulli eam tuentur, id quod dictum eſt probemus.

Fides propriè dicta non iuſtificat.

Fides non eſt fiducia.

Ratio prima. Capite 11. ad Heb. Apoſtolus definit fidem: *Eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium.* Hoc loco Apoſtolus definit fidem iuſtificantem, nam præceſſit: *Iuſtus ex fide viuit; quod ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ*, &c. In eo conueniunt omnes, etiam Sectarij. At fides hæc non eſt fiducia, ſed repræſentatio rerum obſcurarum, quas intellectus apprehendit. Deinde, Fides illa eſt ἔλεγχος argumentum, conuictio, quæ neceſſario ad intellectum pertinet; illius enim eſt conuinci, reſiſtere, aſſentiri, diſſentire. Tertio, ſequitur. Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula. Si fide intelligimus, ad intellectum igitur fides non ad voluntatem pertinet. Quarto. Noe metuens aptauit arcam, quomodo? Fide. Fides igitur erat, qua credebat minis diuinæ iuſtitiæ, & mundum

Fides etiã malorum eſt.

dum

dum interiturum. Denique ait: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & requirentibus ſe remunerator ſit*; Ex his apparet obiectum fidei eſſe omnia reuelata, non tantum promiſſiones non tantum miſericordiam ſpecialem. Hæc Bellarminus l.1.c.5.de iuſtificatione. Adiungitque duas fidei proprietates, vnam, quod faciat ea in animo ſubſiſtere, quæ ſperantur; alteram, quod faciat intellectum aſſentiri ijs quæ non intelligit.

Septimum eſt, quod aiunt alij nos fide ſola correlatiue iuſtificari, alij, nos fide, vt opere iuſtificari. Diſputata eſt multis illa quæſtio inter Sibrandum & Ameſium. Qua in re ad nos quoque acceditur, & rigidorum impietas tollitur.

Sed omnia illa quæ hic controuertuntur nobis Apoſtolus decidat, Rom. 4.

CAPVT XXXVII.

Quis ſenſus, cum Abraham fide iuſtificatus dicitur?



QVomodo fides iuſtificet, ex his Pauli verbis intelligi poteſt.

Quid enim dicit ſcriptura? credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.

Origenes argumenti præcedentis aſſumptionem probari exiſtimat, quæ hæc eſt: Sed Abraham habuit gloriam apud Deum. Quicunque enim credit, & reputatur ei in iuſtitiam, is gloriam habet apud Deum, ſed ita factum eſt in Abrahamo, habet ergo gloriam apud Deum.

S. Auguſtinus. *Ad hoc ait ſcripturas adduci, vt demonſtret Abrahamum fide iuſtificatum eſſe, ex eo enim ſequitur non eſſe iuſtificatum operibus.*

Dicendum est Primo, vtrunq; recte ex scriptura concludi. Hoc n. tanquam certum atq; indubitatũ Apostolus statuit, Abraham fuisse iustum; neq; hoc Iudæis probare fuit necessarium. Deinde habuisse gloriã apud Deum, inde consequitur; cum a. scriptura fide doceat eum esse iustificatum, fide quoque gloriam eam apud Deum habere dicendum; ideoq; non ex operibus. Hisce constitutis de hoc loco nonnullæ quæstiones explicandæ sunt.

Quæ sit literalis expositio ex Hebræo & Græco textu?

Primo. Verba Hebræa sic habent: והאמן ויחשבה צדקה ביהוה Chaldæa. והימין במימרא דיי וחשבה ליה לזכו Septuaginta ἐπίστευσε δὲ Ἀβραὰμ τῷ θεῷ, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην. Quædam tamen exemplaria apud 70. habent καὶ ἐπίστευσεν Ἀβραὰμ τῷ θεῷ.

Reputari i stitia, & in iustitiã.

Secundo. Hebręa sic ad verbum verti possunt. *Et credidit in Domino, & reputauit illud ei iustitia*, vel: *reputauit illam ei iustitiam, vel: reputauit, Illam ei in iustitiam.* Septuaginta tamen & Paulus verterunt ἐλογίσθη, *reputatum est.*

Pro eo autem quod hic dicitur absolutè צדקה in Psalmo 105.31. cum agitur de facto Phinees scriptum est לצדקה *ad iustitiam, stetit Phinees, & placuit, & cessauit quassatio, & reputatum est illi in iustitiam*; vbi in Hebræo est: לו לצדקה ותחשב *& reputatum est illi in iustitiam.*

Qvarto. Nunc in his plura dubia & controuersa sunt. Primo. Quid crediderit Abraham? Secvndo. Fueritne imputatus illi actus, an habitus fidei? Tertio. Quid sit imputare? Qvarto, Primane, an secunda iustitia imputata illi fuerit? Qvinto. Quomodo Iacobus ex eodem loco probet ex operibus Abrahamum esse iustificatum?

Quod fuerit obiectum fidei Abrahami?

Primo. Cum ex obiecto de actionibus iudicium sumendum

mendum ſit, ſi fuerit conſtitutum de obiecto, etiam qualis Abrahæ fides fuerit planum apparebit. Quid ergo eſt, quod credidit? Nempe id quod Deus illi reuelauit. Gen. 12. 2 *Faciamq; te in gentem magnam*, &c. *Obiectum fidei Abrahæ verbum Dei.*

& 7. *Semini tuo dabo terram hanc.* Et c. 13. 14. *Leua oculos tuos &c.*

Et c. 15. *Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.*

Et v. 4. & 5. *Non erit hic hæres tuus, ſed qui egredietur de vtero tuo, ipſum habebis hæredem.*

Deinde credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi in iuſtitiam. Ex his concludo, Fidem Abrahæ fuiſſe Catholicam, eumque credidiſſe, ſe à Deo benedictionem, hæredemque accepturum, in ſemine ſuo benedicendas omnes gentes. Atque hoc adeo verum eſt, vt Pareum conſcientia fateri cogat: *Fuit igitur*, inquit, *Abrahæ fides generalis quidem ſeu Catholica (vt vocant Sophiſtæ) aſſentiens omni verbo Dei; ſed & ſpecialis acquieſcens promiſſioni datæ de ſemine, quod eſt Chriſtus.* Hoc poſterius ſenſu Caluiniſtico falſum eſt. *Nam credidiſſet; ſe impium, manentem impium ante pænitentiam iuſtum eſſe.* Apoſtolus quoque obiectum hoc magis exponit v. 16. 17. 18. vbi pluribus deſcribit. *Ideo ex fide, vt ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini, non ei qui ex lege eſt ſolum, ſed & ei qui ex fide eſt Abrahæ, qui pater eſt omnium noſtrum (ſicut ſcriptum eſt: Quia patrem multarum gentium poſui te) ante Deum, cui credidiſti, qui viuificat mortuos: & vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, qui contra ſpem in ſpem credidit: vt fieret pater multarum gentium ſecundum quod dictum eſt ei: ſic erit ſemen tuum ſicut ſtellæ cœli, & arena maris.* *Fides Abrahæ generalis.*

Vbi fidem eius *contra ſpem dicit; quia non conſiderauit corpus ſuum emortuum &c. Ideo & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* *Reuelationi credidit Abraham.*

SECVNDO. Cum ergo obiectũ fidei Abrahami habeamus omne verbum Dei, dicendum est fidem, qua credidit illud, quod propositum est; esse illi reputatam ad iustitiã. Non a. specialem fiduciam, qualem struunt perfidiosissimi hæreticorum. Ideo enim reputatum est Abrahamo ad iustitiam, *quia Deo credidit, nec cõsiderauit corpus suum emortuum, & Saram infæcundam*; non a. quia credidit nulla sua sibi peccata quantumuis enormia, atq; atrocia iustitiam esse deletura. Quid n. ad corpus emortuum remissio peccatorum? Grauissimè itaque, sed tamen pueriliter errant fiduciarij nostri, cum ea fide negant Abrahamum esse iustificatum, quam scriptura ait illi imputatam pro iustitia, hoc est, fide Catholica; alia, quam scriptura non agnoscit, iustificatum credunt. Illa nempe, qua credidit se de salute certum esse. At huius fiduciæ nulla in Genesi, nulla in Paulo mentio, & hanc talem solam fidem fiducialem, hanc certitudinem clamant esse fidem iustificantem, alteram fidem, qua Paulus Abrahamum iustificatum asserit, aiunt esse diabolorum.

Fidem iustificantẽ Sectarij nõ agnoscunt

Huic tñ errori iam magna pars Caluinistarum nunciũ remisit, vt constat ex collatione Hollandorum, Hagensi, & Delphensi, ex libro Petri Bertij de Apostasia sanctorũ.

TERTIO. Abraham de filio & hærede quęrit, timet, ne procuratoris filius sit constituendus hæres; orbitatem suã Deo proponit. Respondet Deus: *Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de vtero tuo, hic erit hæres; suspice stellas, & numera si potes, sic erit semen tuum.* Deinde subdit: *Credidit Abraham Deo.* Quid credidit? Respondet Caluinista: *Se electum*, in omnibus, qualibuscunq; flagitijs de damnatione securum, non posse se perire, amittere iustitiam, & fidem nunquam posse. Quomodo fides Abrahæ reuelationi diuinæ respondet? Quomodo cũ de posteris audiret Abraham, potuit credere impunitatem peccandi sibi concessam? sed tamen quæ obijciunt audiamus.

Horrenda scripturæ corruptio.

Obie-

Obiectio prima. *Ego sum protector tuus, & merces tua magna nimis.* Ergo reuelata est illi electio sua ad salutem. Cui enim Deus merces est, ille electus est.

Respondeo. Huiuscemodi promissiones esse factas etiam Salomoni, 2. reg. septimo, duodecimo, ac pluribus alijs, nec ex illis tamen colligi illos certo prænouisse salutem, cum promissiones illæ non absolutæ sint, sed conditionales, aut partim absolutæ, partim conditionales: nã merces Deus est, *Si tamen custodierint mandata.* Deinde implicat sese ipsa hæresis: si enim verba illa. *Ego merces tua, & in semine tuo benedicentur omnes gentes,* continent specialem promissionem, vt de perseuerantia certum efficiant, non est mirum sanctum Patriarcham reuelationi peculiari credidisse: si tãtum sub conditione promisit, nõ fuit certior de effectu, quam de conditione seruanda. Inuictũ igitur hinc dilemma conficio. Vel hæc promissio, *Ego sum merces tua magna nimis*. fuit absoluta, & Abrahamo prædestinatio absolute reuelata, vt clare oraculũ pronunciaret: Quæcunq scelera conceperis, perpetraueris, ego tuus ero protector ne fidem iustitiamq; amittas, & illis nihil obstantibus *merces tua ero magna nimis*, itaq; noli timere, sed puluino securitatis indormisce. Hæc dicta sũt Abrahamo, & credidit, non tamẽ inde aliorum impunitas concludi potest, & securitas, nisi & illis eodem modo sit reuelatum, quomodo enim sequitur, Deus est merces Abrahami, ergo & mea: Abrahã hoc credidit, ergo & ego credã. Deus Abrahamo perseuerantiã reuelauit, ergo & mihi; Imo cõtrarium manifeste illa ratio ostendit. Abraham certus non erat de sua prædestinatione, fide indelebili, nisi ex speciali Dei reuelatione, ergo nec ego. Quod si alterum dicat: Non fuisse reuelationem de perseuerãtia, absolutã certamq;, non igitur credidit promitti, quod non promittebatur, nec absolute futurum, quod cum cõditionibus proponebatur. Quanta erat illa promissio. 1. Par. 17.

Conditionata promissiones.


Par.1.v.12.& 13 *Ego ero illi in patrem, & ille erit mihi in filiũ. Et misericordiam meam non auferam ab eo.* Et tamen vide conditionem 3.reg.9.4.14. *Tu quoq; si ambulaueris coram me, sicut ambulauit pater tuus, in simplicitate cordis, & in aequitate: & feceris omnia quae praecepi tibi, & legitima & iudicia mea seruaueris, ponam thronum regni tui super Israel in sempiternum, sicut locutus sum Dauid patri tuo, dicens: Non auferetur vir de genere tuo de solio Israel. Si autem auersione auersi fueritis vos & filij vestri, nõ sequẽtes me, nec custodiẽtes mandata mea, & caeremonias meas, quas proposui vobis, sed abieritis & colueritis Deos alienos, & adoraueritis eos: auferã Israel de superficie terrae quã dedi eis, & templũ quod sanctificaui nomini meo proijciam à conspectu meo eritq; Israel in prouerbium, & in fabulam cunctis populis. Et domus haec erit in exemplum: omnis qui transierit per eam, stupebit, & sibilabit, & dicet, Quare fecit Dominus sic terrae huic? & respõdebunt. Quia dereliquerũt Dominum Deũ suũ, qui eduxit patres eorũ de terra Aegypti, & secuti sunt Deos alienos, & adorauerunt eos, & coluerunt eos: idcirco induxit Dominus super eos omne malum hoc.*

Sed & ipsi Dauidi non nisi conditionate illa proposita fuerunt. 2.reg.7.14. Optimus sanè horum interpres est ipse Dauid, & testamẽto reliquit filio suo Salomoni. 3.reg. ,,2.3. Appropinquauerunt autem dies Dauid vt more- ,,retur, praecepitq; Salomoni filio suo, dicens, Ego ingre- ,,dior viam vniuersae terrae: confortare & esto vir, & ob- ,,serua vt custodias mãdata Domini Dei tui, vt ambules ,,in vijs eius, & custodias ceremonias eius, & praecepta e- ,,ius, & iudicia & testimonia, sicut scriptũ est in lege Moy ,,si: vt intelligas vniuersa quae facis, & quocunq; te verte- ,,ris: Vt confirmet Dominus sermones suos, quos locu- ,,tus est de me, dicens si custodierint filij tui vias meas, & ,,ambulauerint corã me in veritate, in omni corde suo, & ,,in omni anima sua, non auferetur tibi vir de solio Israel.

CAPVT

CAPVT XXXVIII.

An Abrahamo fuerit imputatus actus fidei, an habitus ad iustitiam.



RIMO Inter orthodoxos non est controuersia. Omnes in eo conueniunt, tam ex actu, quã ex habitu fidei velut initio ac radice primam iustificationem procedere. Deinde cum iustificati imperante caritate actum fidei eliciunt, incrementum inde iustitiæ mereri.

Secundo. Sectarij diuisi sunt variè: quidam contendũt τὸ credere, seu actum credendi iustificare. Ita Bertius, & Molles, quidã habitum, vt Pareus, Beza. Qui actũ necessarium affirmant, alij mendicam manum aiunt, & relatiuè iustificare, alij actum vice integræ iustitiæ à Deo accipi contendunt, vt Molles Caluiniani. Qui habitũ satis esse putant, eodem modo diuisi sunt.

Ex his oriuntur hæ expositiones. *Credidit Abrahã Deo, & reputatum est illi ad iustitiam* Prima. Confidit Abraham omnia sibi peccata remissa, sed perire nõ posse, &c. & habitus fidei reputatus est illi ad iustitiam, ita vt relatiuè iustificet efficiendo iustitiam. Secunda. Habitus reputatus est illi ad iustitiam accipiendo iustitiam. Tertia. Actus est reputatus ad iustitiam relatiuè accipiẽdo iustitiã. Quarta. Actus est reputatus in iustitiam vt eum Deus gratiosè acceptet pro tota, atq; integra iustitia. Quinta. Credidit Abraham Deo, nec actus, nec habitus, sed fides, id est, passio Christi est illi imputata ad iustitiam.

An habitus an actus iustificet.

Vertigines Caluiniana.

Tertio. Actus fidei non est iustificans, vt Molles asserunt, nempe Arminius Epistol. ad Pareum, Bertius atq; alij. *Et quidem ita nobiscum sentiunt Caluiniani Rigidi. Deum* (inquit Lubbertus Sibrãdus in coll. pag 8.) *habere fidẽ pro*

tota

tota legis iustitia, vel τὸ credere propriè sic dictum nobis imputari ad iustitiam, est doctrina in nostris Ecclesiis non solum non i & incognita, sed etiam solenniter reiecta, refutata, & damnata. Quin est ex blasphemijs Serueti, Socini, & Ostorodij quã omnes Ecclesiæ nostræ detestantur, desumpta. Hoc an ita sit, merito dubitari potest: Arminius enim alijq; qui doctrinam illã tuentur, antiquam faciunt. Nam in ea se natum & educatum iurat. Verba eius in Epistola ad Pareum. *Coram Deo, & sanctis Angelis respondemus, nos neminem nosse verbi diuini administrum in toto hoc Belgio, (quo nomine & nos per Dei gratiam venire cupimus) qui in doctrina in qua nati, & educati sumus, cuius causa parentes nostri durum exilium passi sunt, propter quam sæuum hoc bellum sustinuimus, & perpessi sumus, in dubium vocare velit, sed hoc iusiurandum manifestam diuini verbi profanationem vocat Sibrandus.* Interim hactenus non constitit inter Caluinistas, quid de fide iustificante crediderint.

Iusiurandũ Arminij

Actus cur non iustificet:

Ratio cur actus nõ iustificet, redditur à Caluinistis Rigidis multiplex, Prima. Fides iustificans est indelebilis, actus non est indelebilis, non est ergo fides iustificans. Secũda. Actus fidei est iustificatione posterior, non ergo actus iustificat. Ita Pareus passim lib. 1. de iustificatione contra Bellarm. Tertia Ro. 11. 6. *Quod si per gratiam, non ex operib. alioqui gratia non est gratia.* Deniq; omnia loca quæ citant contra operum iustificationem etiam contra actum fidei allegare solent: Lubbertus col. p. 22. Ro. 5. 19. & 3. 24. &c. Quarta, quia si quis actum fidei sic iustificare docet, is incidit in errorem Socini, qui docet nos non merito sanguinis Christi iustificari, quoniam tale meritum nullum agnoscit. Christi sanguini tamen iustificationem cõcedit, quatenus ille efficit eas res propter quas nos Deus iustificat, nempe fidem. Quinta. Non posse fidem iustificare, vt pro iustitia integra à Deo accipiatur, probat Lubbertus p. 30. *Ostende vbinam in verbo Dei scriptum. Fidem haberi*

à Deo

à Deo pro perfecta legis iustitia? Aut vbi scriptum sit: Fidem esse illam iustitiam, qua coram Deo iustificamur? Aut vbi scriptũ sit: Duas esse iustitias diuersas in diuersis subiectis inhærentes: vnã in nobis, alteram in Christo quibus coram Deo iustificamur. Sed quid ego te vrgeo, vt tu hæc dogmata in sacris literis legas? Ego ausim affirmare, quod nusquam ea legeris, quam aut in Serueto, aut Socino, aut Ostorodio, vel alio quopiam qui illos sectatur. Vt vt sit, falsum est, Fidem haberi à Deo pro perfecta legis iustitia. Deus enim est iustus, & iudicium eius est secundum veritatem. Fides autem nostra est tantum exigua pars istius iustitiæ, quæ à nobis requiritur. Et hæc ipsa fides est manca, imperfecta, & multis peccatis contaminata. Vnde, si esset perfecta, tamen illa pro opere sumpta, tantum esset exigua pars istius iustitiæ, quæ à nobis requiritur. Nunc vero laborat multis defectibus, & longissimè recedit ab illa perfectione, quã lex postulat. Qui potest igitur fieri, vt ille qui iustus est, & cuius iudicium est secundum veritatẽ, habeat eã rem pro perfecta legis iustitia, quæ est imperfecta, quæ multis defectibus laborat, & si maximè perfecta esset, tamen nõ esset nisi exigua pars iustitiæ? Dicã paulo plenius? Fides propriè accepta, est tantum exigua pars iustitiæ. Est n. nihil aliud quam constantia in dictis, & in factis, vel est tantum assensus quem ad Dei verbum adhibemus, vel deniq; est assensus, & fiducia simul, qua scilicet Dei verbo assentimur, & in Deo cõfidimus. Iam autẽ multo plura in lege Dei mandantur. Est præterea imperfecta, laborat multis defectib. & multis gradibus distat ab illa perfectione, quæ in lege Dei scripta est. 1. cor. 13. 9. Ex parte cognoscimus. Marc. 9. 23 Credo domine, succurre incredulitati meæ. Est deniq; multis peccatis contaminata. Eccles. 7. 2. Profecto non est quisquam iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Iac. 3. 2. In multis labimur omnes.

Fides non habetur pro perfecta iustitia.

Sexta. *Si fides (pag. 40.) Præterea si fides habeatur à Deo pro perfecta & absoluta legis impletione, & obseruatione: tum quicunq; hanc fidem sibi inhærẽtem habet, ille habet perfectam, & omnibus numeris absolutam legis obseruationẽ sibi inhærentẽ.*

Nam fides in nobis inhæret, verũ tota Ecclesia in omnib. suis mẽbris quotidie gemit & petit. Remitte nobis debita nost. Mat. 6. 12.

*Vide quo venit p*ertinacia.

In his eo vsq; procedit Lubert. vt p. 82. protestetur. *Nusquã scriptura dicit fidem iustificare.* p. vero 86. *Si iustificatio totum in fide, & extra fidem non reperitur. Ergo iustificatio non est in iustitia Christi.*

Septima. *Si actus fidei iustificent, metuendum, ne Caluiniani iactent meritũ fidei, id autem fieri asserit Bertius.*

Octaua. *Si obedientia Christi est nostra iustitia coram Deo, tum fides nostra nõ est illa iustitia, qua coram Deo iustificamur.*

Nona. *Fides apprehendit iustitiam, non igitur pro iustitia acceptatur.*

Has rationes idcirco adduxi, vt constet vanissimum esse, quod de fide iactant aduersarij, fide sese iustificari, minimum enim fidei tribuunt.

Interim alias rationes adferre opus non est, quibus ostendamus fidem non accipi à Deo pro perfecta iustitia, cum tot voluminibus iam catholici docuerint, opus esse ad iustitiam caritate, alijsq; virtutibus.

Quarto. Nec actus, nec habitus reputatur in iustitiam relatiuè, seu per Metonymiam, vt asserunt Rigidi Caluinistæ.

Quidam inferos ad iustitiam imputant.

Ratio est præcipua, quia qui sic docent, scripturam impropriè non modo, sed etiam ridicule, & planè falso exponere cogũtur: maxime cum nec sic quidem inter ipsos pax constitui possit, alij enim obedientiam Christi solum passiuam, alij actiuam, nõnulli vtramq; imputari putant, nec desunt qui solam mortẽ, sine damnatorũ tormentis, alij mortem cum omnibus Christi actionibus, atq; adeo inferorum pœnis. Hæc aũt. *Crede tantum*, &c. Matt. 9. quæ illi ad iustificantis fidei commendationem, non possunt nisi ridicule hic accõmodari: sed hæc quoq; aduersariorum testimonijs firmentur, sic Bertius ad Sibrandũ ostẽdit p. 132. *Quia terminus ille fides toties & significanter Paulo cap-*

cap 3.4.5. ad Ro exprimitur, & tam multis limitationibus, additamentis, & restrictionibus definitur, & quasi circumscribitur, vt accuratius examinanti dubiū esse non possit, quin fidem voluerit propriè & citra omnem figuram intelligi. Vide n. quid dicat: Credidit Abraham Deo & reputatum est ei in iustitiam. Principio paronyma sunt fides & credere. Quis autem dicet τò credere illic impropriè sumi. Quod si τò credere propriè sumitur, cur non est fides, cum dico, fides reputatur in iustitiam? Credere nō sumitur impropriè.

Et p.134. Præterea resolue ista, fides Abrahæ reputata est, &c. Fides credentis imputatur &c. à quo Rhetore colorem mihi aut figurā mutuaber, quo ostendam, vocem fidei, cum dico, Fides Abrahæ, propriè non esse intelligendam (& p.135.) Iam vero vide limitationes. Quænam est illa fides, quam Abrahæ tribuit Apostolus? Nimirum ea, quæ minimè vacillauit, nec cōsiderauit suū ipsius corpus iam emortuū, nec emortuā vuluam Saræ, nec disceptauit infidelitate, sed robustus fuit, & gloriam dedit Deo, ac plane persuasus fuit, eum qui promiserat, posse etiam facere. Hoc inquā credere, hæc fides imputata est ei in iustitiam. Nullum est certius argumentum proprij sermonis, examina tot descriptiones, si per fidem voluisset Apostolus, non fidem ipsam, sed Christum aut iustitiam Christi fide apprehensam significare, non debuisset immorari tali descriptioni: sed debuisset iustitiæ Christi affectiones aliquot recensere. Sed hoc non facit. Profectò videntur mihi ex fide sua Christum ipsum fabricare, qui in tam claris formulis metonymiam comminiscuntur. Et p. 137. Specta etiā hanc limitationē: Fides in Christū reputatur in iustitiā. Credētes in Christū iustificantur. Finge hic vocē fidei esse capiendam metonymicè, & tenta postea istius sententiæ per proprios terminos analysin. Ego sanè qua sum ingenij tarditate, non possum aptam harum enunciationum resolutionem comminisci, si fides propriè non sumatur, vt neq; istarum. Fidem apprehendentem iustitiam Christi reputat Deus in iustitiam: Fides in Christum est iustitia nostra coram Deo: Iustificamur fide in Christum, & si qua sunt aliæ istiusmodi, in quibus Christo iungitur. Fides non est Metonymica.

Deinde exemplum quæritur huius locutionis: *Magna est fides tua, fiat tibi sicut vis, credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Hic cum quærit Bertius: Quisnam dicturus sit τὸ credere illis verbis: *Credidit Abraham Deo*, impropriè accipi? Respondet Lubbertus: *Non n. τὸ credere sed fidem.* Sed omnia euertit: Si enim fides Metonymica dicitur, apprehendere iustitiam Christi: ergo iustitia Christi apprehendit iustitiam Christi.

Eodem modo Pareus, ex Hebræo, quia dicitur *Imputauit illam ei*, intelligit אמונה fidem, sed fidem habitualem, quæ relatiuè iustificet, mortem & cruciatus infernales Christi, qui iustificent propriè, seu imputentur. Sed hoc quidē imperite, nam in Hebræo fęmininū solet poni pro neutro, cum neutro Hebræi careant. Sed Pareo oppono Arminiū, is qui in responsione ad 31. art. art. 4. hanc phrasin repudiat. *Iustitia Christi reputatur nobis in iustitiam. Iustitia Christi imputatur nobis: hanc vero τὸ credere imputatur nobis in iustitiam approbat.* Rationem habet p. 296. *Quicquid imputatur in iustitiam, vel ad iustitiam, vel pro iustitia, idipsum non est ipsa iustitia strictè & rigide sumpta: at Christi iustitia quam ille præstitit, Patri obediendo, est ipsissima iustitia stricte & rigide sumpta. Ergo non imputatur in iustitiam.* Quemadmodum igitur Sibrandus ex eo quod τὸ credere non sit iustificare, nec fides sit iustitia probat, nō imputari, *τὸ credere in iustitiam.* Sic Arminius probat, obedientiam Christi nō imputari in iustitiam, *quia est ipsissima iustitia.* Verum de hisce in consequentibus etiam agendum erit.

Quid imputetur.

Christi iustitia an imputetur nobis ad iustitiam.

Ex hisce concludo generale argumentum. Abrahamo non est imputatus habitus, nec actus, nec vterq; neq; iustitia Christi in iustitiam, vt sola fide esset iustus, more Caluinistico, nihil igitur ei imputatum, si aduersarios consulamus,

CAPVT

CAPVT XXXIX.

Quid est imputari in iustitiam?



PRIMO. Græce dicitur, τὸ πιστεύεσθαι, καὶ ἡ πίστις, & ὁ μισθὸς λογίζεσθαι vel ſimpliciter λογισθῆναι αὐτῷ imputari illi. vel λογισθῆναι αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην, vel imputare ſeu λογίζεσθαι δικαιοσύνην, ita v. 11. εἰς τὸ λογισθῆναι καὶ αὐτοῖς εἰς τὴν δικαιοσύνην. *vt & illis imputetur in iuſtitiam.*

SECVNDO. חשב quo verbo Moſes vtitur, eſt cogitare, machinari, computare, æſtimare, reputare, acceptum ferre. Sic num. 18. 27. *& reputabitur vobis*, Iob. 41. 20. Iſa. 40. 17. Iſa. 5. 28. Leuit. 7. 18. & 17. 4 Pſal. 106. Accipitur autem in vtramque partem, tam enim mala; quam bona ſolent imputari, ſic Leu. 17. 8. αἷμα λογισθήσεται ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ. Sic 2. Reg. 19. 19. μὴ λογιζέσθω ὁ κύριος μου ἀνομίαν. Deinde tam falſo, quam verè aliquid poteſt imputari alicui, itaq; imputari poteſt iuſtitia, quæ eſt in iuſto, & imputari quæ non eſt. *Imputantur bona, mala, vere, falſo.*

TERTIO. Hęc latine vertit noſter interpres tribus modis, *reputatur, imputatur, accepto fertur.* Auguſtinus in Pſal. 31. *deputandi* verbo vtitur, ita & Tertullianus contra Marcionem l. 5. c. 3. *Accepimus igitur benedictionem ſpiritalem per fidem,* inquit, *ex qua ſcilicet viuet iuſtus ſecundum creatorem. Hoc eſt ergo quod dico, eius Dei fidem eſſe, cuius eſt forma gratiæ fidei. Sed & cum adijcit, Omnes enim filij eſtis fidei, oſtenditur quid ſupra hæretica induſtria eraſerit, mentionem ſcilicet Abrahæ qua nos Apoſtolus filios Abrahæ per fidem affirmat; ſecundũ quam mentionem hic quoq; filios fidei notauit. Cæterũ quomodo filij fidei? Et cuius fidei, ſi non Abrahæ? Si n. Abraham Deo credidit, & deputatum eſt iuſtitiæ, atq; exinde pater multarum nationum meruit nuncupari: nos autem credendo Deo magis, proinde iuſtificamur, ſicut Abraham; & vitam proinde conſequimur,*

sicut iustus ex fide viuet: sic factus & super filios vos Abraha pronuntiarit, qua patris fidei, & hic filios fidei, per quam Abraham pater nationum factus est repromissus.

QVARTO. Vera ac viua fides reputatur iustitia, vel ad iustitiam; qui eam enim habet à Deo iustus habetur, donatis omnibus peccatis. Ipsum igitur credere initium est iustitiæ cum nondum est caritas aut pœnitentiæ, deinde credere elicitum à fide, imperatum à caritate perfectam iustitiam habet, ac pro ea reputatur. Deinde imputatur credenti, nam quicunque credit viua fide iustitiam à Deo accipit, & iustus verè & censetur, & est. Quicquid enim Deus reputat, id non aliter esse potest, quam reputatur. Reputatio enim in tribunali Dei facta est vera. Quanquam enim homines per errorem, vel sinistrum affectum alteri sæpe imputant, quod in eo non est, non autem imputant, quod est, æterna tamen prouidentia, id quod imputat homini, si non inuenit, in homine efficit, si quidem illius bonitati non repugnet.

Deus reputando facit, quod reputat.

CAPVT XL.

Quomodo igitur Abraham iustificatus est?



RIMO. A Deo miserente, & iustitiam infundente, vt à causa efficiente.

Causæ iustitiæ.

SECVNDO. A Christi sanguine vt causa meritoria.

TERTIO. Si finis quæratur est gloria Dei, [illegible].

QVARTO. Si causa formalis quæratur, descripta est in Synodo Tridentina sess. 6. cap. 7. *Vnica formalis est iustitia [illegible] qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit; qua videlicet [illegible] donati renouamur spiritu mentis nostræ: & non modo re[illegible], sed vere iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis re-*

bis recipientes, vnusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem; quamquam enim nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur: id tamen in hac impij iustificatione fit, dum eiusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret, vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & caritatem. Nam fides nisi ad eam spes accedat, & caritas, neque vnit perfectè cum Christo, neque corporis eius viuum membrum efficit. Qua ratione verissimè dicitur, fidem sine operibus mortuam & otiosam esse. Et, In Christo Iesu neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium, sed fidem, quæ per charitatem operatur.

QVINTO. Fide iustificatus est vt causa disponente, vt initio, vt iam sæpe expositum est.

Obijcit Pareus l. 2. de iustificat c. 2. Petrus Lombardus facit quatuor formales inhęrentes iustitias, Prima est, per sanguinem Christi, Altera per caritatem, Tertia, per fidem, Quarta, per imitationem. Quatuor igitur sunt formales iustitiæ.

Responsio. Nusquam Lombardus quatuor formales iustitias inhærentes agnoscit. Verba eius quæ mutilauit aduersarius integra attexam. Mag. sent. l. 3. dist. 19. §. 1. *Nunc ergo quæramus, quomodo per mortem ipsius à Diabolo, & à peccato, & à pœna redempti sumus. A diabolo ergo & à peccato per Christi mortem liberati sumus: quia, vt ait Apostolus, in sanguine ipsius iustificati sumus, & in eo quod sumus iustificati, i. à peccatis soluti: à diabolo sumus liberati, qui nos vinculis peccatorum tenebat. Sed quomodo à peccatis per eius mortē soluti sumus? Quia per eius mortē, vt ait Apostolus, cōmendatur nobis charitas Dei, i. e. apparet eximia & cōmendabilis charitas Dei erga*

Non sunt quatuor formales iustitiæ.

erga nos in hoc, quod filium suum tradidit in mortem pro nobis peccatoribus. Exhibita autem tantæ erga nos dilectionis arra, & nos mouemur, accendimurq́; ad diligendum Deum, qui pro nobis tāta fecit: & per hoc iustificamur, i. e soluti à peccatis, iusti efficimur. Mors ergo Christi nos iustificat, dū per eam charitas excitatur in cordibus nostris. Dicimur quoq; & aliter per mortem Christi iustificari, quia per fidē mortis eius à peccatis mundamur. Vnde Apostolus, Iustitia Dei est per fidem Iesu Christi. Et item, Quem Deus proposuit propitiatorem per fidē in sanguine ipsius, id est, per fidem passionis: vt olim aspicientes in serpentem aneū in ligno erectum, à morsibus serpentum sanabantur.

Quomodo imponitur illi quod faciat quatuor iustitias formales: Nam caritas est iustitia formalis, causa eius meritoria mors Christi, actualis iustitia est Christi imitatio.

Obiectio 2. *Concilium Tridentinum iustificationem* ait, *non solam peccatorum remissionem, sed etiam renouationem, duas ergo formales causas constituit. Nam peccatorum remissione est in categoria actionis, vel relatione, renouatio est caritas, spes, fides, quæ sunt habitus inhærentes.*

Iustitia est remissio peccatorū, & infusio.

Responsio. Hoc quoque argumentum Caluiniani doctiores irrident, cum enim Concilium docet iustificationem continere duo, peccatorum remissionem, & vitæ renouationem, non constituit duas formales causas, sed vnicam, cuius sunt duo termini, quemadmodū si quis dicat, illuminationem non esse duntaxat tenebrarum expulsionem, sed splēdoris etiam diffusionem. Nec ipse aliter Caluinum excusat, quod is duplicem iustitiam dicat esse, Peccatorum non imputationem, & iustitiæ Christi imputationem. ita Pareus pag. 387. ad Rom.

Si ergo duobus modis vnam iustitiam Caluino licuit exprimere, cur non licuit Patribus Tridentinis: Imo licuit his, non illi. Synodus n. vere; Caluinus falso docuit. Conciliū sequuntur omnes orthodoxi, Caluinū ne omnes Rigidi Caluinistæ. Deinde aliud est omnia peccata manētia

non

non imputare, aliud iustitiam Christi absentem imputare. At doctrina Concilii vera est: nam non potest esse remissio peccatorum nisi Deus illa non imputet, nec potest esse iustitia nisi peccata deleta sint. Eodemque proposito, & momento infunditur iustitia, & peccata remittuntur: & quemadmodum lux tenebras, sic iustitia expellit peccatum: quia ita Deus illa coniunxit; Neque refert quod condonatio sit relatio vel actio; formalis iustitia, caritas. Hæc enim in vnam formalem rationem conueniunt facile. Relatio enim necessario iustitiæ infusæ cohæret, vt pulsio tenebrarum lumini. *Expulsio peccati & iustitiæ infusio iuncta sunt.*

Porro inhærere nobis iustitiam, expresse Paulus docet, cap. 5 *Iusti constituentur multi.*

CAPVT XLI.

Quomodo Abraham dicatur non iustificatus ex operibus à Paulo, sed à Iocobo dicatur iustificatus operibus?



RIMO. Contra Caluinianos hæc disputatio præcipuè instituitur, Lutherani enim nodum secuerunt, atque vt se molestia exponendi exonerarent, Epistolam Apostolicam è scripturarum numero exciderunt.

Secundo. Verba S. Iacobi sunt: *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere: opera autem non habeat? Nunquid poterit fides saluare eum? Si autem frater aut soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano: dicat autem aliquis ex vobis illis; Ite in pace, calefacimini & saturamini: non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori: quid proderit? Sic & fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Sed dicit quis: Tu fidem habes, & ego opera habeo. Ostende mihi fidem tuam sine operibus: & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Tu credis quoniam vnus est Deus. Benefacis: & dæmones credunt,*

 & con-

& contremiscunt. Vis autem scire ô homo inanis, quoniam fides sine operibus otiosa est? Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius: & ex operibus fides consummata est? Et suppleta est scriptura, dicens, credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo: & non ex fide tantum. Similiter autem & Rahab meretrix, nonne ex operibus iustificata est, suscipiens nuntios, & alia via eiiciens? Sicut enim corpus sine Spiritu mortuum est: ita & fides sine operibus mortua est.

Difficultas est nobis, & Caluinianis communis, ita enim exponendus est Paulus ne repugnet Iacobo, ita intelligendus Iacobus, vt consentiat Paulo. Verba Pauli sunt: *Arbitramur hominem iustificari sine operibus legis per fidem*: Verba Iacobi: *Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, non ex fide tantum?*

Corruptiones veritatis.

Tertio. Commune Zwinglii atque antiquorum hæreticorum effugium fuit, vt dicerent, *ὁμωνυμίαν* esse in voce: *fides* & verbo, *Iustificandi*. *Fidem* enim apud Paulum significare veram, viuam, efficacem fidem. apud Iacobum vero, Fidem mortuam, nudam assensitiuæ notitiæ professionem, & iactantiam fidei. *Iustificandi* etiam verbum diuerso modo intelligi. Apud Paulum enim esse coram Deo iustum iudicari, peccatis absolui: apud Iacobum iustum coram hominibus declarari. Ex hisce oritur præclara hæc conciliatio.

Homo iustificatur apud Deum sine operibus per fidem solam, viuam, efficacem: Homo non declaratur iustus apud homines per mortuam, nudam fidem, per fidei professionem, & iactantiam.

Quarto. Hæc conciliatio scripturæ non est, sed impia deprauatio, quod antequam probem monendus est lector,

lector, ab hac interpretatione, quam quidam aiunt omnium Caluinianorum, iam complures è Caluinistis mollibus, & quosdam è rigidis recessionem fecisse.

Vorstius enim cum non paucis aliter locum interpretatur, contra Sibrandi errorem 90. & 94. Deinde protestatur Ecclesiam veterem locum non intellexisse sic vt Caluiniani volunt. Tertio nec quidem sic interpretari omnes Ecclesiæ reformatæ doctores, inter quos Piscator est in analysi, at ille Rigidissimus est Caluinistarum. Vt vero mollium sententiam intelligas, adiungam quæ ibidem in errore Sibrandi 93. habet. *operibus iustificari, & fide per charitatem operante, in Sacra Scriptura nunquam æquipollent; sed semper opposita sunt. Resp. 1. Fateor quidem interdum ita esse: cum videlicet opera legis, seu meritoria coram Deo, hic intelliguntur. Alioqui falsa est assertio. Nam si semper & quolibet sensu, illa inter se opposita essent, tum Spiritus Sanctus ipse palam sibi contradiceret: vt qui vtrumque de iisdem hominibus asserit: nempe & fide ipsos iustificari, & operibus. Vide Romanorum 4. Iacobi 2. & cap. 2. Aliquando igitur operibus iustificari, prorsus idem est, quod fide operante iustificari: Cum videlicet Spiritus Sanctus ait, hominem ex operibus iustificari, vel seruari: Cumque non quamlibet fidem, sed eam tantum, quæ per charitatem operatur, (quæque alibi per nouam creationem, &c. declaratur. Gal. 4. v. 6. &c.) in Christo valere dicit. Tunc enim æquipollentia hæc clarè satis indicatur. Id quod speciatim fit in loco Iacob. 2. Prout ibidem rectè Piscator annotauit. Sed hac de re supra satis actum videtur.*

Caluinistæ sibi cōmissi sunt.

Habemus ergo aduersarios reos sua confessione, & hostes, qui iam ad nostra castra transfugerunt.

Rationes deinde & argumentum Apostoli hoc ipsum euincunt: Neque enim hoc propositum erat Apostolo Iacobo, vt Christianis explicaret: *Fidē mortuam, nihil agentem,*

tem, sine bonis operibus in animo latitantem non potuisse decla-rare iustitiam Abrahami coram hominibus, tum quia de eo nemo dubitabat, tum quia contrarium suspicari nemo poterat. Quis enim adeo demens est, vt fide occulta, quam nemo nouit, iustitiam ostendi arbitretur? Si enim nihil iustè, nihil temperatè, nihil benignè faciat, quomodo iustus, temperans, misericors, & liberalis hominibus apparebit? Si nullum opus præclarum Abrahami exstitisset, notum mundo, non potuit eum mundus tanquam virum bonum cōmendare. Institutum igitur Iacobi fuit, eorum corrigere errorem qui in prauum sensum verba Pauli interpretabantur, putabantque solâ fide, non modo sine operibus legis, sed etiam sine operibus fidei, caritatis & gratiæ, se iustificatum iri.

Finis Epistolæ Iacobææ.

Deinde Iacobum asserunt loqui de fide, vt est assensiua notitia: Paulum de fide quæ est fiducia specialis. Fidem illam quam historicam nominant, non posse iustificare, Fiduciam specialem iustificare. Fidem historicam esse dæmonum fidem, Fiduciam specialem esse filiorum Dei. Hac se nebula tectos euasisse existimant, sed non modo hunc locum, sed omnia quæ ex Epistola Romana allegare solent, hac distinctione contra se vertunt. Esto enim de fide historica loquatur Iacobus. Quid hoc iuuat hæresin, Imo eam euertit. Sic enim concludo. Iacobus Apostolus cum negat fidem sine operibus iustificare, intelligit fidem historicam, qua ea quæ Deus reuelauit creduntur, non autem specialem fiduciam, omnium scelerum procreatricem, omnium pœnarum, aque adeo timoris immunem, ergo nec Apostolus Paulus: cum dicit fide hominem iustificari intelligit fiduciam specialem, sed fidem Catholicam, seu quam ipsi vocant historicam. Propositio est illorum. Beza ita in hunc locum, vbi inter Catholicorum errores recenset, quod fidem eandem apud Paulum

De qua fide loquatur Paulus.

ſum & Iacobum putent deſignari: nempe qua credimus Deum eſſe, &c. Hic autem illam fidem indicari à Iacobo vult, quam etiam vocat ſimulachrum fidei. Aſſumptio probatur. Paulus Apoſtolus de illa fide loquitur, de qua dicitur: *Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt illi ad iuſtitiam*, ſic vertunt illi.

Iacobus de illa eadem fide agit, igitur non alia fides eſt intelligenda apud Paulum, alia apud Iacobum: Ratio conſequentiæ eſt. Quia vna atque vnica fuit fides, qua Abraham eſt iuſtificatus. Iacobum autem de fide qua Abraham iuſtificatus eſt agere: probatur ex eo, quia adducit locum ex 15. Gen. quem & Paulus adducit. Deinde ex eo loco probat Abrahamum non ſola fide, ſed operibus etiã iuſtificatum eſſe, quamuis non operibus legis. Tertio, ſi non agit de vera fide, qua Abraham eſt iuſtificatus, ſine cauſa adducit in exemplum illius iuſtificationem. *Iacobus agit de fide iuſtificante.*

Tertia ratio. Iacobus non agit de iuſtificationis apud homines oſtenſione, ſed de vera iuſtificatione, & ea quæ coram Deo eſt, quia *Abrahamum* ait *eſſe iuſtificatum ex operibus offerentem filium ſuum Iſaac, & fidem cooperatam operibus illius, & ita ſuppletam ſcripturam quæ ait, credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* Ad quam iuſtitiam? Ad illam quæ coram Deo eſt, Non tantum quæ cenſetur iuſtitia apud homines. *Et apud Deum.*

Quarta. Totum argumentum Iacobi pertinet eo, vt hortetur Chriſtianos ad veram iuſtitiam, quæ coram Deo ſit in precio, non autem de iuſtitia humana ſollicitus eſt. Hinc illa ſimilitudo, quemadmodum nihil prodeſt egentibus, ſi quis dicat: ite in pace, calefacimini, & ſaturamini, non dederit autem illis quæ neceſſaria ſunt corpori, ita fides nihil prodeſt, niſi opera ſimul adiungantur, at fides eadem iuncta operibus, ſeu cooperans operibus, & cõſummata operibus, imputatur ad iuſtitiam, quia imputata

rata est Abrahamo ad iustitiam, hæc vera est, ergo & illa.

Fides vere bona opera efficit.

Quinta Ratio. Fides Abrahami cooperabatur operibus non ad solam iustitiæ declarationem, sed ad ipsam iustitiam, sed veram iustificationem, non ergo de declaratione sola agitur. Antecedens probatur: Quia, ideo quod fides cooperata est operibus, & perfecta est ex operibus, ideo inquam ἐπληρώθη, *suppleta est scriptura dicens, credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*, Fides igitur cooperando, & ex operibus consummata, effecit, vt Abrahamo imputaretur ad iustitiam, ad iustitiam non hominibus declarandam, sed iustitiam diuino iudicio approbatam. Agnoscit hoc in tenebris suis Pareus, cum ait, *Fidem cooperatam operibus vt essent vere bona*, vt in commentario loquitur. Si fides hoc egit, vt essent opera bona, & vere bona, ergo hoc egit vt Deo probarentur, atque adeo gratum efficerent eum à quo producerentur.

Quod quidam obtendunt, fidem non cooperatam operibus ad iustificandum, sed tantum cooperatam vt essent bona opera, nihil ad rem præsentem facit, & falsum est. *Fides cooperata est operibus, vt impleretur scriptura dicens, credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*, ergo fides cooperata est ad iustificandum. Imputari enim ad iustitiam est iustificari coram Deo imputante, non tantum coram hominibus agnoscentibus iustitiam.

Sexta ratio. V. 24. *Videtis quod ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum:* hic sensus esse non potest. Hominem ex operibus declarari iustum, non declarari iustum ex fide tantum. Quia fides sola non iustificat declarando iustitiam, sed disponendo, inchoando, vel secundũ hæreticos apprehendendo. Sensus autẽ Caluinisticus

esse

esse deberet. Videtis, quod ex operibus, & non ex sola fide coram hominibus homo iustus esse declaretur. At ille esse non potest: Tum quia illi de quibus agitur, qui sola fide iustos iactitabant, non quærebant de cognitione hominum, & fama iustitiæ, sed fide sola iustos esse se affirmabant, hos Iacobus non erat compositurus, si tantū ostenderet, eos non apparere iustos coram hominibus. Prompta enim erat responsio Hypocritarum. Non morari se hominum arbitria, Dei se iudicio stare, domi se sibi plaudere, dum fidem suam contemplantur. Tum vero quia exertè repugnat contextus. Dixerat v. 22. & 23. Iacobus. *Abraham pater noster nonnè ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius: & ex operibus fides consummata est? & suppleta est scriptura, dicens, credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est.*

Ex hoc concludit v. 24. *Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, non ex fide tantum.* At vero v. 23. dū dicitur, *imputatum ad iustiam*, intelligitur de vera iustificatione coram Deo: ratio est, quia eo sensu, *Imputari ad iustitiam*, vsurpat Iacobus, quo Moses, sed Moses de vera iustificatione loquitur, de vera igitur intelligendus est & Iacobus. At si de vera iustificatione non sola declaratione loquitur versus 23. igitur de eadem v. 22. & 24. Ideo enim iustificatum operibus ait Abrahamum, *quia imputatum est illi ad iustitiam, & imputatum est Abrahamo ad iustitiam*: ideo quia *fides cooperabatur operibus*: hinc concludit, *Ex operibus non sola fide iustificatur homo.* Qualis vero illa esset argumentatio. Abraham iustificatus est verè coram Deo ex operibus &, *scriptura quæ dicit, credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad iustitiam, impleta est, quia fides cooperabatur* ad hanc imputationem: igitur sola fide, vos non declarabimini iusti?

Septima

Septima ratio. Fides Abrahæ ex operibus fuit consummata ἐτελειώθη, hoc est, aucta est, & firmata, vt esset fides perfecta; ideoque perfectius operibus cooperabatur, adeo, vt Abrahamus vnigenitum suum Deo offerret, quod opus plane heroicæ obedientiæ fuit, & pietatis, atque adeo fidei, qua credebat, à Deo illum resuscitandum: Ideo per hanc fidem & opera *impleta est scriptura quæ dicit, credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*, non ad declarationem iustitiæ apud homines, quorum iudicio inter facinorosissimos potius haberetur immolator filii: Ideo & solitudinem quæsiuit, seruos sub monte reliquit. Respondet Pareus. Fides consummata est operibus, perfectione accidentali, seu declaratione, sed hoc iam refutatum est. Et ipsa locutio contrarium ostendit. ἐκ τῶν ἔργων ἡ πίστις ἐτελειώθη, *ex operibus fides perfecta est*, non autem patefacta est, non enim est fidei perfectio, si ab hominibus cognoscatur. Deinde consequitur illam perfectionem, vt Abrahamo imputetur ad iustitiam, non vt patefiat solum.

Patefactio non est perfectio.

Octaua ratio. *Rahab meretrix verè iustificata fuit nuncios suscipiens, & alia via eijciens*, hic igitur non de sola declaratione iustitiæ agitur. Nam reuera illa fuit iustificata. Veram fuisse iustificationem docet Heb. 11.31. *Fide, Rahab meretrix non perijt cum incredulis: excipiens exploratores cum pace.* Respondet Pareus, *vel ante iustificatam, vel illorum sermonibus credisse, & operibus se declarasse iustam.* Refellitur. Quia ipsa susceptione iustificata dicitur, siuè suscipiens. Deinde *Fide*, inquit Paulus, *non perijt, excipiens exploratores cum pace*, itaque de vera iustificatione agitur, quâ effectum ne periret, & hæc iustificatio tribuitur fidei, operanti per caritatem, à Iacobo autem ipsis operibus. Denique sic est intelligenda iustificatio Rahab meretricis, sicut iustificatio Abrahami, sed iustificatio Abrahami non est tantum declaratio, quia imputatum est illi à Deo ad iu-

ad iuſtitiam, nec igitur Rahab alia eſt iuſtificatio, & è cõtrario, iuſtificatio Rahab non eſt tantum declaratio, ergo nec Abrahami.

Quinto. D. Auguſtini Reſponſio eſt, Abrahamum primâ iuſtificatione eſſe iuſtificatũ ſine experibus, iuſtitiam vero illius operib⁹ adauctam fuiſſe. Iacobus autem Abrahamum operibus fidem cõſequentibus iuſtificatum, imo primam iuſtificationem non fuiſſe ſine operibus, quamuis ſine operibus virium naturalium, & meritoriis. Deſcribit ita Auguſtinus, in Pſal. 31. de fide & operibus cap. 14. & 15. & 25. de vnico baptiſmo cap. 10. de gratia & libero c. 7. Denique lib. 83. q. 76. *Prima iuſtificatio ſine operibus.* Quoniam Paulus" Apoſtolus prædicans iuſtificari hominem per fidem" ſine operibus, nõ bene intellectus eſt ab eis, qui ſic acce-" perunt dictum, vt putarent, cum ſemel in Chriſtum cre" didiſſent etiãſi malè operarentur & facinoroſè flagitio-" sèque viuerent, ſaluos ſe eſſe poſſe per fidem. Locus iſte" huius Epiſtolæ eundem ſenſum S. Pauli Apoſtoli quomo-" do ſit intelligendus exponit. Ideoque magis Abrahæ v" titur exemplo, vacuam eſſe fidem, ſi non bene operetur," quoniam Abrahæ exemplo etiam Paulus Apoſtolus vſus" eſt, vt probaret iuſtificari hominem per fidẽ ſine operi-" bus legis. Cum enim bona opera commemorat Abrahæ," quæ eius fidem comitata ſunt, ſatis oſtendit Paulum A-" poſtolum non ita per Abraham docere iuſtificari homi-" nem per fidem ſine operibus, vt ſi quis crediderit, non" ad eum pertineat bene operari: ſed ad hoc potius, vt ne-" mo meritis priorum bonorũ operum arbitretur ſe per-" ueniſſe ad donum iuſtificationis, quæ eſt in fide. In hoc" enim ſe gentibus in Chriſtum credentibus Iudæi præfer-" re cupiebant, quod dicebant, ſe meritis bonorum ope-" rũ, quæ in lege ſunt ad Euangelicam gratiam perueniſ-" ſe: ideoque ſcandalizabantur multi, qui ex eis credide-"

„rant, quod incircumcisis gentibus Christi gratia trade-
„retur. Vnde Apostolus Paulus dicit posse hominem sine
„operibus præcedentibus iustificari per fidem: nam iusti-
„ficatus per fidem, non potest nisi iustè deinceps opera-
„ri, quamuis antea nihil operatus iustè, ad fidei iustifica-
„tionem peruenerit: non merito bonorum operum, sed
„gratia Dei, quæ in illo iam vacua esse non potest, cum
„iam per dilectionem bene operatur. Quod si cum credi-
„derit, mox de hac vita decesserit, iustificatio fidei manet
„cum illo, nec præcedentibus bonis operibus, quia non
„merito ad illam, sed gratia peruenit: nec consequenti-
„bus, quia in hac vita esse non sinitur. Vnde manifestum
„est quod Paulus Apostolus dicit, Arbitramur enim ho-
„minem iustificari per fidem sine operibus. Non tamen
„ita intelligendum est, vt accepta fide, si vixerit, dicamus
„eum iustum, etiamsi malè vixerit. Ideo exemplo Abra-
„hæ & Apostolus Paulus vtitur, quia sine operibus legis,
„quam non acceperat, per fidem iustificatus est: & Iaco-
„bus, quia fidem ipsius Abrahæ opera bona consecuta es-
„se demonstrat, ostendens quemadmodum intelligen-
„dum sit, quod Paulus Apostolus prædicauit. Nam qui
„putant istam Iacobi Apostoli sententiam contrariam
„esse illi Pauli Apostoli sententiæ, possunt arbitrari etiam
„ipsum Paulum sibi esse contrarium, quia dicit alio loco,
„Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed fa-
„ctores legis iustificabuntur. Et alio loco, sed fides quæ
„per dilectionem operatur. Et iterum, si enim secundum
„carnem vixeritis, moriemini; si autem Spiritu facta car-
„nis mortificaueritis, viuetis.

Hinc facile apparet falsum esse, quod Pareus garrit, Hanc sententiæ expositionem esse nouum commentum, cum tot locis à S. Augustino tradatur, Deinde cur merito nos illam interpretationem de iustitiæ declaratione fugiamus,

fugiamus, quia noua est, quia contra textum est, quia nunc Caluiniani ipsi ab eà recedunt. Tertio, Inique agere Pareum cum mendacii, hæreseosque insimulat eos, quia interpretationem Caluinianam refugiunt. Cum enim Lubbertus Rigido Caluinista dixisset pag. 99. Locum Iacobi, 2. 21 16. *misere deprauat, qui ait Apostolum, non de ostensione iustitiæ apud homines, sed de vera iustificatione coram Deo loqui. item qui ait, ex operibus iustificari istic idem esse, quod ex fide operante iustificari &c.*

Respondet ei Vorstius errore 90. 1. *Nimis inciuiliter seu rusticè loquitur D. Sibrand. cũ deprauationem id vocat, q[illegible] multi Orthodoxi Doctores, præsertim veteres aperte tradiderunt: immò quod cum scopo Apostoli, & omnibus eiusdem argumentis, alijsq; loci circumstantiis optimè conuenit. 2. Etenim scopus Apostoli. vers. 14. & sequentibus, est docere, hominem non seruari otiosa illa & mortua fide, quæ bonis operibus destituitur. Et huc non modo similia quædam, sed & exempla illa Abrahami, & Rababæ accommodat. Alienum igitur foret, illum postea de ostensione tantum Iustitiæ, & non de ipsa vera iustificatione loqui. 3. Si D. Sibrando lubet, vel solam Piscatoris analysin hoc loco inspiciat. Vbi rationes non paucas inueniet, pro hac veriore sententia. Quas si reuellere volet, inueniet certe quod agat. Saltem discet ex illo fortasse, paulo ciuilius de ijs loquendum esse, qui huic sententiæ assentiuntur. Caluinus hic quidem paulo aliter sentit; sed ratio pro Piscatore facit.*

Caluiniani n[illegible] ex[illegible]nem probant.

Sexto Manet tamen in verbis Pauli omnibus soluenda difficultas. Si enim Paulus citat locum Mosis ad astruendum primam iustificationem, Iacobus autem ad astruendam secundam iustificationem, alteruter impropriè, imo perperam abuti videtur. Secundo Paulus de secunda etiam iustificatione agere videtur. Nam cap. 15. dicitur, *fides ei reputata ad iustitiam*, cum tamen iam ante iustus esset. Expresse enim scribitur Hebr. 11. 8. *Fide qui vocatur*

Abraham, obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem: & exijt nesciens quo iret. Fide demoratus est in terra repromissionis, &c. cum vero fides iustificans Caluinistis sit omnino indelebilis, pariterque iustitia, fidei, vt putant, indissolubili nexu cohærens, non potest eo tempore iustificatus dici Abraham, maxime cum iustitiam negent augeri posse: primam enim aiunt esse perfectissimam, at iam prima erat, nec est augmentum, nullam ergo nouam consecutus est, si Caluinistis credimus. Fatetur autem Pareus Abrahamum triginta annis amplius iustum fuisse, quam de eo diceretur. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Idem com. ad Rom. in cap. 3. conatur ostendere dogma de primâ & secundâ iustitiâ commentitium esse. Quomodo ergo fides illi est reputata ad iustitiam?

Hac ex difficultate se varie expedire conantur Sectarii, sed irrito conatu. Pareus in hunc locum dub. 2 *Sane prius non fuerat fidei & iustificationis expers toties auditis & fidei obedientia susceptis promissionib. diuinis. Tunc tamen præcipuè prædicatur credidisse, & fide iustificatus esse: triplici de causa: Primum quia tunc fides eius graui tentatione quassata & perturbata (vt est in historia) potenter emersit. Deinde quia tunc fides eius reddita fuit, multo quam ante validior atque illustrior. Denique quia tunc Spiritus Sanctus fidem eius hoc elogio præcipue insignire voluit ad ipsius & nostram consolationem. Fides enim semper quidem iustificat, sed tunc maxime de iustificatione & gratia Dei nos certos reddit, quando firmissimè in Dei promissione recumbit: quâ de re pluribus in Genesi ad hunc locum fuit actum.*

Pareus re ipsa negat Abrahamũ fide iustificatum.

Verum illæ responsiones ad rem nihil faciunt. Nam etsi fides potenter emersit, nõ tamen tum iustificatus est, qui ante iustus erat: nec refert quod tunc præcipuè credidit, & iustificatus est. Nam si illud quod interpretatur

credidit

credidit Abraham Deo, &c. Fit præcipuè credidit, *& reputatum est illi ad iustitiam*, hoc est fide iustificatus est, quando ergo fidem amisit, Aut iustitiam? Nonne & ante hunc fidei actum iustus erat, nonne Deus post primam fidem semper illi iustitiam imputauit?

Quod vero fidem exinde illustriorem redditam esse affirmat, & validiorem id verum est, verum cum iustitia eius non accreuerit quæro quomodo ille qui iustus est, dicatur iustificari, nulla noua vllius iustitiæ accessione?

Quid vero indicare vult, cum ait, Deum tunc fidem eius hoc elogio insignire voluisse? Laudarit fidem illius Deus, sed quomodo dixit fide eum iustificatum tum, cum non iustificaretur? *At semper* inquit, *fides iustificat, sed tunc maxime de iustificatione & gratia Dei nos certos reddit, quando firmißime in Dei promißione recumbit.* Quæ fides semper iustificat? Habitus credo fidei, continuo igitur iam annos triginta habitu iustificabatur Abraham, & habitus illi imputabatur in iustitiam, seu potius passio Christi imputabatur in iustitiam. Quid est ergo. *Et reputatum est illi ad iustitiam?* An firmissimè recubuit in promissione? non enim aliter, nec magis nunc iustificatus est, quam ante fuit. Quamuis fides auctior facta sit, non tamen iuxta aduersarium iustitia creuit.

Septimo. Alia responsio est, quam insinuat Pareus, & Caluinus, & sane ex illorum sequi dictis omnino videtur. Docet Pareus: *Post victoriam de regibus, Abraham orbitate sua perturbatus desperata prole, & promißionum euentu cogitat de condendo testamento, & instituendo hærede serui filio.* Itaq; Abrahamum grauiter peccasse volunt, vt qui Deo non crediderit, deinde iterato confirmatum oraculo, resumpsisse animum ac credidisse, atque adeo ex eo peccato per fidem iustificatum esse; Quam nos sententiam si amplecti vellemus, atque ita sentire de Sanctissimo Patriarchâ, eum desperasse prolem, ac proinde Deum non

agnouiſſe veracem, ſublata fuerit vniuerſa difficultas: dicemus enim iuſtitiam perditam recuperaſſe, ideoq; primam accepiſſe per fidem, non per opera quibus eam meritus ſit, verum per fidem, & caritatem. Neq; enim primã iuſtitiam appellamus eam duntaxat, quæ omnino prima datur, ſed quę poſt peccatum mortale pœnitenti primum infunditur, etiam ſi centeſima ſit.

Hac reſponſione tamen aduerſariis vti non licet. Quia quamuis Abraham deſperauerit de prole, non tamen ea deſperatione fides ſublata eſt iuxta nouitiam Theologiã, ſed habitus fidei illum cum deſperabat, in ipſa perfidia iuſtificabat, id que ante actum fidei, quo credidit, & ante pœnitentiam qua deſperaſſe ſe doluit, manſit igitur ſemper integra fides, iuſtitiaque, quamuis atrocem iniuriam Deo, quod non crederet, ſine dubio inferret: non igitur dicere poſſent, eum credidiſſe, & iuſtificatum eſſe, quia iuſtus erat ante actum credendi, & ſi peccato factus eſſet iniuſtus, tamen ante quam crederet iuſtificatus eſſet.

Octauo. Tenenda igitur ſententia S. Auguſtini excludi tantum opera liberi arbitrii, non opera gratiæ, quod etiam Arminiani, Vorſtiani, cœteri prudentiores Sectarii concedunt. Ideoq; cum negat ſcriptura Abrahamum iuſtificatũ ex operibus, de illis negat quæ ſine gratia erant, his enim non merebatur iuſtificationem, tantum autem abeſt vt ex iniuſto bona opera poſſint iuſtum efficere, vt ne quidem iuſtiorem faciant, ſi à iuſto fiant, non autem ex motiuo fidei, caritatis, ſeu gratiæ ſupernaturalis. Cum igitur Iudæi & Gentiles ſe iuſtos eſſe factos ſuis operibus ſine fide factis gloriarentur, id falſum oſtendit Apoſtolus, quia ne Abraham quidem talibus operibus, ſed fide iuſtificatus eſt, nõ modo initio, quando fide exiuit in terrã Chanaan, ſed etiam poſtea, cum iuſtior redderetur? Ex ſecundâ autem rectè prima comprobatur, ſi enim iuſti opera naturalia non iuſtificant, multo minus iniuſti.

Nono

Nono Sententia Augustini etiam recte extendi potest ad iustificationem Abrahami primam. Vt nimirum illa verba: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam,* non ad proxima solum referri, sed ad totam historiam vitæ Abrahami, quam a c. 11. Moses exorsus est, vt post eam narrationem, hoc loco Moses quasi Epiphonema, & axioma proponat, cum scilicet omnia illa fecerit Abraham, non tamen iustificatum esse suis operibus, sed fide in Christum, per quam fidem opera edidit. Neque enim heroicis virtutibus sine fide in Christum iustitia adscribi potuit. Adiungendum hoc de primâ iustitia ostenditur *credenti autem in eum qui iustificat impium.* Firmum itaque est hoc argumentum. Abraham non est iustificatus operibus liberi arbitrii, nec ergo vos iustificari poteritis, ille iustificatus est fide ab initio, iustitiamque per fidem & opera fidei adauxit, non ergo vos vestris operibus liberi arbitrii, sine fide iustiores fieri poteritis. Ita Augustinus intelligendum docuit.

Hinc apparet Paulum non oppugnare opera gratiæ, nam opus fidei etiam irritum redderet, sed opera philosophica, eorum qui dicebant. *Iam bene viuo. Quid mihi precepturus est Christus?*

Decimo. Non potest vlla in parte Caluiniana defendi expositio. Ratio est, Iacobus enim fidem ait esse sine operibus mortuam, non prodesse si quis opera non habeat. Itaque ad salutem, & vt maneat iustificatio, opus est operibus. At Caluiniani ea non requirunt, fidem enim iustificantem, atque adeo iustitiam manere fingunt, quamuis varia atque enormia scelera committant. At Iacobus Apostolus, ne personarum quidem acceptionem cum viua & saluifica fide consistere posse demonstrat.

CAPVT

CAPVT XLII.

Quæ obijciant aduersarij contra veterem expositionem



VM multa adferant, ex variis locis solum [illegible] quæ ad hunc locum propriè pertinent [illegible] nam, etsi enim ex ante dictis intelligi & [illegible] pleraque facile queant, seorsum tamen ex-pendere libuit, vt obiectorum vanitas tota appareat.

Obiectio 1. *Paulus excludit omnia opera quæ vocat opera simpliciter, nulla ergo admittit ad iustificationem*

Obiectio 2. *Paulus agit de iustificatione Abrahami tam iusti, ergo opera ex fide facta etiam excludit.*

Obiectio 3. *Apud Iacobum est, non, fides simpliciter, sed* ἡ πίστις *hæc fides: Fides mortua non vera non potest saluare. Non igitur de vera fide Iacobus loquitur.*

Obiectio 4. v. *18. Dicitur ostende mihi fidem tuam, ergo tantum agitur de fidei & iustitiæ declaratione.*

Obiectio 5. *Iacobus iustificationem negat fidei dæmonum, qui credunt & contremiscunt, ergo fides de qua agit, non est vera.*

Obiectio 6. *Fides mortua non est vera fides sed Iacobus ait fidem sine operibus esse mortuam, ergo fides sine operibus, non est vera fides.*

Obiectio 7. *Fides cooperabatur operibus, ergo ad ostensionem iustitiæ seruiebat tantum, sed non operabatur, sed tantum cooperabatur.*

Obiectio 8. *Opus omne habet debitum, sed non potest esse meritum, quod est debitum.*

Obiectio 9. *Abraham credidit seminis multiplicationem, ergo de sua salute certus erat. Nam non poterat de carnali progenie tantum accipi, sed de spirituali, si ille pater omnium credentium, igitur & ipse electus erat.*

Obiectio 10. *Vno opere hominem iustificari repugnat natura iustitiæ, & scriptura, quæ dicit, Qui non manserit in omnibus.*

Respon

Responsio ad I. Non excludi omnia simpliciter opera ex ipso Paulo colligitur. Nam illa opera excludit, ex quibus gloriari posset, qui iustificatur, at propter opera gratiæ gloriari nemo potest. Deinde admittit opera fidei, & ipsam fidem. Ideo vero dixit: *Non operibus*, vt ostenderet Abrahæ operibus adfuisse fidem, vt monet Augustinus. Idcirco hanc oppositionem Apostolus fecit, vt ostendat opera Abrahami habuisse fidem rectam adiunctam.

Propter opera gratiæ nemo potest gloriari.

Ad 2. Iam exposui, quomodo generatim ad totam iustificationem pertineat illud: ***Imputatum est illi ad iustitiam.*** Respicit enim initium, & primam eius obedientiam quæ ex fide fuit, & omnia augmenta non ex operibus liberi arbitrij, sed ex fide accesserunt.

Ad 3. Vt argumento illo aliquid concludatur, necesse est propositionem constitui generalem. Quandocunque non dicitur simpliciter πίστις, sed cum articulo ἡ πίστις intelligendum est de falsa fide. Quod ne quidem aduersarius concedet. Nam n. 5. c. 4. Rom. dicitur λογίζεται ἡ πίστις αὐτοῦ εἰς δικαιοσύνην, reputatur fides eius ad Iustitiam.

Ad 4. Speciem aliquam habet, quod ex Epistol. Iacobi c. 2. 18. Sed dicit quis, *Tu fidem habes: & ego opera habeo. Ostende mihi fidem tuam sine operibus: & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* Interim si textus ipse spectetur, nullo modo hæresis fiduciaria per illum adiuuatur. Dicitur enim fides sine operibus mortua in semetipsa, de vera fidei morte & insufficientia agitur, non ea quæ est apud homines declaratione. Illa igitur antithesis cum dicitur, *Tu fidem habes, & ego opera habeo; ostende mihi fidem tuam sine operibus &c.* Non habet eum sensum, quasi dicat, *Tua fides sine operibus non apparet hominibus, & mea ex operibus declaratur.* Neque enim contentio est, vter apud homines fidelis & iustus appareat, sed cui fides vtilis sit, cuius fides

ſit inanis, & ocioſa; at non eſt fides inanis & ocioſa, ſi hominibus eſt incognita, ſed quam Deus iudicat inanem eſſe.

Fides dæmonum. Ad 5. Dæmonum fides, & impiorum Chriſtianorum partim conueniunt, partim diſtinguuntur. Conueniunt in eo quod vtrique veritati diuinæ aſſentiantur; diſcrepant quod fides dæmonum non ſit ex habitu ſupernaturali, nec voluntatis libera motione, ſed ex euidentia rerum quarundam, vnde credere coguntur futura. Itaque ſolum monet Apoſtolus Iacobus non ſufficere fidem habere ſine caritate, ſi enim nudum credere ſufficit, etiam dæmones eſſent iuſti. De ſolo aſſenſu agit, qui ſolus eſt propriè fides actu.

Fides mortua. Ad 6. Cum fides mortua dicitur, non negatur veritas eius eſſentialis, ſed vigor & virtus producendi effectus, mortua fides, vera fides eſt, vt corpus mortuum, verũ corpus, lignum aridum, verum lignum, mortua enim dicitur quæ eſt ἀέργος ocioſa, ſicut Abrahæ corpus emortuum vocat Paulus, & emortuam vuluam Saræ, quod natiua fœcunditate deſtituerentur. Verum tamen vtriuſq; corpus, ſic igitur fides emortua eſt ſine operibus, ſed vera fides, quia donum Dei.

Cooperatio fidei. Ad 7. Hoc argumentum magis ſtringit aduerſarium. Si enim fides cooperabatur, non ergo relatiuè duntaxat ſe habebat, deinde ſi fides cooperabatur, ergo caritas etiam operabatur, ergo & caritas ad iuſtificationem contulit. Deinde quomodo fides cooperabatur operibus ad oſtenſionem iuſtitiæ, niſi forte hominibus apparet, quæ opera ſint ex fide, quæ vero ſine fide. Denique quomodo fides ſeu fiducia Caluiniana cooperatur operibus, cum Beza in Colloquio Mompelgartenſi profiteatur, qui nullam vnquam bonam cogitationem deſideriumque habuerit, fiduciam tamen inculcandam, dicendumque habiturum

bona

bona desideria, ac Spiritum sanctum, *solem ortum esse, etsi nondum ortus sit*? Quid vero dicent cum animo delibera-to, scientes, prudentes grauia atque enormia flagitia concipiunt, ausi immane nefas ausoq; potiti exultant? An & tum fides cooperatur operibus? An tum fides illa viua, vegeta, fiducialis, iustificatrix, ipsaq; iustitia consortia tantorum facinorum non refugit?

Ad 8 Omne debitum repugnat gratiæ, quod datur operi; datur ex gratia, non ergo ex debito. Itane vero? An promissio gratiæ non ex gratia? & an promissio non parit debitum? Omnino debitum est, sed gratuitum. Tale est omne debitum, quo obligatur Deus, debitum in sola gratia fundatū. Naturæ enim omnium creatrici, omnium dominæ repugnat, quicquam debere nisi ex gratia. Debere tamen potest, quia promittere potest.

Ad 9. Non concluditur ex promissione de seminis multiplicatione certitudo prædestinationis, nam aliorum quoque fuit numerosa posteritas, quorum tamen de salute nihil constat. Certe Cain, Chanaan, Esau gentes de se genuerunt, nec tamen sanctos esse existimandum est. Neque promissio benedicti seminis, & de Christo datum oraculum illam certitudinem firmare potuit. Multi enim in Genealogia Christi peccatores inueniuntur. Pater autem credentium & typus esse potuit Abraham credens, & perseuerans, etsi de perseuerantia incertus, quemadmodum Salomon Christi typus fuit, de cuius tamen salute certi nihil constat.

Ad 10. Hoc tam est contra Caluinistas, quam Orthodoxos. Si repugnat vno opere iustificari, nec vno igitur opere fidei iustificabitur quisquam, non igitur verum est, *Credidit Abraham Deo & reputatum est illi ad iustitiam.* Imo nec centum actibus fidei iustus esse potest quispiam.

Idem argumentum de habitu pari firmitate concludit: eodem enim modo nec vno habitu iustificari quispiam posset, cur enim vnus fidei habitus iustificet, non vnus actus? Nos vero fatemur iustos nos vno opere non esse, sed iustos habitu iustitiæ, seu caritatis, quæ omnes actus in se continet, animatque. Vno etiam opere iustificamur, dum in gratia constitutis augetur iustitia. Quæ ex alijs locis hic coaceruant, proprio in loco nos dissoluemus. Atque hic est status in Europa de religione in primario iustificationis articulo. de quo multa hoc anno Scharpius in Gallia. Tomsonus in Anglia. pag. 139. &c. Iubilæus Academicus pag 102. &c.

CAPVT XLIII.

An opera iustorum mereantur vitam æternam?

Merita bonorū scādala sunt impiorum



PRimaria accusatio est, & multis visa iusta causa recedendi à prisca Ecclesiæ primæuæ pietate; quia merita bonorum operum agnoscimus. Matthias Hoe Conc. 2. pag. 100. *Tantam in Papatu præsumptionem fuisse scribit, vt sibi Deum obligari ex debito ad vitam æternam arbitrarentur, ideo nec Deum timuisse*, ait. Eadem Iubilæus Euangelicus pag. 53. & 76. alijque. Scharpius controuersia 15. col. 994.

Operū necessitatem multi fatentur.

Primo quidem operum ad salutem necessitatem, & adiumentum multi fatentur. Quapropter Lutherani Caluinistis obijciunt, *quod similes sint Pontificiis*, ita Reineccius de ortu Caluinist. c. 12. Nam etiam Piscator necessaria opera ad salutem esse fatetur. Vorstius vero in p. 2. Thessalr. p. 126. suo modo causam adiuuantem, & efficientem salutis. Idem apud Lutheranos olim Maior docuit. Caluinus

l. 3

l.3.c 14.sect.21. *Istis nihil obstat quo minus opera Dominus, tāquam causas inferiores amplectatur, sed vnde id? nempè quos sua misericordia, æternæ vitæ hæreditati destinauit, eos ordinaria sua dispensatione per bona opera inducit in eius possessionem.*

Quod si opera vt causas Deus amplectitur, necesse est causas meritorias esse. Naturales n. esse non possunt. Si Paulum audirent Ro.2. 6. *Qui reddet vnicuiq; secundum opera sua*, ὃς ἀποδώσει: Iam res decisa esset: nam reuera merita locus ille indicat, vt & similia sunt Matt.16 27. Lu.6. 1.cor.3 Gal.6. Apoc. vltimo, Matt: 16. 27. Planè cum hoc conuenit: *Filius enim hominis venturus est in gloria patris sui cum angelis suis, & tunc reddet vnicuiq; secundum opera eius.* Luc. 6. 38. *Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* 1. Corinth. 3. 8 *Vnusquisq; autem propriam mercedem accipiet secūdum suum laborē.* Gal.6. 8 *quæ n. seminauerit homo, hæc & metet: Quoniā qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem, qui autē seminat in spiritu, de Spiritu metet vitam æternā.* Ap.22. 21. *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere vnicuiq; secundum opera sua.* Habemus ergo dari mercedem secūdum opera, eadem qua mensi fuerint, remetiendum esse, imo non mercedē modo, sed mercedem secundum laborem. Vbi autem est ἀπόδοσις, *reddito*, vbi פרע vt est in Syro, quod est restitutio, retributio, & interdum vltio. Vbi est μισθὸς Syriace אגרא merces, & quidem merces secundum opera, ibi est meritum operum, hæc enim reciprocè inter se dicuntur, & se mutuo ponunt, & tollunt.

Merces meritorū est correlatiuum.

Deinde hæc expositio est sanctorum Patrum, atq; Ecclesiæ, S. Chrysostomus redditionem illam vocat ἀντίδοσιν, quæ proprijssimè est retributio, quæ priori donationi respōdet, & Syrū פרע nota marginalis exponit verbo גמל quod est donū dono rependere, vicissim reddere. Secundum opera, S. Chrysostomus κατ' ἀξίαν secundū dignitatē

operum, quod Apoſtolus alibi, ſecundũ laborem. Syrus reddit בל בש omni viro, ſeu omni homini, אירעברנהון ſicut *opera eius*, hoc eſt, reddita merces erit, qualia ſunt opera, numero, qualitate, quantitate, omnia n. quadam ſibi proportione reſpondebunt, vt nemini dubiũ ſit, certam mercedem certis operibus, magnam magnis, bonã bonis, malã malis reddendã. Addita hæc monet D. Chryſ. ne de ſola fide ſe quiſpiam iactet, καὶ δείκνυσι, inquit, ὅτιού χρὴ τῇ πίστει θαῤῥεῖν μόνον, καὶ γὰρ καὶ πράξεων ἐστὶ τὸ δικαστήριον ἐκεῖνο ἐξεταστικόν. *Et oſtendit non fide ſolum eſſe fidendum, etenim & opera tribunal illud examinat*. D. Chryſoſtomo Auguſtinũ adiungam l. de Virginit. c. 26. *Quia vero in ipſa vita æterna diſtinctè fulgebunt lumina meritorum, multæ ſunt manſiones apud Patrẽ: ac per hoc quidẽ in denario non impari, non viuet alius alio prolixius: in multis autem mãſionibus honoratur alius alio clarius. Idem ſerm. 4. de ſanctis. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, fratres, iubet nobis aliquid, & promittit nobis aliqd. Quod iubet, hic eſt: ꝙ promittit, alibi eſt. Quod iubet finitur, quia tẽporale eſt: quod promittit, non finitur, quia æternum eſt. Quod iubet, opus eſt: quod ꝓmittit merces eſt. Hinc aduertat veſtra Sanctitas, quanta eſt eius miſericordia erga nos, vt laborem hic poſuerit cum fine, mercedẽ in cœlo ſine fine. Et ideo debemus prius hic laborare, & poſtea in cœlo mercedem ſumere: quam hic mercedem vel accipere, & poſtea laborare. De quibuſdam n. dicit: Amen dico vobis, perceperunt mercedem ſuã. Sed forte auidus es ad mercedem, & piger ad laborem. Qua fronte poſtulas ꝙ promiſit Deus, ſi non facis, quod iuſſit Deus. Prius audi monitiones & ſic exige repromiſſiones. Prius, inquam, audi iubentem, & tunc exige pollicentem. Iubet n. nobis, & dicit, Diligite inimicos veſtros, benefacite his q oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos. Audiſti opus, expecta mercedem: vt ſitis, inqit filij patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuũ oriri facit ſuper bonos & malos: & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.*

Operi merces datur.

Auguſtini verba probãtur ex Iob 34. *Abſit à Deo impietas, & ab*

& ab omnipotente iniquitas: opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias singulorum restituet. Sic Pſ. 61. *quia tu reddes vnicuiq; secūdum opera sua.* Imo Apoſtolus *hoc leue tribulationis* ait *æternū gloriæ pondus operari*, ſiue vt Auguſtinus, *virtus operis est fructus vitæ æternæ.* Eadē cæteri patrū, quos magno numero à Catholicis tractatorib. citatos eſſe ſēties.

Tertio. Merces datur ſecundū opera, eſt igitur aliqua operū æſtimatio & dignitas in cōſpectu Dei, vt quia filiū Abrahā immolauit, Deus Benedictionē promiſit: nā dari mercedē ſecundū opera eſt dare ſecundum proportionē operū, vt ante dictū eſt: deinde merces operibus promiſſa eſt. Cū igitur conditio operū impletur, neceſſe id quod operib. promiſſū eſt, iā debitū eſſe. Et hoc eſt, quod meritū vocamus. Ita Auguſt. enarratione in Pſ. 32. *Habemus ergo & fidelē Deū: distinguamus fidelē Deū à fideli homine. Fidelis homo est credens pmittēti Deo, fidelis Deus est exhibēs, q̄ pmisit homini. Teneamus fidelißimū debitorē, q tenemus misericordissimū debitorē: cū ab illo habeamus, qcqd illi offerimus, & ex illo sit, qcqd boni sum⁹. Omnia bona, qbus gaudem⁹, ab illo sūt. Quis n. cognouit sensū Domini, aut qs cōsiliarius eius fuit: aut qs prior dedit ei, & retribuetur illi? Quoniā ab ipso, & per ipsū, & in ipso sunt omnia. Ergo nō ei aliqd dedimus: & tenemus debitorē. Vnde debitorē? Quia pmissor est. Nō dicimus Deo, Domine redde q̄ accepisti, sed redde q̄ promisisti: quoniā rectus est sermo Domini. Nec modo debitorē nostrū agnoscimus Deū, sed syngraphæ ēt obligatū in Pſ. 109. Fidelis Deus, qui se nostrū debitorē fecit: nō aliqd à nobis accipiendo, sed tanta nobis pmittendo. Parū erat pmißio, ēt scripto teneri voluit, veluti faciens nobiscū chyrographum pmissorum suorū: vt cū ea quæ pmisit, soluere inciperet in scriptura, promissorum cōsideraremus ordinē soluendorū.*

Quarto. Hoſtes meritorum noſtrorum, qui negant mercedem ſecundum opera dari, non tamen omnino merita negant. Confeſſio Auguſtana non quidem vitam æternam, ſed temporalia ſeu corporalia pro operibus

& me-

& meritis dari concedit. Quod ſi verū eſt, Deus igitur in illis debitor efficitur, quę donat ex merito: nulla aūt ratio eſt, cur, cū ſit eadē promiſſio, & vi promiſſionis ſe debitorē faciat, in temporalib. obligetur, nō obligetur in æterna vita danda, cū promiſſio Dei & in maximis, & in minimis inuiolabilē habeat obligationem fidelitatis. Qui dederit hauſtū aquæ frigidæ, non perdet mercedem, merces aūt hoc loco eſt vita æterna, maior operibus, ſed tamē operibus debita, quia operibus promiſſa.

Quinto. Diuinā δικαιοκρισίαν ſeu iuſtū iudicium probat Paulus ex effectu, quia vnicuiq; reddet ſecundum opera ſua, non modo malis mala, ſed & bonis bona. Itaq; eſt & in bonis illa numinis δικαιοκρισία iuſtū iudiciū: operib. igitur bonis iuſta fit cōpenſatio, ergo ex merito tanquā merces datur Nā quæ omni conſideratione gratuita ſunt, nō dantur ex iuſto iudicio, ſed ſola beneuolentia, & liberrima, quia ſine promiſſione. Hoc vnus hæreticorū & ſuorū, & ſui oblitus hoc loco docet. Secundo. Iudiciū fore æquiſſimū docet, quia retribuet vnicuiq; ſecūdū opera ſua citra προσωποληψίαν: quod eſt iuſtitiæ diſtributiuæ, κατὰ τὰ ἔργα dicit hic, & alibi innuens opera hominū fore manifeſtæ æquitatis regulā, quam Iudex in Iudicio ſequetur, ne obſcura aut dubia eſſe poſſit iudicij rectitudo. Naturalis eſt n. æquitas, quā nemo neſcit aut in dubium vocat, vt cuiq; bene, vel male ſit, prout quiſq; benè vel male egerit. Si igitur opera ſunt regula iudicij, ſi ęquitatis naturalis ratio poſtulat, vt qui bene egerit, illi ſit bene: Bene eſt igitur illi propter opera, & quia bene eſſe illi eſt vitam æternā poſſidere, vitam æternam poſſidet propter opera. Propter opera dico, quia ēt illi, qui meritum negant, vt Caluiniſtæ molles, & quidam rigidiores, concedunt reſipiſcentiam noſtram eſſe cauſam iuſtificationis. Vorſtius de 100. erroribus inſignioribus Sibrandi.

Sexto. Quia impiæ & profanæ diſputationes de meri-

to eo tādem processerunt, vt etiam merita Christi, & satisfactionem sustulerint è medio, vt in libello de augmēto hæreseon demonstraui c. 2. quo capite quia hæc improbitas luculenter ostenditur, placuit illud huic quæstioni inserere. *Postquam semel Apostolorum leges doctrinamq́, Ecclesiæ refugere visum est nouatoribus, & sui nominis familiā ducere, ea collegerunt, quæ cauillis opportuniora fore videbantur. Maximo itaq; studio doctrinam de merito exagitarunt. Tanta hypocrisi, tā artificiosa humilitatis ostetatione, vt incautos fallerent, & properè, non animaduersi, malū vulgarēt. Vllane, dicebant, vel sanctissimorū merita hominū agnoscemus. Quanā superbia est nobis tribuere merita, & ius suū, honoremq; Deo detrahere. Ad Deum omnia in solidū referenda sunt. Omnia à Deo iussa, debita ergo nostra sunt, nō merita. Creatura non pōt obligare creatorē, omnia opera nostra sunt res creatæ, à Deo dependentes, non igitur facere Deum debitorem possunt. Si demereri Deum creatorē suum lutea figmēta possunt, certe inter omnia opera merendi prærogatiuam haberet amor diligentium Deū ex toto corde, ex tota mente, ex omnibus viribus. At mereri illud opus non potest, quia donum est Dei, iussum est à Deo, creatura est. Demonstrabant tū nostri Doctores meritis Sanctorū non tolli gratuitam Dei misericordiam, augeri honorē, Christi gloriā extolli. Non detrahi quicquā creatrici Maiestati, nec munificæ bonitati, cum ipsa opera sint non modo ex gratia, sed ēt gratia, cum merita nostra sint Dei dona, iussa sunt à Deo, & facta sunt merita, quia præcepto faciēdi, quod sine præmio præstare creatura debuit Domino, infinita benignitas legislatoris ex gratuita addit promissionem remunerationis. Iussa ergo, & merita, quia iussa cum conditione præmij. Non potest habere creatura debitorē illū, cuius totum est in solidū, quod est, & quod agit, si vel operantem, vel natiuam vim virium spectemus. Habet tamen misericordissimum promissorem de infinitissimæ bonitatis liberrima φιλανθρωπία merendi facultatē vltro offerētem, fidelitate, iuramento, fœdere suo immutabiliter præmia decernentē: sua igitur na-*

tur natura, quæ est iustitia & bonitas, non vi operum tenetur, suo se chyrographo obligauit, cum creaturæ se illa conditione deuinxit, vt redderet vnicuiq; secundum opera eius. Abrahæ certe iurans per semetipsum, cum impossibile sit mentiri Deum, sua se fidelitate obligauit. Hebr. 6. 14. 17. amor ergo noster Deum tenet obligatum, quē amat, quia Deus amorem sui, quem diffudit gratuito munere in cor nostrum, voluit esse etiam meritum amātis.

Tantæ veritatis manifestationi tum quidem solum obstiterunt, at nunc quo progressi sint, docent libri pestilentissimi. Nam argumenta illa, quæ contra humanam præsumptionem facta videbantur, in Christi contumeliam conuerterunt Sociniani discipuli Caluinianorū, in praua perquam ingeniosi. Mors Christi, inquiunt, iussa est. Hæc doctrina hæresis est secūdum Arrianos, & Mahometanos. Et sane magna parte iam Christi meritum euacuarunt: Tota humiliatio Christi non habet rationem meriti, sed tantum solutio lytri, hoc est, passio mortis, inquit Sibrandus pag. 50. Insaniam plerique etiam corroborant suggerendo Socinianis argumentorum omnium solutiones. Exemplum dabo. Cum dicitur Rom. 14. 9. In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, vt viuorum & mortuorum dominetur. Philip. 2. Exinaniuit &c. propterea exaltauit eum Deus. Orthodoxi concludunt sibi ista Christum meruisse. Respondit Pareus ad 1. particula ἵνα, vt, significat τελικῶς, sed meritum nō includit. Ad 2. particula διὰ significat ordinem & consequentiam, non causam. Pari omnino audacia noui ex veteribus Caluinistis hæretici, vbicunque indicatur nobis Christus meruisse, consequētiam & ordinem esse contendunt, non meritum, ordinationem Dei non fuisse, vt Christus mereretur, sed vt conditione passionis & mortis posita nos reconciliaret, idq; gratuita beneuolentia non mediatoris merito. Contra merita Sanctorum Principili vehementer vrgebant nomen meriti in scripturis non inueniri, ideo & vocem profanam, & doctrinam esse impiam; idem de Christi merito docti à suis Magistris vrgent meliori iure, insigniore malitia Sociniani meritum Christi non est in scripturis, non est igitur quicquam ille

meri-

meritus. quid Pareus in Rom. 5. dub. 7. licet enim vocabulum meriti nusquam extet: quia nec Hebræi, nec Græci vllum habent, quod merito proprie respondeat. nam Hebræorum חסד *misericordiam & gratiam potius, quam meritum; Græcorum ἀγαθοποιΐα operationem quamcunque bonam significat; tamen ad sensum meriti accedit vox περιποιήσεως acquisitio. Sed respondent illi, Moysen etiam περιποιήσασθαι, & Paulum saluos aliquos facere conatum, hæc omnia de ordine & consequentia debere à Magistris intelligi. Nam negare illos sibi Christum meruisse. At cum acquisiuit Ecclesiam sanguine suo, si merendo fecit, ergo & sibi meruit. nam sibi emit, ius igitur emptionis nouo est consecutus titulo nouum igitur, seu potius noui tituli dominatum consecutus est. Aut igitur sanctorum merita defendant, aut eisdem argutijs Christi meritum, satisfactionem, mortem, sanguinem euacuent, Arrianismum, Socinianismum adiuuent, Turcarū blasphemijs, quorum crudelitatē adhuc à ceruicibus nostris Deus auertit, pectora Christianorum subiugent. nam factus est obediens vsque ad mortem, non ergo meritoria, non pretium salutis mors Christi, dolores, opera res erant creata, non ergo obligare poterant creatorem. Amor Christi quo diligebat Deum res creata, nō ergo meritoria. De essentia meriti est ne sit ex debitis, opera Christi ex debitis, non ergo merita. Hæc non posse solui à vobis, nisi simul etiā sanctorum merita asserantur, res docet, & eadem oratione, quæ contra sanctorum merita obijciuntur, plane refelluntur. Ostendunt hunc progressum hæreseos, quæ in c. 5. ad Rom. contra Socinum præuaricator Pareus asserit. Nam primo fatetur nihil de merito Christi in scripturis expressum esse, sed ex scripturis deduci. Secundo mortem Christi non fuisse satisfactionem, nisi ex gratuita iudicis ordinatione, seu beneplacito, sed cur non & sanctorum opera esse possunt ex beneplacito merita? pergit: Christus, inquit, respectu creditoris proprie meritus est ex pacto vel ordinatione singulari. At Sanctorum quoque opera pactum, ordinationem iusiurandum habent, habent igitur & ordinationem diuinam.*

Mira igitur astutia id Sathan egit, vt cum humanam deprimere superbiam velle videretur, & ius suũ Deo asserere, honori redemptoris consulere, non modo bonorum operum studia in animis hominum retardarit, extinxerit, verum etiam Christũ Dominũ saluatoris titulo spoliare conatus sit. In c. 5. ad Ro. dub. 9 sic argumentatur Pareus. Conditio operum est necessaria, non ergo meritoria, quia debita. Dolendum sanè est diabolum trans formatum in Angelum lucis, tam futilibus angustijs eo rẽ deduxisse, vt iam multi non aliter Christum saluatorem, quam Moysen cognoscant, exemplo & doctrina.

Nunc quæ præterea obijciunt, excutiamus. Caluinus ait, Deum rependere impijs, quod meriti sunt: bona opera coronare non pro merito. Dicere quam mercedem habitura sint bona opera, non quid valeant. Respõdeo iã hoc ab alijs Caluini posteris exclusum esse. Si n. opera sunt regula iudicij, igitur ad mercedem habent aliquam efficaciam, siue respectum. Quid n. est, mercedem fore secundum opera, secundum laborem, eadem mensura omnia remetienda, si ad hoc iudicium non plus opera faciunt, quã delphinus ad Syluam, vel aper ad fluctus? Diuersitatem mercedis ratione operũ indicat, igitur cũ diuersa merces diuerso operi est constituta, idq; ex iustitia, necessario sequitur opera ad mercedem valuisse. Docet hoc naturalis æquitas. Cõstituta est merces danti haustum aquæ frigidæ, quis dubitat maiorem esse illi, qui tradiderit corpus suũ, vt ardeat? Nec nos tamen de operum in se valore disputamus, Promissioni diuinæ innitimur. Promissum est operibus præmium, igitur vi promissionis operanti debitum. Hoc nos vocamus meritum.

Secundo Beza: *Ecce vero iterũ insurgunt sophistæ, & mercedem proponunt operibus debitam. Ridicule, nam promissio ipsa legalis est ex gratia. Sed nihil debetur, cum conditio promissioni adiecta à nemine impleatur. Sed hoc meo quidem iudicio, quod de regeneratorum iustitia in hunc locũ dici consueuit, siue impu-*

imputata in Christo, siue in ipsis inchoata, etsi vere, tamen non suo loco, nec enim adhuc de iis egit Apostolus, sed in eo totus est, vt omne humanum genus extra Christum condemnet iniustitia. Ista igitur per suppositionem dicuntur, non quod tales vllos esse natura dicit Apostolus, sed quod tales esse oportuerit, quicunque ex lege iustitiam quærunt.

Respondeo manifestam esse scripturę deprauationem. Loquitur enim Apostolus de omni genere hominũ, quos diuidit in bonos & malos, vt ipse versibus sequentibus exponit, vtrosq; mercedem habituros affirmat, iudicandos ex Dei iustitia. Annon loquitur v.7. de renatis, ijs qui secundum patientiam boni operis?

Quod vero ex alio hæreseos suæ dogmate pronunciat nulla posse esse talia opera, hoc Paulus ita perspicue refutat, vt verbis eius aliquid addidisse sit soli lucem mutuam dare. Quorsum enim Apostolus metu pœnarũ, & spe prę-miorum Gentiles & Iudęos pariter ad virtutem excitaret, si nullum opus bonum esse potest? Deus, inquit, reddet omnibus secundum opera sua, sed nulla bona esse possunt opera, nulli itaque gloriam, incorruptionem, vitam æternam confert, vt est v.7. Nulli gloria & pax operanti bonũ, vt est v.10 Sed hoc impium delirium infra refutabitur.

Obijciunt alij. Hæc verba more humano prolata, aut secũdum opera esse idem, quod secundũ fidem. Sed prius impium est, neq; n. humano more, sed spiritu diuino hæc dicuntur. Alterum & impium & ridiculum, cum tot mala opera nominarit, solam infidelitatem per istam vitiorũ congeriem interpretari, cum etiam nominat bonũ opus, fidem intelligere. Sed de his quoque agendum c.3. & 4.

Vltima obiectio primaria est. Bona opera sunt ex gratia, & cum Deus coronat bona opera, coronat sua dona, nulla sunt ergo merita, quia meritum repugnat gratiæ.

Respondeo. Hac sola obiectione nobis calumniam fa-

ciunt, quasi merita gratiæ opponamus, aut de nostro Deũ nos obligare iactemus, cum omnis meriti originem, progressum, essentiam, & modum ex gratia, in gratia, & per gratiam esse dicamus Hoc Concilium Tridentinum profitetur cum ait: *Cum ille ipse Christus Iesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat: qua virtus bona eorum opera semper antecedit & comitatur & subsequitur, & sine qua Deo nullo modo grata, & meritoria esse non possunt.* Atque huc pertinent, quæ innumeris locis S. Augustinus de meritis habet, vt est lib. de gratia & libero arbitrio c. 6. *Prorsus talia cogitanti verissime dicitur: Dona sua coronat Deus, non merita tua; si tibi à teipso, non ab illo sunt merita tua: hæc enim si talia sunt, mala sunt; quæ mala sunt, non coronat Deus, si autem bona sunt, Dei dona sunt: quia sicut dixit Apostolus Iacobus: Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est descendens à patre luminum. Vnde dicit & Ioannes præcursor Domini nostri: Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cælo: vtiq; de cælo, vnde etiam venit Spiritus sanctus, quando Iesus ascendit in altum, captiuauit captiuitatem, dedit dona hominibus* &c. 7.


Si ergo Dei dona sunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua tanquam merita tua, sed tanquam dona sua. Proinde consideremus ipsa merita Apostoli Pauli, quibus dixit coronam redditurum iudicem iustum, & videamus vtrum merita ipsius tanquam ipsius id est ex ipso ei comparata, an dona sint Dei. Bonum, inquit, certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Primo ista bona opera, si non ea præcessissent cogitationes bonæ, nulla essent.

Nihil igitur de meritis nisi ex scriptura, patribus, Ecclesia vetere docemus: Pessimo igitur in statu sunt, qui à nobis recesserunt.

CAPVT

CAPVT XLIV.

An propter Indulgentias Catholicorum recte in tam numerosas sectas abierint nouatores.



Ccasione duntaxat opus est malitiæ, nam causas semper habet. Luthero lapsus horrendi, quem tot sectæ mox consecutæ sunt, & nunc quoque in singulos annos sequuntur, occasionem dederunt Indulgentiæ. Abusum enim eorum, qui eas nundinabantur, culpare aggressus, feruore disputandi, inuidia, & ambitione in furorem abreptus est, turbasque dedit, quibus nunc vniuersa Europa miscetur. Nulla in re plura, aut impudentius aduersarij mentiuntur, quod luculentissime in suo Themate sæculari P. Maximilianus Sandæus ostendit.

Parua occasio malitiæ satis est

Mendaciorum specimen cape lector. Henricus Altingus in Concione Iubiliaria, seu sæculari, pag. 59. ita narrat. *Leo X. Pontifex Romanus, Magdalenæ sororis auaritiam hac fortuna sua expleturus, simulque triginta Cardinalibus & vni, qui galerum quingentis aureorum millibus redemerant, munera ex promisso largiturus, conflandæ pecuniæ quas potuit rationes inijt.*

Commodior autem quæstuosiorq. visa nulla fuit Indulgentiarum nouo mercatu, quo superstitiosis hominibus venia peccatorum pro ære fieret. Hunc ergo publicis litteris per omnes orbis Christiani prouincias indixit Anno Christi M. D. XVI. & ne contractius illius exercendi tempus esset, octennium integrum continuari voluit. Præcones ac propolæ Indulgentiarum alij alio Roma ablegati, Campegius Cardinalis in Angliam, Angelus Arcomboldus in Daniam & Sueciam, Samson Mediolanensis in Heluetiam, Iohannes Tecelius in Germaniam.

Omnia falso & malitiose narrat.

Ex his Tecelius Dominicanus nixus gratia Alberti Brandeburgici,

gici, Moguntini simul & Magdeburgensis Archiepiscopi, qui ex collectis ipsius triginta aureorum millia in solutionem pallij decerpturus erat, in Saxonia merces suas insolentius extulit, ac simplicem multitudinem Simoniacis imposturis miserè circumuenit; veniam omnium etiam grauissimorum peccatorum viuis, mortuis liberationem ex purgatorio pollicitus, quibuscunque sacra Leonis tabula redimerentur. Ægerrimè id ferebant cùm alij boni viri, tum in primis Martinus Lutherus ordinis Augustiniani Monachus, Wittebergensis Academiæ Professor Theologus; qui initio priuatim suos monuit, ne merces Indulgentiarias tanti emerent: post publica disputatione, thesibus nonaginta quinque comprehensa & foribus templi pridiè Cal Nouemb. affixa oppugnauit. Hanc disputationem vnà cum literis postridie ad Antistitem Moguntinum misit, effrenem nundinatorum licentiam auctoritate episcopali coerceri petens. At præsul, cuius hic res agebatur, querelas supplicis securus contemsit. Aduersarij verò inde nati Luthero, Tecelioque consociati, Wimpina, Eccius, Syluester, Prieras, Hochstratus ipsum virulentis scriptis ceu nouum hæresiarcham incesserunt, ac Acheronta in caput ipsius quibusuis rationibus concitare studuerunt: Quorum importunitate inuitus propemodum & nihil tale cogitans, tum ad thesium suarum vindicationem, tum ad aliorum abusum liberam & Christianam reprehensionem pertractus fuit. Nec aliter post in Heluetia euenit, vbi iam annum alterum purioris doctrinæ ministerium Huldericus Zvvinglius exercebat. Is simili Simsonis Mediolanensis irritatus impudentia in ipsum ac putidas eius merces ex suggestu detonuit, & ne in vrbem Tigurinam admitteretur effecit.

Plura omnes mendacia memorant, Præsertim Frantzius, qui Lutheri nobis Theses recudit. Sed coram Deo, hominibusque protestamur, nos pleraque, quæ de Indulgentijs docere nos clamant, ex animo detestari. Vendi indulgen-

dulgentias crimen esse dicimus, nullum peccatum per indulgentias remitti asserimus; sed pœnam peccati.

Quod igitur pro fundamento calumniarum collocant aduersarij, id nos damnamus, sunt vero ista quatuor.

1. *Eos, qui literas indulgentiarum argento redimerent, de salute sua securos esse.* Hæc nobis Iubilæus Heidelbergensis impingit.

2. *Animas statim, vt nummi in cistam coniecti tinnierint, de purgatorio euolare in cælum.*

3. *Tantas Indulgentiarum gratias esse, vt nullum esset adeò grande peccatum, etiamsi (per impossibile) quis matrem Dei violasset quin solui posset.*

4. *Hominem per tales indulgentias ab omni pœna & culpa absolui, liberumq́; esse.*

Anathema sit quisquis hæc dixerit.

Ita Iubilæus Euangelicus pag. 10. Ad quæ respondeo. *Anathema quicunque dicit, Eos qui literas indulgentiarum argento redimunt, de salute sua securos esse. Anathema qui dicit animas vt nummi in cistam coniecti tinnierint, de purgatorio euolare in cælum. Anathema qui dicit tantas indulgentiarum gratias esse, vt nullum sit adeo grande peccatum, etiamsi, (per impossibile) quis matrem Dei violasset, quin solui posit.* Anathema inquam ori tam impuro; nunquam hoc in Ecclesia nostra audiui, nunquam legi prædicantium sine more subantium, sunt illæ tam tartareæ, tam Sotadicæ in templis suis conciones. Anathema si quis dicit; *Hominem per tales indulgentias ab omni pœna, & culpa absolui, liberumque esse.* Denique *Anathema si quis dicit peccatum vllum per indulgentias sine pœnitentia remitti, vt nobis imponunt.* Hæc igitur si ego in media Ecclesia Romana condemno, neque me vllus monet, aut reprehendit, sed legunt doctores, Episcopi, sæculares & probant, nonne desperatissimæ est insaniæ, hoc nobis imponere, quod toto animo detestamur?

Indulgentiarũ causa Christianæ Reip. incolumitas.

Primo quidem historiam narrando peruertunt; causa enim colligendæ pecuniæ non auaritia, sed Christiani orbis fuit vtilitas. Onuphrius historiam refert, & Genebrardus anni 1513. Supplementum Platinæ, cœteri. Causa enim promulgandæ per orbem terrarum indulgentiæ, multarumque rerum ad pacem pertinentium fuit, vt totius Christianismi corpore Turcis resisteretur, hinc ad omnes missa bulla, quam dixerunt cruciatam, hinc concordata cum Francisco 1. Rege Galliarum. Eandem ob causam anno 1512. Lateranense Concilium habitum est sub Iulio 2. cuius institutum fuit, primo vt mores Ecclesiæ corrigerentur, deinde vt vniuersali omnium Christianorum constituta Societate Symmachia Turca omnibus incumbens auerteretur; tu lector vide Concilij verba, legatorum Pontificiorum, regiorumque orationes, & nouatorum imposturas admirare & execrare. Aegidius Viterbiensis, qui primus orationem eo in concilio habuit, sic eam concludit. Auditis, in quem malorum cumulum Ecclesia vestra fundata sanguine, deducta sit? Videtis acies vtrinque profligatas? videtis cædes? videtis clades? videtis campos occisorum aceruis opertos? Videtis terram hoc anno plus cruoris hausisse quam pluuiæ, minus imbrium bibisse quam sanguinis? videtis tantum occubuisse Christiani roboris, quantum fuerat ad fidei hostem debellandum satis? nihil nobis nisi exitium, nihil nisi interitum superesse? Ferte opem, iuuate, succurrite, & quam de Iudæorum & Tyrannorum faucibus eruistis Ecclesiam, nunc domesticis cladibus occumbentem erigite. Orat populus, viri, fœminæque, omnis ætas, omnis sexus, omnis orbis: rogant patres, obsecrat Senatus, obtestatur denique ipse supplex Pontifex, vt se, vt Ecclesiam, vt vrbem Romam, hæc templa, has aras, hæc sacra, hæc vestra

ſtra ipſorum capita ſeruetis: ac Synodum Lateranenſem, hódie ante ora veſtra à Iulio II. Pontif. Max. indictam, quod fauſtum, felix, fortunatumq; ſit nobis, Eccleſiæ veſtræ, totique Reip. Chriſtianæ, in orbis terræ certiſſimam ſalutem S. Spiritus numine firmetis; curetiſque & pacari Chriſtianos Principes, & in publicum Chriſti hoſtem Mahumetem, noſtrorum Regum arma conuerti, atque his fluctibus, his tempeſtatibus, his aquis, non modo non extingui Eccleſiæ charitatem ſed almæ crucis meritis, & diuini Spiritus ductu, quibus iunctim hodie ſacra fiunt, ablui potius ab omnibus conceptis maculis & in antiquum ſplendorem munditiamque reſtitui.

Porro ſanctum eſſe opus ad redimendos captiuos, ad templorum ædificationem conferre eleemoſynas nemo hactenus dubitauit: Nec minus etiam eſt ſanctum, expeditionem ſacram adiuuare cunctis opibus, cum in ea non modo religionis, & fidei, ſed patriæ etiam, libertatiſque cauſa defendatur. Indulgentiæ igitur vere pœnitentibus, & adiumenta in rem Eccleſiæ, Reipublicæ, principibus ſummè neceſſariam conferentibus donatæ ſunt.

Verum vt lector intelligat, quam iniquè nos poſteri accuſent, ipſas Lutheri theſes proponam, ex illis enim apparebit, multa in Pontificem falſiſſime conferri, aduerſarios à ſuo Patriarcha confutari, impudentiam nunc ad ſumma progreſſam.

Theſis 1. *Dominus & Magiſter noſter Ieſus Chriſtus, dicendo: Pœnitentiam agite &c. omnem vitam fidelium pœnitentiam eſſe voluit.*

Prima quidē theſis Lutheranā eſt pro nobis, cōtra Lutheranos, multoq; magis contra Caluinianos. Nā Lutherus dicit, *Pœnitentiam* agendā; Frantzius Lutheranus, qui paraphraſin ſcripſit harum theſium, Reſipiſcētiam agendam, *Pœnitentia nunc inutilis eſt ſectarijs.*

dam, quo modo nemo veterum locutus est, & falsus subest nouæ locutioni sensus. Resipiscentiam enim comminiscitur quæ sola vitæ emendatione, sine dolore præteritorum continetur. Caluiniani vero, vt Sibrandus cõtra Faustum Socinum disputat, Hominem iustum ante pœnitentiam esse docent.

Thesis 2. *Quod verbum de Pœnitentia Sacramentali, id est, Confessionis & satisfactionis, quæ Sacerdotum ministerio celebratur, non potest intelligi.*

De pœnitentia Sacramentali, nec Ioannes, nec Christus loquebatur, quia nondum sacramentum erat institutum. Contritionem tamen & humiliationem requirebat, quia cor contritum, & humiliatum Deus non despicit, & Lutherus ipse satis indicat, quam velit pœnitentiam, nam

Thesi 3. ita loquitur. *Non tamen solam intendit interiorem. Imo interior nulla est, nisi foris operetur varias carnis mortificationes.*

Hanc pœnitentiam perpetuam esse docet

Thesi 4. *Manet itaque pœna donec maneat odium sui, id est, pœnitentia vera intus, scilicet vsque ad introitum regni cœlorum.*

Pœnam itaque exteriorem manere semper arbitratur. Quod falsum est, neque enim necesse est manere pœnam exteriorem, præsertim in illis quæ aduersarij negant imputari. Deinde si pœnitentia est odium sui, ergo non sola emendatio vitæ, sed & detestatio, odium enim sui quisquis habet, non naturæ, sed peccati odium concipit.

Hic iam Lutherus labascit. Thesis 5. *Papa non vult, nec potest vllas pœnas remittere, præter eas, quas arbitrio vel suo vel Canonum imposuit.*

Minimè gentium ita papa sentit; Nam pœnas inferni re-

rii remittit, cum peccata remittit: itemque per indulgentiarum applicationem purgatorij omnes pœnas; Nam peccata remittit; cum dictum sit; *quorum remiseritis peccata remissa sunt. & quorum retinueritis retenta sunt.* Falsa est vero & Lutheri

Thesis 6. *Papa non potest remittere vllam culpam, nisi declarando & approbando remissam à Deo, aut certo remittendo casus reseruatos sibi quibus contemptis culpa prorsus remaneret.*

Prima illa pars falsa est; Non enim solum renunciandi officium datum est sacerdoti, sed soluendi, alligandi, dimittédi, retinendi; Quæ enim in terra soluerint, erunt in cœlo soluta, non modo soluta esse nunciabuntur. Id adeo verum est, vt priorem thesis partem omnino posterior pars destruat. Si enim Papa potest sibi reseruare casus, quibus contemptis culpa manet; non igitur duntaxat officium renunciandi, sed reseruandi etiam habet. Reseruare enim casus est maximæ auctoritatis. Deinde si Papa aliter potest casus sibi reseruatos remittere; aliter igitur & alias culpas potest remittere. Casuum enim reseruatorum eadem est ratio. Tertio Thesin sextam elidit septima.

Thesis 7. *Nulli prorsus remittit DEVS culpam, quin simul eum subijciat humiliatum in omnibus, sacerdoti suo Vicario.* Credite Luthero Lutherani

Si nulli Deus remittit culpam nisi subijciat eum humiliatum sacerdoti, suo vicario. Igitur sunt in Ecclesia sacerdotes vicarij Dei, non igitur hoc nomen Antichristianum est. Deinde nemo sectariorum accipit remissionem peccatorum, quia nemo eorum humiliatus subijcitur Sacerdoti Christi Vicario. Tertio, Non igitur remissio peccatorum præcedit pœnitentiam, quia remissio est non nisi humiliter subiecti sacerdotibus, at

qui humiliter se subijcit sacerdoti Dei vicario; ille pœnitentiam egit.

Thesis 8. *Canones pœnitentiales solum viuentibus sunt impositi, nihilq; morituris secundum eosdem debet imponi.*

Verum sensum thesis illa habere potest, & falsum; Verum quidem, si neget, Pontificem in animas defunctorum habere iuridicialem potestatem absoluendi & ligãdi, qualem habet in viuentes. Oues enim pascit, quas docere, quibus sacramenta conferre potest, non eas, quę iam subiectæ non sunt. Animas defunctorum citare, & tribunali suo sistere non potest.

Hanc ob causam cum indulgentiæ defunctis cõferuntur, id fieri per modum suffragij canones affirmant.

Falsum autem, si neget esse communionem sanctorum etiam in purgatorio existentium. Neque enim piorum animæ defunctorum ab Ecclesia separantur, quæ est regnum Dei. vt Aug. l. 20. de ciuit. c. 9. docet.

Thesis 9. *Inde benè nobis facit Spiritus sanctus in Papa excipiendo in suis decretis semper articulũ mortis & necessitatis.*

Canones nonnulli etiam morituris imponuntur, vt nẽpe sacerdotes apostatę laica dũtaxat cõmunione donẽtur.

Thesis 10. *Indoctè & male faciunt Sacerdotes ij, qui morituris pœnitentias canonicas in Purgatorium reseruant.*

Indoctè sanè faciunt, monendi enim sunt morituri, vt contritione, caritate, precibus, eleemosynis, & quibuscunq; possunt operibus pœnas purgatorij, aut minuant, aut exstinguant. Itaq; illa zizania de quibus thesi 11. iam nulla sunt, nec forte tum fuerunt.

Thesis 12. *Olim pœnæ Canonicæ non post, sed ante absolutionem imponebantur, tanquam tentamenta veræ contritionis.*

Aliquando pœnitentiæ sunt explorationes veræ contritionis, ideoque ante absolutionem exiguntur, aliæ velut satisfactiones iniunguntur.

The-

Thesis 13. *Morituri per mortem omnia soluunt, & legibus Canonum mortui iam sunt, habentes iure earum relaxationem.*

Thesis 14. *Imperfecta sanitas seu charitas morituri, necessario secum fert magnum timorem, tantoq. maiorem, quanto minor fuerit ipsa.*

Hæc fulmina sunt contra fiduciariorum præsumptionem, illi enim nihil timent. Nondum igitur tum fiduciam Lutherus habebat, ideoque si fiduciarijs credimus erat infidelis.

Thesis 15. *Hic timor & horror, satis est de solo, vt alia taceam, facere pœnam purgatorii, cum sit proximus desperationis horrori.*

Hæc est peruersa doctrina; metum esse peccatum, cum nos timere frequenter scriptura iubeat; Non est desperatio, quando cum spe veniæ mala pertimescimus. Peruersitas est igitur eximere timorem, vt succedat securitas, pœnarum ex æquo, præmiorumque contemptrix.

Theses sequentes, vt 16. 17. 18. quanquam falsæ sunt, hæresin nihilominus aduersariorum oppugnant.

16. Videntur infernus, purgatorium, cælum differre, sicut desperatio propè desperatio, securitas differunt.

17. Necessarium videtur animabus in purgatorio sicut minui horrorem, ita augeri charitatem.

18. Nec probatum videtur vllis aut rationibus aut scripturis, quod sint extra statum meriti, seu augendæ charitatis.

Primo quidem purgatorium cõcedit. Secundo. Cœlo duntaxat securitatem adscribit, non huic vitæ incertę, cuius prouidentia magnis in tenebris oberrat. Tertio, meritum non modo in hac vita, sed etiam in purgatorio asserit, qua in re cum fallatur, meritum tamen agnoscit, & suis posteris contradicit.

The-

Thesis 19. *Nec hoc probatum esse videtur, quod sint de sua beatitudine certæ & securæ, saltem omnes, licet nos certissimi sumus.*

Imo vero hoc ipse probat. Si enim omnes qui ad purgatorium deferuntur, sunt de numero saluandorum, si omnes viuentes hac de re certissimi sunt, quomodo animæ hoc ipsum ignorant? quomodo fidem perdiderunt quam habuerunt ipsæ, & quam à tota doceri Ecclesia perspectum habebant? Non potuit sobrius illa scripsisse, ista tam eisdem lineis pugnantia, tam aduersa omnibus Lutheranis.

Thesis 20. *Igitur Papa per remissionem plenariam omnium pœnarum, non simpliciter omnium intelligit sed à seipso tantummodo impositarum.*

Omnium simpliciter remissionem Papa concedit; Ita Concilium Tridentinum explicauit.

Cum multa à diuersis antea Concilijs, tam Lateranensi, ac Lugdunensi, quam Viennensi, aduersus prauos eleemosynarum quæstorum abusus remedia tunc adhibita, posterioribus temporibus reddita fuerint inutilia, potiusque eorum malitia ita quotidie magno fidelium omnium scandalo, & querela excrescere deprehendatur, vt de eorum emendatione nulla spes amplius relicta videatur: statuit, vt post hac in quibuscumque Christianæ religionis locis eorum nomẽ, atq; vsus penitus aboleatur: nec ad officium huiusmodi exercendum vllatenus admittantur, non obstantibus priuilegijs ecclesijs, monasterijs, hospitalibus, pijs locis, & quibusuis, cuiuscumque gradus, status, & dignitatis personis, concessis, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus. Indulgentias vero, aut alias spirituales gratias, quibus non ideo Christi fideles decet priuari, deinceps per Ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus populo publicandas esse

esse decernit. Quibus etiam eleemosynas, atque oblata sibi caritatis subsidia, nulla prorsus mercede accepta, fideliter colligendi facultas datur: vt tandem cœlestes hos Ecclesiæ thesauros non ad quæstum, sed ad pietatem exerceri, omnes vere intelligant.

Thesis 21. *Errant itaque indulgentiarum commissarij ij, qui dicunt, per Papæ indulgentias hominem ab omni pœna solui & saluari.*

Non errant; nec hoc probauit Lutherus: Sed contrarium potius; si enim remittere possunt pœnas à Canonibus impositas, cur non eodem modo, & alias. Mirum sane Lutheranos hæc in medium proferre, cum in omnibus thesibus Papæ auctoritas, purgatorium, aliaque dogmata asserantur, quæ nunc illi fugiunt.

Thesis 22. *Quin nullam remittit animabus in purgatorio, quam in hac vita debuissent, secundum Canones soluere.*

23. *Si remißio vlla omnium omnino pœnarum, potest alicui dari, certum est, eam non nisi perfectißimis, id est, paucissimis dari.*

24. *Falli ob id necesse est, maiorem partem populi, per indifferentem illam & magnificam pœnæ solum promissionem.*

25. *Qualem potestatem habet Papa in purgatorium generaliter: Talem habet quilibet Episcopus & Curatus in sua Diœcesi & Parochia specialiter.*

Falsæ sunt illæ theses, sed omnes tamen sectarijs aduersæ. nam 22. Purgatorium asserit; deinde pœnas remanere post culpam remissam; Tertia, Canones Ecclesiæ ad pœnas obligare.

23. Dubitat an omnium pœnarum remissio possit dari, itaque pœnas manere post culpam remissam iterum asse-

Ddd rit;

rit; imo non remitti nisi perfectissimis certum putat, ideo falli maiorem partem populi, vbi igitur non-imputatio, & securitas, & quod clamant, qui Christianæ securitatis puluinaria consuunt, integra culpæ, & pœnæ remissio?

24. Auctoritatem Papæ agnoscit, non igitur tum papa erat Antichristus. Si Lutherani sequeremini Lutherum errantem minus erraretis, sed iam in varias sectas diuisi, inane nomẽ de Luthero trahitis. Quæ vero est insania tot iubila de hisce thesibus, & dies festos inducere, cum pleræque theses perfidiam vestram oppugnent, cum sibi ipsi Lutherus contradicat?

Thesis 26. *Optime facit Papa, quod non potestate clauis*, (quam nullam habet.) *Sed per modum suffragij dat animabus remissionem.*

Optime sane facit. Dat enim per modum suffragij, per modum satisfactionis, per modum solutionis; non iuridicæ absolutionis. Offert enim Deo ex thesauro quantum necesse est ad satisfaciendum, quod Deus pro liberandis animabus acceptat.

Thesis 27. *Hominem prædicant, qui statim vt iactus nummus in cistam tinnierit, euolare dicunt animam.*

Imo vero Dæmonem prædicant, qui pecunia Dei gratiam ęstimant, idcirco recte Concilia & Pontifices vetuerunt. Concilium Tridentinum sess. 21. ca. 9. Cũ multa.

Cum potestas conferendi indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit; atque huiusmodi potestate, diuinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa vsa fuerit: sacrosancta Synodus indulgentiarum vsum, Christiano populo maxime salutarem, & sacrorum Conciliorum auctoritate probatum in ecclesia retinendum esse docet, & pręcipit; eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse

negant,

negant, in his tamen concedendis moderationem, iuxta veterem, & probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit; ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina eneruetur. Abusus vero, qui in his irrepserunt, & quorum occasione insigne hoc Indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendatos, & correctos cupiēs, præsenti decreto generaliter statuit, prauos quæstus omnes pro his consequendis, vnde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse. Ceteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreuerentia, aut aliunde quomodocumque prouenerunt, cum ob multiplices locorum, & prouinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commodè nequeant specialiter prohiberi, mandat omnibus Episcopis, vt diligenter quisq; huiusmodi abusus ecclesiæ suæ colligat, eosque in prima Synodo prouinciali referat: vt aliorum quoque Episcoporum sententia cogniti, statim ad summum Romanum Pontificem deferantur: cuius auctoritate, & prudentia, quod vniuersali Ecclesiæ expediet, statuatur; vt ita sanctarum indulgentiarum munus pie, sancte, & incorrupte omnibus fidelibus dispensetur.

Imo iam ante annos multos nempe circa annum Domini 1300. Clemens quintus, alijque pontifices abusum illum sustulerāt, quem tamen quorundam auaritia reuexit. Aliud vero est abusum, aliud rem è medio tollere. Teterrimum vero est innocentes calumniando premere, quod faciunt Iubilantes.

Thesis 28. *Certum est nummo in Cista tinniente, augeri quæstum & auaritiam posse, suffragium autem Ecclesiæ est in arbitrio Dei solius.*

Suffragium Ecclesiæ eſt in arbitrio Dei; ſed benignum eſt hoc arbitrium, promiſit enim Deus exauditurum preces fidelium.

Theſis 29. *Quis ſcit, ſi omnes animæ in purgatorio velint redimi, ſicut de S. Seuerino & Paſchaſio factum narratur.*

Nos arbitramur vix vllam eſſe, quæ non deſideret eſſe beata, & ad creatorem ſuum accedere. Seuerini & Paſchaſij pauci ſint.

Theſis 30. *Nullus ſecurus eſt de veritate ſuæ contritionis. Multo minus de conſecutione plenariæ remiſſionis.*

Macte Luthere. Poſteros tuos damnaſti. Nam ſecuros ſe arbitrantur plerique, imo de remiſſione ſecuri ſunt ante contritionem Caluiniani. Sublata ſecuritate corruit Lutheriſmus.

Theſis 31. *Quam rarus eſt verus pœnitens, tam rarus eſt vere indulgentias redimens.*

Theſis 32. *Damnabuntur in æternum cum ſuis magiſtris, qui per literas veniarum ſecuros ſeſe credunt de ſua ſalute.*

Quanta igitur eorum futura eſt damnatio; qui ſine contritione ſecuros ſe credunt de ſalute? Qui inter adulteria & cædes, ſe iactant ſecuriſſime iuſtos.

Theſis 33. *Cauendi ſunt nimis, qui dicunt venias illas Papæ, donum eſſe illud Dei inæſtimabile, quo reconciliatur homo Deo.*

Omnino cauendi ſunt. Nullum enim Deo reconciliat indulgentia, pœnitentibus enim & reconciliatis tantum prodeſt. Multo vero magis fugiendi ſunt, qui docent; actum fidei, quo quis credit ſibi peccata nõ imputari, nos reconciliare Deo. Qui dicunt, ſemel fidelem nullo ſcelere à Deo poſſe ſeiungi.

Theſis

Thesis 34. *Gratia enim illa veniales tantum respiciunt pœnas satisfactionis sacramentalis, ab homine constitutas.*

Hoc iam supra negatum est, nunc laudandum quod satisfactionem sacramentalem agnoscat Lutherus, agnoscant & Lutherani.

Thesis 35. ***Non Christiana prædicant, qui docent, quod redempturis animas, vel Confeßionalia, non sit necessaria contritio.***

Nos quoque ista prædicantibus anathema dicimus, & dixerunt, Tezelius, Eccius, Cochlæus, Prieras, alijque qui contra Lutherum scripserunt. Contritio iustificationi necessaria est.

Thesis 36. ***Quilibet Christianus verè compunctus habet remißionem plenariam à pœna & culpâ, etiam sine literis veniarum sibi debitam.***

Culpæ remissionem, & pœnæ æternæ habet, non temporalis.

Quin & supra fassus est Lutherus pœnam manere post culpam.

Dauidem remissa culpa, manet pœna temporalis.

Thesis 37. *Quilibet verus Christianus siue viuus siue mortuus, habet participationem omnium bonorum Christi & Ecclesiæ, etiam sine literis veniarum à DEO sibi datam.*

Participationem habet, sed pro suo quisque statu. Dauid particeps erat veniæ, & vitæ æternæ consequendæ, non tamen immunis à temporaria pœna. Nemo Indulgentiæ capax est, nisi particeps veniæ, & vitæ; vita & venia non nisi participibus applicatur.

Thesis 38. ***Remißio tamen & participatio Papæ; nullo***

modo est contemnenda, quia, vt dixi, est declaratio remissionis diuinæ.

Si non est contemnenda, cur iam omnes eam contemnunt sectarij?

Nec est tantum declaratio, quia in illo iure est, & reseruatio.

Thesis 39. *Difficilimum etiam est doctissimis Theologis, simul extollere veniarum largitatem, & contritionis veritatem coram populo.*

Facilimum est etiam mediocri Theologo; Nam sine vera contritione peccatoris veniarum vtilitas nulla. Si igitur indulgentiarum particeps esse desideras, de peccatis ingemisce.

Porro non modo difficilimum est, sed penitus impossibile, etiam callidissimis sectariorum, fidei specialis energiam, & remissionem ante pœnitentiam extollere, & contritionis veritatem coram populo. Si enim credis peccata remissa ante pœnitentiam, quid opus dolore, contritione?

Thesis 40. *Contritionis veritas pœnas quærit & amat, veniarum autem largitas relaxat, & odisse facit, saltem occasione.*

Nos contritionis veritatem retinemus, eleemosynas, orationes, ieiunia suademus, & sic venias efficaces dicimus, at qui hæc omnia contemnunt, & contritionem iustificatione posteriorem faciunt, pœnas non quærunt, nec amant, omnes enim ante contritionem remissas esse opinantur.

Thesis 41. *Caute sunt veniæ Apostolicæ prædicandæ, ne populus falso intelligat, eas præferri cæteris bonis operibus charitatis.*

Omnino caute prædicantur, & prudenter, vt per eas

eas animi ad caritatis opera incitentur. Nunquam in nostris Ecclesijs maior deuotio, plures eleemosynę, asperiora ieiunia, & voluntariæ seueriores afflictiones, quam cum indulgentiæ proponuntur. Mirum autem est Lutherum opera caritatis tanti facere, nec tamen à Lutheranis damnari, cum omnia opera bona dicant esse peccata mortalia. Nos sine caritate negamus quemquam saluari posse, sine caritate venias negamus esse venias; *qui odit fratrem suum in tenebris ambulat.*

Thesis 42. *Docendi sunt Christiani, quod Papa mens non est, redemptionem veniarum vlla ex parte comparandam esse operibus misericordiæ.*

Docendi id sunt Christiani, & nos quoque docemus; nam opera misericordiæ exstinguunt peccata, vitam æternam merentur, per indulgentias temporaria duntaxat pœna remittitur.

Thesis 43. *Docendi sunt Christiani, quod dans pauperi aut mutuans egenti melius facit, quam si venias redimeret.*

Non simpliciter hoc asserendum est. Nam dare pecuniam ad liberandos captiuos, aut sacram expeditionem, non minus habet caritatis, quam dare pauperi; conferre etiam ad templorum exædificationem religiosum opus est; Prudenter igitur videndum est, quam sit magna necessitas pauperis, quæ redemptioni captiuorum sit anteponenda; & cui subleuandæ etiam templorum ornamenta sint reuellenda. Nam quandoq; sumptum in diuinis exercitijs faciendum esse, nos ille docet, qui effundi vnguentum maluit, quam venumdari, & dari pauperibus.

Thesis 44. *Quia per opus charitatis crescit charitas; & fit homo melior, sed per venias non fit melior, sed tantummodo à pœna liberior.*

Hoc

Hoc recte quoque Lutherus, sed contra suos, qui opera caritatis peccata mortalia arbitrantur, at per peccata mortalia nemo fit melior.

Thesis 45. *Docendi sunt Christiani, quod qui videt egenum, & neglecto eo, dat pro venius, non indulgentias Papæ, sed indignationem Dei sibi vendicat.*

Hac de re ex circumstantia iudicandum, vt dictum thesi 43.

Thesis 46. *Docendi sunt Christiani, quod nisi superfluis abundent, necessaria tenentur domui suæ retinere, & nequaquam propter venias effundere.*

Docendi imprimis sunt, nunquam emendas indulgentias, deinde si inter conditiones sint positæ eleemosynæ, posse quenquam pro arbitrio, & facultate conferre. Etiam commoda quædam dimittere, vt Indulgentias consequatur, necessaria tamen familiæ & sibi retinere.

Thesis 47. *Docendi sunt Christiani, quod redemptio veniarum est libera, non præcepta.*

Nunquam aliud in Ecclesia doctum est: nunquam docetur, omnes tamen hortamur, vt quod liberum est, libere accipiant.

Thesis 48. *Docendi sunt Christiani, quod Papa sicut magis eget, ita magis optat in veniis dandis pro se deuotam orationem, quam promptam pecuniam.*

Hoc quoque docemus omnes orthodoxi imo addimus; Papam, si exigat pecuniam pro venijs grauissime delinquere, non enim vendi Indulgentiæ possunt.

Thesis 49. *Docendi sunt Christiani, quod veniæ Papæ sunt vtiles si non in eis confidant, sed nocentissimæ, si timorem Dei per eas amittant.*

Si

Si vtiles, cur ergo non suscipiuntur? si timorem Dei amittere malum est, & nocentissimum, cur omnes Dei timorem aduersarii prorsus abiiciunt? Fiducia eorum omnem timorem excludit.

Thesis 50. *Docendi sunt Christiani, quod si Papa nosset exactiones veniaium Prædicatorum, mallet Basilicam S. Petri in cineres ire, quam ædificari cute carne & ossibus ouium suarum.*

Excusat Lutherus Papam, nundinatores indulgentiarum culpat. contra mentem igitur Lutheri agunt omnes, qui in Iubilis suis hoc peccatum Papæ imponunt. Non tamen video causam huius tantæ hyperboles, cum omnibus liberum sit vti indulgentiis. Eodem modo sentiendum de concionatoribus, quos reprehendit.

Thesis 51. *Docendi sunt Christiani, quod Papa sicut debet, ita vellet, etiam vendita, si opus sit, Basilica S. Petri de suis pecuniis dare illis, à quorum plurimis quidem Concionatores veniarum pecuniam eliciunt.*

Ita sane: melius est, non esse Basilicam, quam fraude pecunias elici.

Thesis 52. 53. 54. 55. *Vana est fiducia salutis per literas veniarum, etiamsi commissarius, imo Papa ipse suam animam pro illis impignoraret.*

Hostes Christi & Papæ sunt ij, qui propter venias prædicandas verbum Dei in Ecclesiis penitus silere iubent.

Iniuria fit verbo Dei, dum in eodem sermone æquale vel longius tempus impenditur veniis quam illi.

Mens Papæ necessario est, quod si veniæ, quod minimum est, vna campana, vnis pompis & ceremoniis celebrantur. Euangelium, quod maximum est, centum campanis, centum pompis, centum ceremoniis prædicetur.

Omnino veræ sunt theses, nisi quod 54. de verbo Dei, & sermone de veniis distinguit. Nam & sermo Dei est de veniis, & ipse Lutherus vtiles fatetur. Paucæ vero &

raro de indulgentiis habentur conciones, ſolent enim breuiſſimis verbis promulgari.

Theſis 56. *Theſauri Eccleſiæ, vnde Papa dat indulgentias neque ſatis nominati ſunt, neque cogniti apud populum Chriſti.*

Theſauri nobis certiſſimi ſunt: Chriſti infinita merita, quibus nullâ neceſſitate, ſed ad cumulum immenſiſſimæ abundantiæ iunguntur, & merita ſanctorum: Id quod Coſterus in Enchiridio, Bellar. l. 1. de Indul. c. 21. docet. Opus enim bonum & ſatisfactorium eſt, & meritorium. Itaque Theſauri illi temporales non ſunt, nec pro theſauris temporalibus dandi, ſed æterni, ſine precio pecuniæ, ſed non ſine precio bonorum operum.

Theſis 58. *Nec ſunt merita Chriſti & ſanctorum, quia hæc ſemper ſine Papa operantur gratiam hominis interioris, & crucem, mortem, infernumque exterioris.*

Nulla vis miſerrimi argumenti eſt. Nam quamuis merita Chriſti, & Sanctorum operentur gratiam hominis ſine Papa, habent tamen vim ſatisfaciendi pro pœna temporali, quam non ſemper operantur, vt cōſtat ex ipſo Luthero. Cum igitur ſit Theſaurus, nec omnibus tamen applicetur, eius diſtributio eſt penes eum, qui præeſt Eccleſiæ, vt recte Bellarminus libro citato. Lutherus ſane concedit hic meritis ſanctorum operationem, cum tamen omne meritum ſanctis contra ſcita Magiſtri ſui Lutherani negent.

Theſis 59. *Theſauros Eccleſiæ S. Laurentius dixit eſſe pauperes Eccleſiæ, ſed locutus eſt vſu vocabuli ſuo tempore.*

Ita ille impio piè reſpondit, nec tamen ideo non ſunt merita Chriſti theſauri Eccleſiæ, Claues, merita Chriſti, Sacramenta, pauperes, martyres, Virgines, Doctores, & quicquid eſt in Eccleſia precioſum Theſaurus Eccleſiæ dicitur.

Theſis 60.

Thesis 60. *Sine temeritate dicimus, claues Ecclesiæ, merito Christi donatas esse thesaurum istum.*

Imo claues sunt, quibus reconditur, & reseratur thesaurus.

Thesis 61. *Clarum est enim, quod ad remissionem pœnarũ & casuum, sola sufficit potestas Papæ.*

Potestas igitur Papæ ad pœnarum remissionem extenditur, non igitur illius auctoritas fugienda est.

Thesis 62. *Verus Thesaurus Ecclesiæ est sacrosanctum Euangelium gloriæ & gratiæ Dei.*

Verus est ille thesaurus, quia docet nos thesaurum meritorum Christi, quo Deo omnia soluimus, Non vnus est thesaurus Sponsæ Christi: omnis tamen thesaurus ab vno est.

Thesis 63. *Hic autem est merito odiosissimus, quia ex primis facit nouissimos.*

Nobis odiosus non est, quia primos redigit in ordinem, & nouissimos extollit. Quia non respicit personam hominum.

Thesis 64. *Thesaurus autem Indulgentiarum merito est gratissimus, quia ex nouissimis facit primos.*

Nulli nouissimo: hoc est in peccatis constituto mortalibus thesaurus ille prodest: ideo non ex nouissimis, sed ex iustificatis facit primos, hoc est à pœnâ liberos.

Thesis 65. *Igitur thesauri Euangelici retia sunt, quibus olim piscabantur viros diuitiarum.*

Euangelii noui retia sunt, quibus capti sunt Episcopatus & monasteria, quorũ bona iam aliorsum versa prædicantes destituunt.

Thesis 66. *Thesauri Indulgentiarum retia sunt, quibus nunc piscantur diuitias virorum.*

Hodie nulli concionatori lucrosa est vlla indulgentia, nemo pro indulgentiis vel obolum capit. Non igi-

tur sunt retia diuitiarum, nec olim nisi apud improbos quosque fuerunt.

Thesis 67. *Indulgentiæ, quas Concionatores vociferantur maximas gratias, intelliguntur verè tales, quod ad quæstum promouendum.*

Ne vllis sint quæstui, iam Seueris legibus prouisum est: si olim auaritiæ seruierunt, culpa hominum fuit, quemadmodum cum Euangelio ad quæstum sunt abusi.

Thesis 68. *Sunt tamen reuera minimæ, ad gratiam Dei & crucis pietatem comparatæ.*

Nos venias Papales maximas confitemur, quia pœnas peccatis debitas, easque grauissimas tollunt. Rursum easdem minimas: si gratiæ diuinæ conferantur, qua culpa omnium malorum maximum, & æterna pœna tollitur.

Thesis 69. *Tenentur Episcopi & Curati veniarum Apostolicarum commissarios cum omni reuerentia admittere.*

Non igitur Indulgentiæ reiiciendæ sunt, si earum præcones sunt honorãdi. Non est Pontifex Antichristus, cuius commissarii cum omni reuerentia sunt admittendi. Vestrum prophetam agnoscite Lutherani.

Thesis 70. *Sed magis tenentur omnibus oculis intendere, omnibus auribus aduertere, ne pro commissione Papæ, sua illi somnia prædicent.*

Nec modo notandi, sed serio etiã per leges puniendi qui somnia sua pro commissione prædicant, siue in veniis, siuè aliâ re quacunque.

Thesis 71. *Contra veniarum Apostolicarum veritatem, qui loquitur, sit ille anathema & maledictus.*

Ex ore tuo te iudico serue nequam: nam anathema factus es, & maledictus. Deinde posteris maledicis, qui venias Apostolicas, & ipsum apostolicum vocant Antichristum.

Thesis 27.

Thesis 72. *Qui vero contra libidinem ac licentiam verborum Concionatoris veniarum curam agit, sit ille benedictus.*

Si recto zelo, sine iactura veritatis oppugnat abusus, sit ille benedictus, qui vero prætextu tollendorum abusuũ veritatem impetit, hæresesque inducit, sit ille maledictus. Qui vero eos qui abusus tollunt, calumniis impetit, sit & ille maledictus.

Thesis 73. *Sicut Papa iustè fulminat eos, qui in fraudem negotij veniarum quacunque arte machinantur.*

Thesis 74. *Multo magis fulminare intendit eos, qui per veniarum prætextum in fraudem sanctæ charitatis & veritatis machinantur.*

Primo optimum factum, quod iustum fulmen Papæ cõcedit, quod in fraudatores indulgentiarum iaculetur. Qua thesi & Papæ auctoritatem, & indulgentiarum veritatem concedit. Denique Papam excusat, cum impostores fulminari ab eo tradit, si enim intendit eos fulminare, non igitur intendit defendere. Non igitur auctor est malorum, quæ fulmine percellit.

Thesis 75. *Opinari venias Papales tantas esse, vt soluere possint hominem, etiamsi quis per impoßibile Dei genitricem violasset, est insanire.*

Thesis 76. *Dicimus contra, quod veniæ Papales nec minimum venialium peccatorum tollere poßint, quoad culpam.*

Recte Lutherus: nos enim hoc ipsum dicimus: Hoc omnes qui de indulgentiis scripserũt vna voce testantur: Exemplum illud linguæ infrunitæ in Ecclesia Catholica nemo vsurpat. Nunquam audiui, nunquam legi in libris Catholicorum, ex senibus rogaui, an vnquam tale quippiam audissent, responderunt: Nunquam. Tam improba lasciuia omnium prædicantium linguas, & chartas impleuit, & quod audire Catholici horremus, ipsi quotidie in cathedris decantant. Verum haud possunt illi ore verecundo loqui, quorum iam dudum prostituta est conscientia.

Thesis 77. *Quod dicitur, nec si S. Petrus modò Papa esset, maiores gratias donare posset, eſt blaſphemia in S. Petrũ & Papã.*

Non eſt blaſphemum, cum idem ſit theſaurus cuius diſpenſator, & Pontifex nunc eſt, & olim fuit Petrus. Hæc ex eis, quæ à ſanctitate miniſtri non pendent. Non poſſet Petrus dare præſtantiorem baptiſmum, ſi viueret, nec efficaciorem abſolutionem, vti pueris notum eſt.

Thesis 78. *Dicimus contra, quod etiam iſte & quilibet Papa, maiores habet, ſcilicet Euangelium, virtutes, gratias curationum.*

Maiores gratiæ non impediunt minores: dum Petro, & Papæ gratias illas concedit, non iudicat eum Antichriſtum, agnoſcit illius officium, honorat auctoritatem.

Thesis 79. *Dicere crucem armis papalibus inſigniter erectam, cruci Chriſti æquiualere, blaſphemia eſt.*

Blaſphemia eſt plane: ſed à nullo orthodoxo hoc dicitur. Crux Papæ Chriſti crucem, hoc eſt Chriſtum crucifixum repræſentat.

Thesis 80. *Rationem reddent Epiſcopi, Curati & Theologi, qui tales ſermones in populum licere ſinunt.*

Rationem poſcentur, reddere nunquam potuerunt, niſi enim talibus blaſphemiis animoſe reſiſtant, cum prauis doctoribus æternum peribunt.

Thesis 81. *Facit hæc licentioſa veniarum prædicatio, vt nec reuerentiam Papæ, facile ſit etiam doctis viris redimere à calumniis, aut certè argutis quæſtionibus laicorum.*

Non ſolum licentioſa prædicatio, ſed immanes calumniæ fecerunt, vt defendi errores non poſſint, vt doctrina de indulgentiis clarè traderetur. Fecerunt aduerſarii, vt tandem eo ventum ſit, vt tota Europa in partes ſciſſa ſit, & nunc hæ theſes Lutheranæ à pleriſque exſibilentur.

Thesis 82

Thesis 81. *Scilicet cur Papa non euacuat purgatorium propter sanctissimã charitatem, & summam animarum necessitatem, vt causam omnium iustissimam, si infinitas animas redimit propter pecuniam funestissimam ad structuram Basilicæ, vt causam leuissimam.*

Primo refutat Lutherus calumnias eorum, qui pecuniã in alios fines collectam aiunt. Nam ad structuram Basilicæ collata fuit. Deinde ædificare Basilicam opus religionis est, ideoq; pium, & Deo gratum: quam ob causam hortari ad illud Christianos merito Pontifex debuit: Tertio, Ideo non euacuat Purgatorium Papa, quia opus est iusta causa vt indulgentiæ dentur. ita Bellar. l. 1. c. 12. Secundo *conuenit inter omnes, sine iusta causa indulgentiam non esse ratam, quod attinet ad expiandum reatum pœnæ coram Deo vel in hac vita, vel in alia, docet S. Thomas. S. Bonauentura, Durandus, Gabriel, & alii in 4. d. 20. & recentiores omnes. Ratio vero est, quoniam hæc pœna expianda est iure diuino: non potest autem summus Pontifex sine iusta causa dispensare in iis, quæ aliquo modo pertinent ad ius diuinum, quoniam minister Dei est, non Dominus. Id quod etiam videmus accidere in dispensatione iuramenti & voti: relaxat enim obligationem nomine Dei, quando causam habet eiusmodi, vt credibile sit id placiturum domino. Quod si pro arbitrio, sine vlla iusta causa dispenset, Deus non habet ratam dispensationem. Præterea summus Pontifex non solum nõ est supra ius diuinum, vt possit illud pro arbitrio tollere: sed neq; est Dominus, sed dispensator thesauri spiritualis: dispensator autẽ fidelis, & prudens esse debet: alioquin non dispensator sed dissipator dicendus erit. Quare Clemens. VI. in extrauaganti, vnigenitus, cum scribit, summum Pontificem posse thesaurũ spiritualem dispensare, addit iustis ex causis, & post finem Concilii Constantiensis in constitutione Martini V. interrogari iubentur suspecti de fide, an credant, summum Pontificem indulgentiam iustis de causis posse concedere. & semper in literis indulgentiarum exprimitur causa, cur indulgentiæ concedantur. Denique*

nique, cur dicuntur in Concilio Lateranensi generali sub Innocentio III. indulgentiæ quædam non solum indiscretæ, sed etiam superfluæ, nisi quia ociosæ, inanes, & irritæ sunt: de quibus recte dici potest illud, S. Cypriani, in serm: de lapsis, Irrita pax perniciosa dantibus, & nihil accipientibus profutura.

Thesis 83. *Item, cur permanent exequiæ & anniuersaria defunctorum, & non reddit, aut recipi permittit beneficia pro illis instituta, cum iam sit iniuria pro redemptis orare.*

Indulgentiam plenariam cõsecutis nihil opus est precibus, & exequiis: quia tamẽ an ea vsi sint, an impedimentum acciderit, nescimus, solemus diutius pro illis orare. Non tamen totus finis ille est officiorum diuinorum, sed pars parua, etsi multi nõ egeant, pro aliis oratur, quicunq; in pœnis detinentur.

Thesis 84. *Item, quæ noua illa pietas Dei & Papæ, quod impio & inimico propter pecuniam cõcedant animam piam & amicam Dei redimere. Et tamen propter necessitatem ipsiusmet piæ & dilectæ animæ, non redimunt eam gratuita charitate?*

Deus animam peccatis obnoxiam ex iustitia punit, eam ꝑ pecunia nec Papa liberare potest: nec impius pro ea satisfacere, si tamen satisfactio à pio offeratur, si oretur, ieiunetur, eleemosyna detur, pro liberatione Deus illa suscipit.

Thesis 85. *Item, cur Canones pœnitentiales, reipsa & non vsu, iam diu in semet abrogati & mortui, ad huc pecuniis redimuntur per concessionẽ Indulgentiarum tanquam viuacissimi?*

Non modo Canonicæ, sed aliæ etiam pœnæ remittuntur, vt supra dictum est. Alioqui Canones pœnitentiales iam nonnulli, non omnes tamen sunt abrogati.

Thesis 86 *Item, cur Papa, cuius opes hodie sunt opulentissimis Crassis crassiores, non de suis pecuniis magis, quam pauperum fidelium, struit vnam tantummodo Basilicam S. Petri?*

Malim sane Pontificem de Ecclesiæ peculio Basilicam struere: sed rationes illi habent, retinendæ pecuniæ pro

Ecclesiæ,

Ecclesiæ, & Reipublicæ vsibus, pro bello Turcico. Deinde non est alienum à religione, vt ad Basilicæ ædificationem plures conferant.

Thesis 87. *Item, quid remittit aut participat Papa iis, qui per contritionem perfectam, ius habent plenariæ remissionis & participationis?*

Si tanta esset contritio, caritasque, nulla pœna remaneret, nec quam tolleret indulgentia inueniret. Tantam esse contritionem quis scire potest? Nemo, nisi forte illi, qui iustificantur ante omnem contritionem, quod de se Caluiniani iactant.

Thesis 88. *Item, quid adderetur Ecclesiæ boni maioris, si Papa, sicut semel facit, ita centies in die cuilibet fidelium has remissiones & participationes tribueret:*

Facilis responsio. Vbi non est pœna luenda, vana est remissio.

Thesis 89. *Ex quo Papa salutem quærit animarum per venias magis, quam pecunias: Cur suspendit literas & venias iam olim concessas, cum sint æque efficaces?*

Cum prudentia, & moderatione indulgentiæ dandæ sunt, vt disciplina seruetur. Ipsi sectarii, vt Frantzius in hanc rem Canones citant thesi 30. & ipse Lutherus: thesis Frantzii sic habet. *Quarto citat Lutherus ex iisdem resolutionibus, eodem titulo & libro caput 4. (Quod autem) & quidem hæc verba Alexandri III. Pontificis, qui vixit circa annum Christi* 1160. *Quod autem consuluisti, vtrum remissiones, quæ fiunt in dedicationibus Ecclesiarum aut conferentibus ad ædificationem pontium, aliis prosint, quam his qui remittentibus subsunt. Hoc volumus tuam fraternitatem tenere, quod cum à nō suo iudice ligari nullus valeat vel absolui, remissiones prædictas prodesse illis tantummodo arbitramur, quibus vt prosint proprij iudices specialiter indulserunt.*

Et thesi 32. *Quinto nouerat Lutherus decretum Concilij Lateranensis sub Innocentio III. circa annum Christi* 1200.

de indiscretis indulgentiis factum, cuius etiam ipse Bellarminus meminit lib. 1. cap. 12. de indulgentiis his verbis, Laudandus merito est Clemens IIX. P. M. qui nunc sedet, quod decretum Concilij Lateranensis sub Innocentio III. de moderādis indiscretis indulgentiis ad veterem & probatam Ecclesiæ consuetudinem executioni mendare studet.

Nec ignorauit, quid Extrau. Clem. 5. *Vt nec superuacua inanis aut superflua effusionis sanguinis Christi miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiæ acquisiuit, volens suis thesaurizare filiis pius pater. Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per Beatum Petrum cæli clauigerum, eiusq; successores suos in terra Vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandū. Et, Ad cuius thesauri cumulum B. DEI genitricis, omniumq; electorum à primo vsq; ad vltimum merita, adminiculum præstare noscuntur.*

Thesis 90. *Hæc scrupulosissima laicorum argumenta sola potestate compescere, nec reddita ratione diluere, est Ecclesiam & Papā hostibus ridendos exponere, & infelices Christianos facere.*

Iam ratio millies reddita est: si apud insanos ratio locum haberet, tota lis decisa esset.

Thesis 91. *Si ergo venia secundum Spiritum & mentem Papæ prædicarētur, facilè illa omnia soluerentur, imo non essent.*

Nihil aduersum omnes calumnias efficacius dici potuit. Nam quicquid in promulgatione indulgentiarum peccatum est, id contra Papæ mentem esse, Lutherus ipse fatetur.

Thesis 92. *Valeant itaque omnes illi Prophetæ, qui dicunt populo Christi, Pax, pax & non est pax.*

Valeant qui per inanem, deceptricemq; fiduciam, dicunt pax, pax, & non est pax. Qui aiunt: Nullum peccatum impedit, quo minus iustus sim. Certus sum de salute. Dauid adulter iustus erat. &c.

Thesis 93. *Benè agunt omnes illi prophetæ, qui dicunt populo Christi: crux, crux, & non est crux.*

Bene

Bene agunt, quod dicunt Crux, crux, & docent ferre crucem, docent ferre aduersitates, qui dicunt agite pœnitentiam, & in cubiculis vestris compungimini.

Thesis 94. *Exhortandi sunt Christiani, vt caput suum Christum per pœnas, mortes, inferosq; sequi studeant.*

Thesis 95. *Ac sic magis per multas tribulationes intrare cœlum, quam per securitatem pacis, confidant.*

Vana fiducia pluribus mentem, omnibus Sectariis fidem adimit. Nec quicquam miserabilius, quam tot Sectas, tam acerbe inter se diffidentes, omnes certissime de sua electione, iustitiaq; præfidentes, vno impetu ad perditionem currere.

Has Lutheri theses, quibus omnia iubila resonant, proponere volui, vt luce meridiana clarius patescat: Primum à Luthero Lutheranos damnari. Deinde plerasq; quas scripsere conciones mera esse mendacia, atq; calumnias.

CAPVT XLV.

An verè iactent aduersarÿ se propter Romanæ Ecclesiæ idololatriam à nobis merito secessionem fecisse.



DVM conciones prædicantium, hoc est, seculi nostri incõmoda lustro, a lustro, in Hartmanni Braun, hominis aterrimi conciones incidi, in fronte titulus erat cum Lutheri effigie: in aduersa pagina sculpta erat corolla, cui inclusa erant ista verba.

LVthero
&
CherVbIn & SeraphIn
SanCta VoCe
ACCLaMant.

Tum cœpi egomet mecũ meditari. Sũmi cœlestis aulæ proceres, angelorum principes, auersis à Deo vocibus Lu-

thero acclamant, quæ est idololatria, si aduersarios consulimus. Si simul Deo, & Luthero acclamant, nec idololatræ sunt, cur non & nos Deo & sanctis veris sine idololatria acclamamus? Et quæ est eorum acclamatio? An illa: Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Aliud in scripturis non habetur, & solis scripturis vti se ille simulat. Quam igitur nobis prompta est defensio, quam legitimus honor martyrum, si tantum honorem Luthero periuro, hæretico, & quem nemo, nemo inquam hominum nunc sequitur, cælites deferunt? Tria vero sunt, quæ in hac causa calumniatoribus materiam præbent. Sanctorum cultus, Reliquiarũ veneratio, Imaginum vsus, & honor. Mira sunt, quæ Iubilæus Academicus pag. 50 52. 54. 76. Leibius pag. 470 Anonymus contra Vngersdorff. pag. 119. alii memorant.

Tria calumniarum genera.

Verum quam indignis modis nos traducant, multa docent, quæ tum veritati, tum propriis ipsorum scitis repugnant. Veritas ita habet. Adoratio seu cultus est ex alienæ excellentiæ, & maiestatis notitiâ debita veneratio, & honor exhibitus.

Adoratio cultus est.

Qualis igitur in adorato dignitas, excellentia, maiestas ab adorante iudicatur, talis honor exhibetur, & animi subiectio, obedientiaque defertur. Non enim illa excellentiæ protestatio in cultibus externis duntaxat, sed præcipuè in animo discrimen venerationis efficit.

Omnis cultus distinguitur à formali ratione excellentiæ cui defertur.

Primum igitur cum sit triplex excellentia eorum qui coluntur, triplex etiam est venerationis genus. Quo enim Deus optimus maximus, summum principium, & finis vltimus, infinitæ maiestatis, colitur religionis propriè dictæ actus est, quâ infinitissimam & omnium dominam maiestatem adoramus, nosque illi humilimo quo possumus modo subiicimus: qui actus Theologis, & Patribus λατρεία nominatur. Augustinus contra Faustum

20. cap.

Latria cultus numinis.

20. cap. 21. *illo* (inquit) *cultu, quæ Græce latria dicitur, latine vno verbo dici non poteſt, cum ſit quædam proprie Diuinitati debita ſeruitus, nec colimus, nec colendum docemus, niſi vnum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio ſacrificij, vnde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent: nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus vel cuiquam martyri, vel cuiquam ſanctæ animæ, vel cuiquam Angelo, & quiſquis in hunc errorem delabitur, corripitur per ſanam doctrinam, ſiue vt corrigatur, ſiue vt caueatur. Ipſi enim ſancti, vel homines vel Angeli exhiberi ſibi nolunt, quod vni Deo deberi norunt. Apparuit hoc in Paulo & Barnaba, cum commoti miraculis, quæ per eos facta ſunt, Lycaonij tanquam Dijs immolare voluerunt: conſciſſis enim veſtimentis ſuis, confitentes & perſuadentes ſe Deos non eſſe, iſta ſibi fieri vetuerunt. Apparuit & in Angelis, ſicut in Apocalypſi legimus, Angelum ſe adorari prohibentem, ac dicentem adoratori ſuo, conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum. Iſta ſibi plane ſuperbi Spiritus exigunt, Diabolus & Angeli eius, ſicut per omnia templa, & ſacra gentilium. Quorum ſimilitudo in quibuſdam etiam ſuperbis hominibus expreſſa eſt ſicut de Babylonia quibuſdam Regibus memoriæ commendatum tenemus. Vnde ſanctus Daniel accuſatores ac perſequutores pertulit, quod Regis edicto propoſito, vt nihil à quoquam Deo peteretur, niſi à rege ſolo, Deum ſuum, hoc eſt, vnum & verum Deum adorare deprecariq; deprehenſus eſt.*

Sic & in libro decimo de Ciuitate Dei: Hic eſt Diuinitati, vel ſi expreſſius dicendum eſt, deitati debitus cultus, propter quem vno verbo ſignificandum, quoniam ſatis idoneum non occurrit latinum, græco vti neceſſe eſt: inſinuo quid velim dicere. Latriā quippe noſtri, vbicumque ſanctarum ſcripturarum poſitum eſt, interpretati ſunt ſeruitutem. Sed ea ſeruitus quæ debetur hominibus, ſecundum quam præcipit Apoſtolus, ſeruos Dominis ſuis ſubditos eſſe debere, alio nomine Græce (alludit ad nomen δουλεία, *&* δοῦλος, *de quo Apoſtolus ab eo citatus,* οἱ δοῦλοι ὑπακούετε τοῖς κυρίοις κατὰ σάρκα. *ſerui obedite dominis carnalibus) nuncupari*

 ſolet.

solet. Latria vero secundum consuetudinem qua locuti sunt, qui nobis diuina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter, vt pene semper, ea dicitur seruitus quæ pertinet ad colendum Deum. Proinde si tantummodo cultus ipse dicatur non soli Deo deberi videtur. Dicimur enim etiam colere homines, quos honorifica vel recordatione, vel præsentia frequentamus. Nec solum ea quibus nos religiosa humilitate subÿcimus, sed quædam etiam, quæ subiecta sunt nobis, coli perhibētur. Nam ex hoc verbo agricolæ, & coloni, & incolæ vocantur.

Idololatria est Dei cultum creaturis tribuere.

Qua ex definitione omnis omnino blasphemiæ, & calumniæ occasio præciditur. Qui enim honorem latriæ creaturæ non tribuit, nec eam tanquam summum bonum veneratur, nec illi se subiicit, non est idololatra: At Catholici nullis sanctis alium honorem habent, quam creaturæ conuenientem, nunquam vt Deum inuocant.

Cultus ciuilis.

Cultus Sanctorū.

Est vero honor qui creaturis exhibetur omnino duplex, Ciuilis, & quodammodo religiosus. Ciuilis exhibetur parentibus, tutoribus, magistris, magistratibus, bene meritis, virtute ciuili præstantibus. Sic Gen. 23. 7. & 27. 29. & 33. 3. & 42. 6. Exod. 18. 7. 1. Reg. 25. 25. 3. Reg. 1. 16.

Quodammodo religiosus est, cum hominibus beatis, aut sanctis, angelisuè defertur, propter gloriam, aut gratiam, quam à Deo acceperunt, quem cultū δουλείας Theologi vocant, sic Iosue num. 22. 31. pronus in terram adorat angelum, & Ios. 5. 13. 14. 15. 16. sic 4. Reg. 2. 15. Filii prophetarum adorant Elisæum, sic 3. Reg. 18. Abdias adorat Eliam. Honor ille si externa spectes, idem frequenter est, si causam, diuersus est. Aliam ob causam Cōsules, aliam vero ob causam Apostolum honoro.

Neq; in Deum sumus iniurii, cum amicos Dei colimus, quemad-

quemadmodum neq; contra caritatem delinquimus, cũ Deum propter seipsum, proximos autem propter Deum amamus. Si igitur amorem Dei proximi caritas non minuit, nec tollit, neque honor legitimus quorumcunque hominum aduersus Dei gloriam pugnat. Nec idololatria est, vbi nulla latria est.

Amare sanctos propter Deum, & colere possumus.

Multa tamen aduersarii obiiciunt, omnium specimen habet Heinricus Altingus in oration. sæculari *p.* 54. *At verus ac legitimus veri Dei cultus non minus corruptus & deprauatus fuit. Ne omnia congeram, nec in interiora superstitionis penetralia me immittam: intuemini mihi in sacris Pontificiorum immensam illam farraginem superstitiosorum cultuum, futilium cerimoniarum, puerilium & histrionicarum gesticulationum, in quibus prora ac puppis Pseudo-Catholicæ religionis posita est: Contemplamini mysteriorum diuinorum œconomiam, quæ ad speciem carnalem ac vanam ostentationem comparata vulgi solum applausus captat ac sensus fascinat. Habent suas imagines aureas, argenteas, æreas, lapideas, ligneas, fictas & pictas: habent vestes byssinas, sericas, coccineas, variegatas: adhibent organa pneumatica, & crepitacula alia: ligna thyina: vasa ærea, ferrea, marmorea, vsurpant cinnamomum, vnguentum, suffitum, thus, sputum, vinum, oleum, mel, cereos, orbes preculatorios, cruces, aquam lustralem, & id genus sexcenta nugamenta, quæ à simplicitate* δουλείας λογικῆς. *Nouo testamento imperata quantum discedunt, tantum accedunt ad pomposa damnataque Iudæorum ac Gentilium sacra.*

Hic Salomonio templo flammas primus iniiceret.

Grauius vero illud est, quod horribilem idolomaniam, gentili etiam multis partibus fœdiorem, inuexit Papatus, in quam totum orbem Christianum, poculo scortationis suæ inebriatum, ad ambas vsque aures profundissime demersit. Eam triplici gradu lubet distinguere.

Primus:

„ Primus in eo est, quod gratiosam Dei præsentiam sta-
„tuis suis affingunt, ad eas cultum diuinum excercent,
„quinetiam sacrosanctam Trinitatem, incomprehensibi-
„li maiestate tremendam, effigiare forma senis, iuuenis,
„columbæ non verecundantur.

„ Alter, quod homines vtriusque sexus, siue fuerint olim
„in numero viuorum, vt Petrus, Paulus: siue anili com-
„mento in eum intrusi sint, vt Georgius, Christophorus,
„Catharina, ethnicâ ἀποθεώσει in ordinem diuorum rela-
„tos diuinis honoribus venerantur: iis templa struunt,
„statuas ponunt, candelas accendunt, thus adolent, sa-
„crificia offerunt, adorabundos se coram ipsis proster-
„nunt, abiiciunt. Illud verò etiam auditu abominabile
„est, quod Mariam virginem altius subuectam, augustiore
„etiam honore dignantur. Deo ac Christo eius non tam
„parem quam superiorem faciunt. Vt remotiora illa à
„vulgi notitia mittam: quod Concilio Lateranensi II.
„conciones solennes in Mariæ nomine conceptæ atque
„inchoatæ fuere: quod diuiso Christi regno, potioribus-
„que illius bonis iustitia & misericordia, dimidia regni
„pars vna cum misericordia sortitò quasi virgini obuene-
„rit, & alia innumera, vel pueris noti sunt rhytmi.

O felix puerpera,
Nostra pians scelera,
Iure matris impera
Redemptori.

„ In omnium manibus est psalterium Deiparæ sacrum,
„quo vniuersa Dei gloria nefario sacrilegio exhausta ad
„ipsam transfertur. Nec animis exciderunt illi blasphe-
„mæ poëseos flosculi ex vetustioribus recens collecti, qui-
„bus Amphitheatrum honoris (horroris debebam di-
„cere) resparsum, vbi sanguis Christi & lac virginis in vnũ
„coagulantur λύτρον: plus huius deprecationi quam illius
inter-

intercessioni tribuitur; à Deo etiam ad virginem prouo-"
care fas esse docetur. "

Tertio gradu rerum inanimatarum veneratio consi-"
stit: siquidem crucem & quælibet eius frustula sacri cul-"
tus religione prosequuntur; exosculantur imagines eius"
lapideas, ligneas, ad eas in genua prouoluti arreptant:"
Pupas cereas, quas agnos Dei vocant, summa deuotione"
consecrant; de singulis earum ex præscripto canunt: O-"
mne malignum peccatum frãgit, vt Christi sanguis, & an-
git. Reliquias etiam Sanctorum (si modo Sanctorum, nec"
potius sicariorum, meretricum, pecudum maledicta os-"
sa, supplicationibus, osculis, processionibus, suffitibus"
honorant. Supra omnia verò hostiam panis, impura sa-"
crificuli manu eleuatam, blasphemo ore consecratam &"
transsubstantiatam, pro summo numine colunt, ritu &"
furore prorsus ethnico: qui cultus est idolum vastans,"
vaticinio Danielis iam olim prædictus. "

Quid fiet malitiæ tam imperitæ? Cæremoniarum nostrarum sanctitas à multis sæpe demonstrata est. Idololatriam nescimus, Ethnicam λατρείαν detestamur. Georgium, Christophorum, Catharinam sancte vixisse, & nunc in cœlo lætari credimus. Templa Deo, ad memorias tamen martyrum aliquando statuimus, sacrificium nulli nisi soli Deo offerimus. Mariam Virginem infinitissimis partibus Deo, & Christo eius minorem facimus. Vetera sunt & rancida calumniarum nugamenta, quæ olim Pareus euomuit, & resorbere coactus est; Nam omnia illa in *crudelitate Caluinistica* dissolui. Ibi obijcit Pareus p. 57. *Hinc idolomania, cum dicitur mater misericordiæ, Regina cæli, supra Christum colitur. Meritum salutis inter Christi sanguinem & mammas Mariæ diuidunt. Hinc orti Collyridiani, Epiphan. hæresi 79. quod eam sine peccato existimarent,*

Calumniarum mare vno vomitu Hartingus effudit.

 hos

hos imitantur Papistæ, offerendo preces, aurum &c. Deum ergo f.ciunt.

Respondi. Tandem per abrupta conuiciorum, & calumniarum, veri & honesti lege solutus voluitur. Quid verò si Reginam Reginarum, & dominam dominantium diceremus, an maius illi quippiam tribueremus, quam vester in reges vestros affectus? An Waserus Tigurinus Professor Serenissimum Iacobum facit Deum, cum ait in præfatione Graseriana, *In ipso authoritatem summam ac plane diuinam residere?* Cum Graserus *ad sacratissimi patrocinij, & celsissimi præsidij maiestatis eius aram lucubrationes suas suspendit, cum grauissimo & acerrimo eius iudicio omnia subijcit*, an sacrificium ei offert, cui aram statuit, cui anathema suspendit? Ego vero nec idolomaniæ illum accuso, nec eos, qui Elizabetham diuam vocarunt. Blanditiæ illæ sunt, vel amantium, vel placere volentium.

Itaque non est idolomania Mariam vocari *matrem misericordiæ*, cum mater sit Dei, at Deus est misericordia. an maius matrem esse misericordiæ, quam matrem omnipotentis, infinitissime misericordissimi? An non vel ideo *mater misericordiæ*, quia illum genuit, per quem solum, atque vnicum misericordiam consequuntur miseri. De sanguine eius est, qui est salus nostra, an & ipsa mater misericordiæ, quia supra creaturas omnes vt magna, ita misericors? infra Deum tamen misericors?

Secundo non est idolomania vocari *Reginam cæli*, omnes beati reges sunt cœlorum. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo; sicut & ego vici & sedi cum Patre meo in throno eius*, Apocal. 3. 21. Et. *Dabo illi potestatem super gentes.* Et. *Regnabunt in æternum*: an illa vel sola non vicit, vel victoriæ fructu priuabitur? Nec solo

ſolo tamen illo modo *Reginam cœli* cantamus Mariam, verum excellentiſſimam in ea, quia mater eſt maieſtatis, eminentiam prædicamus, qua maior eſt cœlitibus omnibus, vno Deo minor, & Chriſto Ieſu filio ſuo, homine Deo. Ideo Regina cœli quia mater regis. An vero excellentius eſt *Reginam cœli* eſſe, an matrem Dei?

Quod verò addit. *Mariam à nobis ſupra Chriſtum coli.* Reſpondeo. Anathema, quicunque matrem filio, ancillam humilem Domino, quo infinito interuallo minor eſt, vel anteponit, vel exæquat. Cauſæ ſuæ diffidit, qui id obijcit. Aut vnum inter tot non dico ſcriptores, ſed idiotas oſtende, qui id ſenſerit, & viceris.

At eam creaturis omnibus præferimus. Ita ſane, nec noſtri nos iudicij pœnitet, cuius Deum habemus authorem, qui præ omnibus eam eligendo præiudicium grande fecit. Et quid ringeris! Beza præfatione in nouum teſtamentum. In Elizabetha Angliæ regina, *Regiam* ait *eſſe maieſtatem, pura Dei notitia, ac reuerentia exornatam; quarum rerum illa Reges ſupra mortales plurimos attollit, iſta vero etiam Angelis pene exæquat.* Si illa pene par, certè non impar noſtra, imo maior, Quam beatam dicunt omnes generationes, cui magna fecit, qui potens eſt.

Tertio. *Meritum ſalutis inter Chriſti ſanguinem, & mammas Mariæ non diuidimus.* Multo minus inter ſanguinem Chriſti & inferorum cruciatus: non dicimus *Chriſti ſanguine nihil actum fuiſſe, niſi hominum deſperatorum ac damnatorum tormenta ſupplemento darentur*, veſtra illa eſt blaſphemia. Solus ille ſanguis precium eſt redemptionis, ſufficiens, & ſuperabundans, in ſubſidium non vocat tartara, non ſancitur fœdus noui teſtamenti dæmonum pœnis, ſed ſanguine teſtatoris, non dolore damnati, ſed paſſione dilecti. Credimus tamen

men Dei omnipotentis, ab vbere materno pendentis amabilissimam dignationem, & Iesu Christi in hac humiliatione sui, meritum immensum; & nisi maiorem in morte caritatem ostendere vellet, delendo chirographo, quod contra vniuersum mundum erat sufficiens. Neque negamus caritatem matris filiolum lactantis, æterna gloria coronatam, etiam nobis rogantibus adesse, & prodesse. Hominum sunt inter se mutua officia, & frater adiuuatur à fratre, nec tamen, siue id opera, siue oratione fiat, ideò meritum salutis inter sanguinem Christi, & fraternas manus, precesue diuiditur. Sed in his omnibus sanguis Christi operatur omnia, nam & beneficium adiuuantis de sanguine Christi habet efficaciam, & infirmitas indigentis auxilio, eodem sanguine roboratur.

Pareus pag. 57.

Meritum salutis humanæ inter Christi sanguinem, & mammas Mariæ blasphemè diuidunt, quod impurum quendam Iesuitam nuper in carmine, cui titulus positus in medio, quo me vertam nescio: scurriliter euomere non puduit in hunc modum:

Hæreo lac inter meditans &c.

Defensio.

Quis cælum terræ non misceat, & mare cælo si aduersario displiceant versus impuri, carmina inuerecunda, Caluinianæ & Bezanæ libidines? si ille idem in accusationem vertitur doctissimi viri, acerrimi censoris prostitutionum Caluinisticarum? sed nunc quod in manu est, Carmen integrum demus. Ita Carolus Scribanius.

AD

AD DIVAM HALLENSEM ET PVERVM IESVM.

HAEreo lac inter meditans, interq; cruorem,
Inter delitias vberis, & lateris.
Et dico, (si forte oculos super vbera tendo)
Diua parens, mammæ gaudia posco tuæ.
Sed dico, (si deinde oculos in vulnera verto)
O Iesu, lateris gaudia malo tui.
Rem scio prensabo, si fas erit vbera dextra:
Læua prensabo vulnera, si dabitur.
Lac matris miscere volo cum sanguine nati;
Non possum antidoto nobiliore frui.
Vulnera restituent turpem vlceribus mendicum,
Testa cui saniem radere sola potest.
Vbera reficient Ismaelem sitientem,
Quem Sara non patitur, quem neque nutrit Agar.
Illa mihi ad pestem procul & procul expungendam:
Ista mihi ad longas eualitura febres
Ira vomit flammas fumatq; libidinis Ethna?
Suffocare queo sanguine, lacte queo.
Liuor inexpleta rubigine sæuit in artus?
Detergere queo lacte, cruore queo.
Vanus honos me perpetua prurigine tentat?
Exsaturare queo sanguine, lacte queo:
Ergo parens, & nate, meis aduertite votis;
Lac peto, depereo sanguinem, vtrumque volo.
Paruule, maternis medius qui ludis in vndis,
Qui tua iam comples vbera, iam vauasc
Quid me respectas obliqua tuentibus hirquis?
Roboris in cœlum nil habet inuidia.
Sæpe quidem dixti, noxis offensus iniquis:
Tune meas mammas, improbe, tune meas?

Nolo tuas, ô nolo tuas, puer auree, mammas;
Non sum tam duri, tam grauis oris homo:
Sed tantum lateris pluat vnica, & vnica stilla,
Et saltem à dextra vulnere gutta pluat.
Si nihil è dextra vis impluere, implue laua:
Si nihil è laua, de pede sanguis eat.
Si tibi non placet, vulnus mihi vulnera danto:
Mercedem danto vulnera, si placeo.
Sæpe mihi Babylon patera propinat & auro,
Ingeminatq; meis auribus; euge bibe.
Non faciam, vel si cælum miscebitur Orco
Non faciam, meretrix impia, non faciam.
O sitio tamen O! vocem sitis intercludit!
Nate, cruore sitim comprime, lacte parens.
Dic matri: meus hic frater sitit, optima mater;
Vis de fonte tuo promere, deq; meo?
Dic nato: tuus hic frater mi mellee fili,
Captiuus monstrat vincula; lystron habes.
Ergo redemptorem monstra te iure vocari,
Nobilior reliquis si tibi sanguis inest.
Tuq; parens, monstra matrem te iure vocari,
Vbera si reliquis diuitiora geris.
O quando lactabor ab vbere, vulnere pascar?
Delitijsq; fruar, mamma, latusq; tuis?
Parce Deus, magno si te clamore fatigem,
Non potis imperio, non potis arte regi.
Exagitante siti patientia perdit habenas;
Clamores si vis tollere, tolle sitim.
Pluris ego clauis: saturasti sanguine clauos,
Lanceaq; erubuit sanguine tincta tuo.
Pluris ego pannis: maduerunt vndique panni,
Nati à vulneribus, matris ab vberibus.

Carmen habes amice lector, non ingeniosè modo, & ele-
ganter

ganter, sed tam cauta etiam pietatis dulcedine, tam tenero caritatis affectu compositum, vt totum in mella deuotionis eliquescat, nihil supersit, quod araneus in sua venena corrumpat; & tamen accusat aduersarius impurum Iesuitam Clarum Bonarscium, quasi de sanctissimo carmine erubescere debeat, cum ipse si non modo frontem, sed vel locum frontis haberet, etiam recordationem eius viri reuereri deberet, à quo suorum Patriarcharum crimina pessima, nouit in propatulum educta. Verum in ipsa carminis meditatione hæreamus. ***Hæreo lac inter,*** meditans mysterium lactis, & sanguinis, vberis & lateris, mysterium incarnationis, natiuitatis, educationis, passionis, in omnibus mira dulcedo, castissimæ deliciæ. Quem non teneret lac Virginis, paruuli præsentia, omnipotens infantia? de mammis illis pendent maxima lacteoli numina filioli, sanctimoniæ thalamus, diuinitatis sacrarium erant illa vbera, quæ creatori nutrimenta præstabant. Recte author de Cardinalibus operibus: *Paruulus sugens vbera pura alimonia vtebatur, & fons sacri pectoris defæcatum edulium ori mundissimo infundebat. Sed & cor matris quædam dulcedines, quæ humanum superant intellectum imbuebant, eratque vtrinque mira iucunditas, cum pia sanctæ matris humilitas, & sancti sanctorum immensa benignitas confœderatis affectibus mergerentur.* Quid igitur mirum, si Christianus vates, cuius menti se paruulus infudit, cuius venam non fabulosa de Pegasi volatu & Hippocrene, sed de lacte Virginis puerperæ, & de vulnere Saluatoris, Spiritus rigauit, si is, inquam, inter hæc meditando hæret, alterna dulcedine natiuitatem, infantiam lactantis, & dolores, caritatemque patientis animo reuoluens quo se vertat ambigit?

Hæret,

Hæret, inquam, non æquando lac Virginis matris, sanguini filij Dei hominis, sed quia passionis considerationi interuenit infirmitas vagientis, sitis & fames vbera sugentis, hæc enim futurorum erant præludia: Vagitus euangelizat, clamant panni, lac Mariæ nos consolatur, nam dum sugitur, dum in sanguinem dominicum vertitur, dum in carnem coagulatur, verbo quoq; iungitur, & diuinæ hypostasi, mirabiliter vnitur. Exclamemus igitur cum Poeta:

Et dico (si forte oculos super vbera tendo)
Diua parens, mammæ gaudia posco tuæ.

Gaudia in fidei confirmatione, ne carnem putatiuam, & natiuitatis phantasmata cum Marcione somniemus. Gaudia in tanta Saluatoris dignatione, qui enim flumina suis alueis decurrere iussit, qui immensis spacijs maria diffudit, lacte tenui pascitur. Gaudia de spe æternorum gaudiorum, terræ lacte, & melle manantis, cuius pignus & arrhabo est lac illud de virgineis vberibus creatorem reficiens. Magna hæc gaudia,

Sed dico (si deinde oculos in vulnera verto)
O Iesu lateris gaudia malo tui.

Quamuis paruulus Iesus non parum attulit, & infantia eius est nostra salus, tamen redemptionis opus est in passione, de sanguine lauamur, & dealbamur, malo id quod precij apex est. Dulcis puerulus vberibus inhians, at iam cum plenitudine Saluationis de vulnere pendens, stansque super vulnera, immensos thesauros quinis fontibus scaturit,

Quid igitur faciam?
Rem scio: prensabo si fas erit vbera dextra,
Læua prensabo vulnera si dabitur.

Apprehendam fide, spe, caritate, meditatione, dextra infantiam Saluatoris, interiore vero manu,

vnde

vnde proximus in pectus aditus, hoc est, penitissimo corde complectar vulnera. Natiuitatis tempus, locus infantilis corporis teneritudo, paruuli vagitus & lacrymę, matris vbera, mea sunt, pro me faciunt, *sed ecce dum ista considero, dum*, vt sanctus ille Abbas, *loquor de mysterijs natiuitatis, ad scrutanda repente deuenio sacramenta Dominica passionis. Nec mirum tamen, si quæro in passione, quod in natiuitate sua Christus attulerit. Tunc enim conscisso sacco, pecuniam quæ latebat, in precium nostræ redemptionis effudit.* Itaque

Lac matris miscere volo cum sanguine nati,
Non possum antidoto nobiliore frui.

Miscere volo, non poculo, non alieno, (absit mala mens bona verba sic interpretantis) sed alternante meditationis ardore, in pectoris mei secreto vicissim, nunc spiritus ingerit caritatem paruuli, nunc passionem morientis, in medio cor meum positum est, inter nascentem & morientem fluctuat amoris æstu, de mysterijs natiuitatis, & crucis perpetua cogitatio, siue autem rapiat dulcedo lactis, siue precium sanguinis animi intentionem, semper adhæret Iesu suo: Non venit in precium redemptionis lac maternum, ne mater quidem, quam & ipsam sanguis ille redemit. Sed sanguis tamen ille de lacte fuit, caro illa saluatrix de sanguine purissimæ virginitatis coaluit, primitiæ cruoris de corpore Domini mei, quas lex Mosaica de circumcisione libauit, lacteus erat sanguis, vix lac esse desierat, & de lacte materno inter vagitus est suppletus.

Nobile sanguis est antidoton, solus sufficiēs, solus precium, sed sanguis de lacte, sanguis de castissimis Mariæ sanguinibus, ita cogito Saluatorem vt originem eius identidem respectem, in meditatione pueritiæ occur-

rit, memoria passionis, miscebat sanctissimus ille Simeon *lac matris cum sanguine nati*, dum infantem complexus, ait, *eum positum in signum, cui contradicetur, & tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

Vulnera, & lac vitiorum in quæ humana corruptio nimium propendet remedia præstabunt, libidinis, iræ, inuidiæ, superbiæ. Contemplare castitatem matris, dolorem nati pro te morientis, exhorrescẽs, quicquid in voluptatibus illecebrosum videbatur. Ecce paruulus omnipotens irasci non nouit, in cruce vero etiam orat pro inimicis, & indignari potest, qui tanto mansuetudinis exemplo mortem euasit æternam?

Quid vero magis indignum, quid detestandum amplius, quid grauius puniendum, quam vt videns DEVM cœli paruulum factum, vltra apponat homo magnificare se super terram? intolerabilis impudentiæ est, vt vbi se exinaniuit maiestas, vermiculus infletur, & intumescat; Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, apparuit in cunis, in cruce, in lacte matris, in sanguine suo, in voce vagientis, in clamore valido Spiritum emittentis, omnibus his peccatum meum violenter expugnatum est. Omnia si non simul, singula tamen meditor, sequor, apprehendo.

O quando ergo *lactabor ab vbere, vulnere pascar?*
Delitiisq; fruar mamma latusq; tuis?

Hæc mea verba ex cæteris selecta ô bone Iesu, etiam profana hæresis traduxit, & impietatis accersiuit. Verum ingemino eadem, illo animo quem tu nosti, non quem suspicio-

ſpicionibus indulgẽs aliena nequitia mihi affingit. O quã-do ergo lactabor ab vbere, vulnere paſcar? Quãdo pleno gaudio, nulla cura, nullo malo interrumpente, dilatato corde, in lumine gloriæ tuæ, vnico intuitu, conceptum, natiuitatem, vitam, mortem tuam contemplabor, cum tu omnia eris in omnibus, cum omnes labores tuos, & dolores, omnia acta à primo ſuſceptæ carnis momento & inter hæc, ſingulas lactis guttulas, clariſſime intuebor? Te ſitio mi Ieſu, ſiue inter vbera lacte matris ſitim pellis, ſiue inter clauos acetum guſtas. *Reueremur te nos in præſepio, reueremur in patibulo*, reueremur in Vlnis Virginis matris, reueremur in ſepulchro. *Deuotè ſuſcipimus tenerum propter nos, cruentum propter nos, pallidum propter nos, ſepultum propter nos reueremur. Deuote adoramus cum Magis, deuotè amplectimur cum Simeone infantiam Saluatoris*, deuotè vngimus & velamus cum nobili Decurione. O quando de tua ſiti potabimur, ſed ab vbertate domus Dei? de præſepio paſcemur? de patibulo viuemus? de vlnis gaudebimus, de ſepulchro reſurgemus! ô quando ſatiabimur de te tenero? dealbabimur de te cruento? ſanabimur de tuo liuore? immortalitatem de tua morte induemur? Hęc ſunt vota cordium noſtrorum, quæ ridet infidelis, calumniatur hæreticus, ſed ea tu Deus ſcrutator cordium, & renum, de miſeratione tua, de merito filij tui, rata eſſe decernas. Hęc ſententia cum ſit pij carminis, & eam eſſe, cum verba omnia quæ aduerſarius omiſit, cõuincant, cuius hominis eſt, hæc in ſenſum tam pernicioſum trahere? *Sceleratum eſt* (vt vult Pareus pag. 187.) *cum noueris pium ſenſum eſſe alicuius, ex verbis incommodè dictis ſtatuere errorem.* Si ſceleratum eſt ex verbis incommodè dictis ſtatuere errorem, quem te dicam, qui ex verbis Poëtæ commodiſſimè ſanctiſſimeq; dictis hæreſim ſtatuis?

Denique quod obijcit esse *nos Collyridianos, adorare Mariam, offerre aurum, &c.* Respondeo. Collyridiani Mariam Deam faciebant, vt constat ex Epiphanio, nos creaturam Dei. Nam si quis eam diuino honore afficit, anathema. *Verum adorando Deum facimus.* Nequaquam. Sic oramus. *Sancta Maria ora pro nobis*, illa prece profitemur Deum nobis non esse illam, sed nobiscum Deum deprecari.

Collyridiani sacrificium offerebant, qui cultus est latriæ, vni Deo debitus. Mariæ si quis sacrificium offert, anathema. Ad alium honorem pertinent ornamenta, & donaria. Non sunt illa sacrificia. Regum vestrorum non statuis modo, sed thronis & scabellis, imo phaleris equorum honorem habetis, statuas illorum auro includitis, & ligno precioso, positu ipso, & cura honoratis, an eos Deos facitis? hoc & vos negatis, & ipsi nolunt. Vocatis tutissimos portus, & vnicam ancoram omnium verè Christianorum, habent sacratissimum & celsissimum patrocinium, habent aram. Hæc si offendunt, tollite, si placent, & nos, non maiora Dei Matri tribuentes, tolerate.

Nec offendere quenquam debet, quod omnes Iubilantes ad inuidiam faciendam obijciunt. *Iure matris redemptori.* Nullum est matris ius in filium, quem Deum ipsa creatura inter omnes creaturas vt deuotissimè, ita humilimè adorat. Ius igitur matris improprium est, & imperium orationis & fiduciæ. Amici carissimi, & matris preces non minis, sed caritate armatæ sunt. Dimitte me ait Dominus Mosi, precibus n. illius, vt vinculis tenebatur Deus. Multa Deo tribuuntur, quæ etiam sanctis conueniunt, sed multo aliter Deo, aliter sanctis. Nam Deus Dominus est supremus, natura summus, cœteri Domini sed in mancipio magni regis. Mediator est Chri-

Ius matris Dei caritas est, Gratia est.


est Christus, & vnus mediator, qui redemptionem operatus est, qui semetipsum dedit pro nobis, qui iure summo nostram causam agit, qui merito interpellat, qui precium dissoluit. Est tamen & Galat. 3.19. *μεσίτης* Moses, *data est enim lex per manum mediatoris*; Sancti nobiscũ ad Christum accedunt, nec magis dignitati veri & vnici mediatoris detrahit, beatorum angelorum, & sanctorum regnantium in cœlo oratio, quam fidelium in terra viuentium. Eadem prorsus ratio est vnius aduocati, qui iure summo, meritoque & æterna redemptione nostram causam agit, & aliorum qui vel nobiscum, vel cum Deo viuẽtes pro nobis orant. Omnia enim salutis adiumenta, quę ex alijs adueniunt, vnius aduocati potestate meritisque nituntur.

Nulla igitur, hac in re calumniarum fingi potest occasio. Concludam hanc aureis verbis Dionysij Areopagitæ de Eccl. Hier. c. 7. p. 3. *ὅτι δὲ καὶ τῶν δικαίων αἱ προσευχαὶ κατὰ τὸν τῇδε βίον, μήτιγε μετὰ θάνατον, εἰς τοὺς ἀξίους ἱερῶν εὐχῶν ἐνεργοῦσι μόνον, αἱ τῶν λογίων ἡμᾶς ἐκδιδάσκουσιν ἀληθεῖς παραδόσεις ἢ τί πρὸς τοῦ σαμουὴλ., ἀπώνατο. τί δὲ τὸν τῶν ἑβραίων λαὸν ὤνησεν ἡ προφητικὴ προσευχή· καὶ γὰρ ὡς εἴ τις ἡλίου τὰ οἰκεῖα δωρουμένου φῶτα, τοῖς ἀβλαβέσιν ὀφθαλμοῖς, ἐν μετουσίᾳ τοῦ ἡλιακοῦ φωτὸς αἰτεῖ γενέσθαι, τὰς οἰκείας ὄψεις ἐξαφανίζων· οὕτω πρὸς ἀδυνάτους ἤρτηται καὶ περιττὰς ἐλπίδας, ὁ τὰς τῶν ἁγίων ἐξαιτῶν προσευχὰς, καὶ τὰς κατὰ φύσιν αὐτῶν ἱερὰς ἐνεργείας ἐλαύνων, ἀπροσεξίᾳ τῶν θείων δώρων, καὶ τῶν φανερωτάτων καὶ ἀγαθοδοτήων ἐντολῶν ἀποφοιτήσει, φημὶ δὲ τοῖς λογίοις ἑπόμενος, ὡς ὠφέλιμοι πάμπαν εἰσὶν ἐν τῷ δε τῷ βίῳ τῶν ἁγίων αἱ προσευχαὶ κατὰ τόνδε τὸν τρόπον, εἴ τις ἱερῶν ἐφιέμενος δώρων καὶ πρὸς μετοχὴν αὐτῶν ἕξιν ἱερὰν ἔχων, ὡς τῆς οἰκείας ἐπιγνώμων βραχύτητος, ἐλθὼν ἐπί τινα τῶν ὁσίων ἀνδρῶν ἀξιώσειεν αὐτὸν οἱ γενέσθαι συλλήπτορα καὶ συνευχέτην ὠφεληθήσεται πάντως ἐκ τούτου τὴν πάσης ὑπερκειμένην ὠφέλειαν*, i. Quod autem & iustorum preces etiam in hac vita, nedum post mortem, ijs duntaxat prosint, qui

ſacris prêcibus digni ſunt. Veræ oraculorum traditiones nos edocent. Quid enim à Samuele (orante) Saul vtilitatis percepit? Quid vero Hebræorum plebem iuuit prophetica oratio? Etenim, vt ſi quis Sole ſuum lumen oculis ſanis largiente, particeps ſolaris luminis fieri poſtulet, propriorum oculorum dolorem ſuſtinens; ſic impoſſibili & ſuperuacanea ſpe ille ſuſpenſus eſt, qui ſanctorum flagitat preces, & naturæ ipſorum conſentaneas ſacras operationes reijciens, negligentia diuinorum munerum, & clariſſimorum ac beneficiorum mandatorum auerſatur. Dico autem oracula (id eſt, ſcripturam ſacram) ſequutus vtique plane vtiles eſſe in hac vita Sanctorum preces, hoc modo, nempe ſi quis ſanctorum munerum amore incenſus, & ad eorum participationem pie affectus tanquā propriæ conſcius exiguitatis, adiens quempiam ſanctorum virorum, roget ipſum ſibi fieri adiutorem & comprecatorem, vtilitatem omnino ex eo conſequetur omni vtilitate ſuperiorem.

CAPVT XLVI.

An in cultu imaginum & reliquiarum Eccleſia Romana committat idololatriam?



Piſtola ad Romanos c. 1. v. 23. multiplex idololatria deſcribitur: *Et commutauerunt*, inquit, *gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis.*

Eccleſia Dei honorem rebus inanimatis non tribuit.

Hic incredibilem ſapientium ſtultitiam demonſtrat. Videtur enim καὶ &, pro γὰρ, *enim* poſitum: ne videlicet ſine cauſa vniuerſam mundi ſapientiam damnaſſe ſtultitiæ videretur. Ἤλλαξαν hic μετήλλαξαν tranſmutarunt. alludit Apoſtolus ad alia ſcripturæ loca: Sap. 14.

14.21.*lignis & lapidibus imposuerunt nomen incommunicabile*, & Ierem. 2.11. *Populus vero meus mutauit gloriam suam in Idolum.* & Psal. 105.20. *mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.* & ibidem v. 19.

Secundo, commutauerunt Gloriam Dei, hoc est: Deũ gloriosum, seu gloriam cultumque vni Deo tribuendum. Alioqui & gloria Domini dicitur signũ aspectabile, quod maiestatem suam Deus manifestat. Hoc loco recte etiam gloria dicitur Dei fama & notitia. *Gloria est enim illustris & peruagata multorum & magnorum, vel in suos ciues, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum.* Hæc in Deo infinita est, quia merita eius in homines nullo termino clauduntur. *Gloria Dei quid sit?*

Tertio. Gloriam Dei incorruptibilis, θεοῦ ἀφθάρτου. Exaggeratio est stultitiæ, quod enim natura sua, non modo est ἀθάνατος, immortale, sed omnino iñutabile, quod nihil sui amittere potest, eius gloriam verterunt in similitudinem corruptibilis hominis. Incorruptibilis est Angelus, atque anima, sed mãnente vita, & substantia in meliorem, deterioremue statum mutari potest, Deus ab omni parte inuariabilis, quia nec augeri eius potest infinita felicitas, nec minui.

Quarto. Gloriam mutarunt, In similitudinẽ corruptibilis hominis. Magnitudinem culpæ auget, quod ad tantã indignitatem Dei maiestatem è solio suo detractam quãtum in ipsis est, deijciant. Quid est n. Deus? Summa, æterna, infinita substantia, quid homo? Vno verbo dicam; ἐπάμεροι· τί δέ τις, τί δ᾽ οὔ τις; σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι. Diurnus, quid vero aliquis? quid vero nullus? vmbræ somniũ homines sunt. *In quid gloriã Dei mutamus.*


Quinto. Quod dicit: ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου, In similitudine imaginis, noster legisse videtur εἰς ὁμοίωμα in similitudinem, vt Psal. 105.20. In similitudinem vituli comedentis fœnum. Solet a. ἐν pro εἰς aliquando poni.

Dein-

ſacris prĕcibus digni ſunt. Veræ oraculorum traditiones nos edocent. Quid enim à Samuele (orante) Saul vtilitatis percepit? Quid vero Hebræorum plebem iuuit prophetica oratio? Etenim, vt ſi quis Sole ſuum lumen oculis ſanis largiente, particeps ſolaris luminis fieri poſtulet, propriorum oculorum dolorem ſuſtinens; ſic impoſſibili & ſuperuacanea ſpe ille ſuſpenſus eſt, qui ſanctorum flagitat preces, & naturæ ipſorum conſentaneas ſacras operationes reijciens, negligentia diuinorum munerum, & clariſſimorum ac beneficiorum mandatorum auerſatur. Dico autem oracula (id eſt, ſcripturam ſacram) ſequutus vtique plane vtiles eſſe in hac vita Sanctorum preces, hoc modo, nempe ſi quis ſanctorum munerum amore incenſus, & ad eorum participationem pie affectus tanquã propriæ conſcius exiguitatis, adiens quempiam ſanctorum virorum, roget ipſum ſibi fieri adiutorem & comprecatorem, vtilitatem omnino ex eo conſequetur omni vtilitate ſuperiorem.

CAPVT XLVI.

An in cultu imaginum & reliquiarum Eccleſia Romana committat idololatriam?



Piſtola ad Romanos c. 1. v. 23. multiplex idololatria deſcribitur: *Et commutauerunt*, inquit, *gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis.*

Eccleſia Dei honorem rebus inanimatis non tribuit.

Hic incredibilem ſapientium ſtultitiam demonſtrat. Videtur enim καὶ &, pro γὰρ, *enim* poſitum: ne videlicet ſine cauſa vniuerſam mundi ſapientiam damnaſſe ſtultitiæ videretur. Ἤλλαξαν ſiue μετήλλαξαν tranſmutarunt. alludit Apoſtolus ad alia ſcripturæ loca: Sap.

14.

14.21.*lignis & lapidibus imposuerunt nomen incommunicabile*, & Ierem. 2.11. *Populus vero meus mutauit gloriam suam in Idolum.* & Psal.105.20.*mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fænum.* & ibidem v.19.

Secundo, commutauerunt Gloriam Dei, hoc est: Deũ gloriosum, seu gloriam cultumque vni Deo tribuendum. Alioqui & gloria Domini dicitur signũ aspectabile, quod maiestatem suam Deus manifestat. Hoc loco recte etiam gloria dicitur Dei fama & notitia. *Gloria est enim illustris & peruagata multorum & magnorum, vel in suos ciues, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum.* Hæc in Deo infinita est, quia merita eius in homines nullo termino clauduntur. *Gloria Dei quid sit?*

Tertio. Gloriam Dei incorruptibilis, θεοῦ ἀφθάρτου. Exaggeratio est stultitiæ, quod enim natura sua, non modo est ἀθάνατον immortale, sed omnino im̃utabile, quod nihil sui amittere potest, eius gloriam verterunt in similitudinem corruptibilis hominis. Incorruptibilis est Angelus, atque anima, sed mãnente vita, & substantia in meliorem, deterioremue statum mutari potest, Deus ab omni parte inuariabilis, quia nec augeri eius potest infinita felicitas, nec minui.

Quarto. Gloriam mutarunt, In similitudinẽ corruptibilis hominis. Magnitudinem culpæ auget, quod ad tantã indignitatem Dei maiestatem è solio suo detractam quãtum in ipsis est, deijciant. Quid est n. Deus? Summa, æterna, infinita substantia, quid homo? Vno verbo dicam; ἐπάμερος τί δέ τις, τί δ᾽ οὔ τις σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι. Diurnus, quid vero aliquis? quid vero nullus? vmbræ somniũ homines sunt. *In quid gloriã Dei mutamus.*

Quinto. Quod dicit: ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου, In similitudine imaginis, noster legisse videtur εἰς ὁμοίωμα in similitudinem, vt Psal.105.20. In similitudinem vituli comedentis fœnum. Solet a. ἐν pro εἰς aliquando poni.

Dein-

Deinde obſeruandum eſt, ſimilitudinem imaginis hominis, indicari: Similitudinem illam non eſſe veri hominis, ſed ficti, & imaginatione falſa concepti, quamuis malim eſſe hebrææ locutionis proprietatem, vt ſimilitudo imaginis, dicatur imago ſimilis, ſeu imago efformata ad inſtar hominis. Sic Matt. 24.15. dicitur βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως abominatio deſolationis, pro abominanda deſolatione. itaque ſimilitudo imaginis, eſt imago aſſimilata homini.

Similitudo imaginis.

Sexto S. Auguſtinus hoc ex loco contra eos argumentatur, qui Deum corporeum ſtatuebant. l. de fide & Symbolo. c.7. & concludit: *Sedere ergo quod dicitur Deus, non membrorum poſitionem, ſed iudiciariam ſignificat poteſtatem.* Idemque l.13. de Sanctiſſima Trinitate c.19. *Non potuerunt enim in his infimis conſtituti, niſi quærere aliqua media, per quæ ad illa, quæ intellexerant, ſublimia peruenirent, atque ita in deceptores dæmones, per quos factum eſt, vt immutarent gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis.*

Septimo. Et volucrum & quadrupedum, & ſerpentiũ. Pertinet & hoc ad excœcationem, non enim Deo honorem tantummodo detraxerunt, & in hominis imaginem tranſtulerunt, ſed etiam in volucrum, quadrupedum, & ſerpentium. Seruat autem inſignem ad oſtendendam ſceleris grauitatem in his tribus gradationem, nam in auibus poterat humanus à dæmone agitatus ſtupor aliquid ſuſpicari grandius, quaſi cœlo viciniores particulam diuinitatis participarent, de iumentis domeſticis & feris non item, multo minus de ſerpentibus, & vermibus; quæ enim ratio ſuaderet, vt dij putarentur? Singula perſequi difficile eſſet, cum notum ſit, ibidem, coruos, aquilam inter eos coli ſolitas, boues quoque, canes, & feles, anguem Epidaurium, draconem Babylonium, cepas quoque & allia, Ezechiel c.8.10. Hæc quoque ab ipſis Iſraelitis culta vidit.

In quorũ imagines gloriam commutarint.

dit. *Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium, abominatio, & vniuersa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum.* Ecce tibi in quæ monstra Dei gloria translata est. Quę si quis copiosius scire desiderat, legat Diodorum Siculum l.2.c.4. Hæc omnia in nos contorquent, vt populo Idololatras ostentent.

Caluiniani verba Pauli non modo contra Orthodoxos, sed ét Lutheranos cõtorquent, neq; n. colendas imagines, neq; habendas arbitrantur. Respõsum est illis tũ à Stapletono, tũ ab Illustrissimo Bellarmino, sed contra tũ Wittakerus l. de *Idololatria Ecclesiæ Romanæ*, tum alij calumnijs, & conuitijs egerũt, postremo ad hunc locũ q, attinet, omniũ nugamẽta collegit Pareus, & Iubiliarijs suppẽditauit.

Primo, *Idolatriam committi* [?] *Mutari gloriam Dei in similitudinem imaginis hominis &c cũ diuinitas tribuitur rebus, quæ non sunt Deus. Sicut Ægyptij colebant canes, feles, Ichneumonas, accipitres. Græci Priapum, Panas, Satyros, nõ absimilem exercuisse idololatriam seniores Israelitarum, aspiciente Ezechiele per foramen parietis in templo.*

Deprauatio verborum Pauli contra sacras imagines.

Secundo, Committi idololatriam repræsentando Deũ imaginibus hominum, volucrum, quadrupedum, reptilium. Sic populus colebat Deum, inquit, in deserto, in vitulo, Israelitæ in vaccis Dan, & Bethel.

Tertio. *In Papatu videas inquit similem mutationem omnia templa, Sacella, Angiportus, compita referta sunt, tũ simulachris Dei, tum hominum item volucrium, quadrupedum, reptilium ad cultum Dei positis.* Hæc in hunc modum probat. *Gloriam Dei Patris mutari in imaginem vetuli senis. S. sanctum in speciem columbæ. Videas coli asinum Iosephi* [illegible] *Christi, Crocodilum Georgij, Antonium cum porco.* [illegible] *cum Marco, Vitulum cum Luca. & innumeras reliquiarum inanimatarum quisquilias. Hoc nonne est mutare gloriam Dei?*

Quarto. *Nec valet excusatio,* inquit, *quod Deus in illis, non*

illa colantur. Quia Deus non minus execratur cultum, qui fit ad vitulum tanquam Dei signum, quam qui fit vitulo tanquā Deo. Deniq; Deus non est alio cultu honorandus, quam à se reuelato. Idololatria vero est cum colitur pro Deo, quod non est Deus, vel Deus colitur aliter, quam vult coli. Hęc contra Orthodoxos, at contra Lutheranos qui & ipsi imagines retinent sequentia sunt.

Similiter hodie mutant gloriā Dei incorruptibilis inter Christianos, non solum auari & mundani homines in diuitiis, principibus, & quibuscunq; rebus fiduciam suam ponentes, contra primum præceptum: nec soli Papistæ Deum in Ecclesia patefactū venerantes in statuis, & simulacris contra præceptum secundū, sed & omnes alij, qui statuas & imagines S. Trinitatis, Christi crucifixi, aut Sanctorum in templis ad repræsentandū Deū, & Christum, & ad docendum rudiores de Deo & Christo tuentur. In repræsentatione n. similitudo quædam Dei, & imaginis humanæ, Christi & statuæ fingitur, & sic fides de Deo, & Christo mutatur. Hæc nostri Iconoclastæ, Leonis Isaurici, Copronymi, Michaelis Balbi, aliorum veterum hæreticorum noui discipuli contra antiquam Ecclesiæ doctrinam est insania, ad quam breuiter respondeo.

Caluinus negat, Gētes coluisse imagines.

Ad priorem obiectionem concessione respōdetur, quæ tamen aduersarijs obest, nam illorum nonnulli, vt Wittackerus atque ipse Caluinus, negant, Gentiles tribuisse idolis diuinitatem, atque hoc est eorum contra fidem veram argumentum primarium. Eos erroris arguit Pareus, cum asserit, *Ægyptios, Græcos, Israelitas tribuisse diuinitatem rebus, quæ non sunt Deus.* Wittackerus enim multis modis in libro maledicentissimo de Idololatria Ecclesiæ Romanæ docere contendit. *Iudæos & Gentiles in suis statuis, Deum verum, non statuas coluisse.* Et Caluinus, *Quis credat homines adeo stolidos fuisse, vt lapidem & lignum Deum putarent? Itaque hæc vt signa Dei coluisse*, & honorem ad Deum, vt ad pro-

prototypon retulisse. Gratias itaq; Pareo agimus siue casus, siue timor illi veritatem expressit. Dicebant illi: *In imagine colebant solem, in sole solis creatorem, hinc poeta dixit: Iouis omnia plena. Summum n. numen, quod Iouem dicebant, non ipsas statuas colebant.* Sed contradicit tam manifesto mendacio ipsorum discipulus. Nam statuis ipsis diuinos etiam honores attributos esse concedit. Imo adiungit de imaginibus sanctorum: *Quin ipsis statuis subinde aliquid occultæ diuinitatis subesse putatur, aliquidq; reuerentiæ tribuitur à pueris, à mulierculis superstitiosis, ab aduenis idololatris: & sic non modo scandalum ponitur, sed etiam gloriæ Dei derogatur.* Hæc ille, magis sollicitus accusare Christianos, quam Gẽtiles defendere. Hoc igitur ex nouitio hæretico sumendum, contra vetustiores probandum est: Nempe gentes rebus creatis diuinitatem tribuisse. Eo de crimine omnes accusat Augustinus l. 3 de doctrina Christiana. ca. 6. & 7. cum enim dixisset, Ecclesias habuisse simulachra manufacta deos, mox subiungit. *Quando aliqui eorum illa tanquã signa interpretari conabantur creaturam colendam, venerandamque referebant. Quid n. mihi prodest simulachrum, verbi gratia, Neptuni, non ipsum habendũ Deum, sed eo significari vniuersum mare, vel etiam omnes aquas cæteras, quæ fontibus prorũunt: sicut à quodam Poeta illorum describitur, si bene recolo, ita dicente,*

Pareus cõcedit, statuis tributos honores.

Tu Neptune Pater, cui tempora cana crepanti
Cincta salo resonant, magnus cui perpete mento
Profluit Oceanus, & flumina crinibus errant.

Hæc siliqua intra dulce tectorium sonantes lapillos quatit. Non est autem hominum, sed porcorum cibus. Nouit quid dicam, qui Euangelium nouit. Quid ergo mihi prodest, quod Neptuni simulachrum ad illam significationem refertur, nisi forte vt neutrum colam. Tam enim mihi statua qualibet, quam mare vniuersum, non est Deus.

Vbi duplicem facit ordinem gentium, alię n. imagines, vt signa Deorum, alij vt Deos colebant, & quæ signa esse dicebant in prototypo earum errabant, quia opera Dei, non Deum colebant. Quod si Caluinus quærat: qui potuerint esse tam stupidę, vt Neptuni signũ putarẽt esse Deũ? viciſſim ipse velim mihi dicat: Qui potuerint mare & flumina putare Deos, quid n. vel in salsa, vel dulci vnda diuinitatis effingi pōt, quod non in statua cernatur? Tam igitur hic, quam ibi excusatione caret error. Quid de notis dijs respondebit? An Floram, Caligulam, Neronem, Antinoum, Domitianum, vt Deos colere poterant, monstra ac flagitia humanæ naturæ; statuas non poterant? Certe dicebat Caius tot modis perditus, & miser; *Dubitem esse Deus, cum faciam Deos*? Quid ille Dñs terrarum cum equo suo sacrificaret, vt Deo, nō ēt posset imagini suæ? Si Neroni credis, cum se facit Deum; necesse est, vt ēt equum Neronis Deum esse credas, quia id Nero Deus tuus asserit, quum plus in equo diuinitatis, quam Nerone, qui tanquam minorum gentium deaster, maiori Deo thus adolebat. At metu hæc faciebāt: Quid igitur Ægyptij? an monstra sua, apin, atque obscenas aues non serio, & sponte venerabantur? Hæc animalia coluisse non vt deorũ signa, sed vt deos testis est locuples. Theodorus Sicul⁹ l. 2. c. 4. *Colũt Ægyptij quadã animantia præter modũ, non solum viua, verum ēt mortua.* Quinetiam Plutarchus dũ l. 1. c. 6. de Philos. placitis deorũ genera recenset, ad hæc ipsa descendit. Romani, q̃ in vrbẽ suã omniũ gentiũ errores deuocarunt, non dictos modo deos coluerunt, sed alios insup multo fœdiores, Timorẽ, pallorẽ, febrim, teterrimos affectus, q̃d porro mirũ ad statuas aureas atq; argenteas illos ꝓcidere, qui febri aram constituerunt? an pallor magis Deus erit, quam Iupiter aureus? Hæc igitur omnia tanquam Deum colebant, putabantq; vim aliquam diuinitatis illis inesse, licet nonnulli signa deorum, sed falsorum, arbitrarentur.

Statuas pro dijs cultas.

Febrim & pallorem colebant, cur non statuas?

Sed

Sed occurrit tamen Caluinus, Ierem. 2. 10. *Transite ad insulas Cethim, & videte: & in cedar mittite & considerate vehementer: & videte si factũ est huiuscemodi: si mutauit gens Deos, & certe ipsi non sunt dij, at simulachra mutabant, non igitur simulachra deos putabant.* Respondeo, Non omnes gentes ita deos suos mutasse vt fecere Iudæi, vicinæ enim insulæ, regionesq; numerantur; deinde non ita crebro, vt deos veteres reijcerent, ac nouos in eorum locum adsciscerent. Vt templa Iouis dicarent Marti, ita Iunonem colerent, vt Mineruam Deam esse negarent. Quanquã alios atq; alios deos agnoscerent. Romam venit Aesculapius Epidauro, Mater Deum Pessinunte, Anubis, seu Cynocephalus ex Aegypto, ex toto orbe quicquid errorum fuit, nec omnia tamen numina peregrina fuerunt; Cloacinam, Pallorem, Timorem, Febrim ipsi fecerunt. Tot nouos deos collegerunt, nec antiquos tamen abiecerunt, nec id ęquum videbatur & ex more suo constanter fecit Terminus, cum *Ioui ipsi nollet concedere.* Hinc tanta multitudo deorũ paulatim increscẽs mundum funestauit, vt Onomaus triginta millia numerarit, & Hesiodus forte crediderit cum dixit:

Triginta deorum millia Trecenti Ioues.

Τρὶς γὰρ μύριοί εἰσιν ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ
Ἀθάνατοι Ζηνὸς, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.

Tricies mille sunt super terram fertilem,
Immortales Iouis, custodes mortaliũ hominum.

Nec mirũ tot fuisse deos, cum Varro Trecẽtos, siue Ioues, siue Iupiteres enumerarit. Cum igitur omnes illi aut plerique diuersis locis temporibusque exstiterint, alij coli cœperint, alij sensim in obliuionẽ venerint, nõ ita intelligendus est Ieremias, vt significet, nullã vnquam gentem deos nouos adsciuisse, aut veteres oblitam deseruisse. Sed eo tempore nullã gentem ita infidam fuisse deis suis, quã fuerit Iudæorũ, quæ à Dauidis tempore vsq; ad Ieremiam tot à Deo beneficijs affecta, toties à Prophetis edocta, à

pijs regibus Dei obsequium reuocata vix denos annos cõtinuos Deum coluit, adeo vt ipsimet Reges, & subditi à recentibus Dei beneficijs ad idola deficerent, quemadmodũ patres eorum cum tãto miraculo in deserto pascerentur, cũ viderent nec vestimenta, nec calceos alteri, inter ipsa Dei munera profanis dijs prouoluebantur. Quod si Israëlitæ in statuis verum Deum colebant, certe nõ magis illi, quam gentes Deum suum mutabant. Ideo enim Caluinus negat, gentes mutasse deos suos, quia non numina, sed statuas mutarunt, & si statuę fuissent numina, ipsos deos mutassent. Cur nõ igitur & Israëlitæ, etsi nomina, & statuas nouas vni Deo fingerent, Deum suum se retinere possent asserere. Itaque quæstionem dissoluerunt iam olim idololatræ, cum enim quæritur: Quis tã sit stupidus vt lignis & lapidibus diuinitatem tribuat? Respondit Rex Babylonis Daniel. 14. *Non videtur tibi Bel esse viuens Deus; an non vides quanta comedat, & bibat quotidie? Magnus es Bel, & non est apud te dolus quisquam*, Et: *Ecce nunc nõ potes dicere, quia iste non sit Deus viuens; adora ergo eum.* Hic certè de Deo, non de aliquo signo Dei loquitur. Respondet & Pareus, hunc cultum ad crassam idololatriam pertinere. Respondebunt alij idololatræ, nouis illis Diuis conferri diuinitatem. Id enim agi suis ἀποθεώσεσι Romani credebant, aut credi volebant. Id ipsis statuis in diuos relatis Philosophi tribuêre. Photius de illis in hunc modum scribit. Legi Ioannis Philoponi κατὰ τῆς σπουδῆς Ἰαμβλίχου, quam scripsit περὶ τῶν ἀγαλμάτων, de statuis. *Est quidem propositum Iamblicho diuina ostendere idola, hæc enim nomine ἀγάλματος appellat, μετουσίας ἀνάπλεα communicationis plena, non modo quæ hominum manu occulta praxi facta, ob incognitum artificem* Διοπετῆ nominarunt, *illa enim (ἀγάλματα) cœlestis naturæ esse, & inde in terram cadere, vnde & nomen habent.* Ecce tibi statuas à Ioue deciduas, statuas plenas diuinæ communicationis, statuas cœle-

Philosophi fingebant, statuis dari diuinitatem.

cœleſtis naturæ Philoſophus Chriſtianorum temporum agnoſcit, quid facerent idiotæ in cœca vetuſtate? Nec tamen illis quaſi cœlo lapſis tãtummodo diuinitatẽ tribuit, ſed etiam τοῖς χειροποιήτοις. Sic enim Photius perſequitur ſententiam Iamblichi. Sed & quæ χαλκευτικῇ καὶ λαξευτικῇ καὶ ἡ τεκτόνων ἐπὶ δηλῷ μισθῷ διεμορφώσαντο. τούτων οὖν ἁπάντων ἔρ-γα τε ὑπερφυῆ καὶ δόξης ἀνθρωπίνης κρείττονα. *Sed & Agalmata, quæ fuſoria vel ſculptoria, vel fabrili arte efformata ſunt. Horũ enim omnium opera ſunt ſupra naturam, & hominum opinione meliora. Non eſt igitur mirum ſi nouos deos facere ſe putarent, cũ noua ſimulachra fingebant.* Stupor ille fuit ſenſus reprobi, obſcurati cordis inſipiẽtia. Quid aliud Varro docuit? Deũ eſſe animam mundi, hunc mundum eſſe Deum. Mundum dici Deum ex animo, quamuis conſtet animo & corpore, cœlum diuidi in ęthera, & aera, terram in aquã & humum, quas omnes quatuor partes animarũ eſſe plenas, in æthere & aere immortalium, in aqua & terra mortalium, à ſummo autem circuitu cœli, vſque ad circulũ lunæ æthereas animas eſſe aſtra ac ſtellas, eaſque cœleſtes deos, non modo intelligi eſſe, ſed etiam videri. Inter lunæ vero gyrũ, & nimborum & ventorũ cacumina aereas eſſe animas, ſed eas animo, non oculis videri, & vocari heroas, & lares, & genios. Hanc Auguſtinus Philoſophis ait placuiſſe. l. 7. ca. 6. de Ciuit. Dei. Quum igitur animas mundi in multas diuiſerit, non eſt mirum, aliquas etiam ſtatuis atq; imaginibus tributas. Ne vero Ethnicos mirẽtur, ecce Irenæus tibi hæreticos producit Ethnicis peiores l. 2. aduerſus hæreſes c. 9. *Ethnicis*, inquit, *efficiunt peiores, qui aſſentiunt eis. Illi. n. creaturæ potius, quã creatori ſeruientes, & his, qui non ſunt dij, verũ tamẽ primũ deitatis locũ attribuũt fabricatori huius vniuerſitatis Deo. Hi autẽ, hunc quidẽ labis fructũ dicentes, & animalẽ eum vocantes & non cognoſcentẽ eam, quæ ſuper eũ eſt virtutẽ, dicentẽ quoq;, Ego ſum (Deus) & præter me nõ eſt alius Deus, mentiri eũ dicẽtes, ipſi mentientes, omnẽ malitiã copulãtes ei; eũ* *Gentes mundo animas tribuerũt.*

qui

„qui non est, super hunc, quod sit, fingentes, secundum „sententiam suam deteguntur, eum quidem, qui est Deus „blasphemantes, eum autem, qui non est, Deum fingẽtes „in suam ipsorum condemnationem. Sed vt hunc de statuarum commentitia diuinitate tractatum absoluam, audiendus est gentium Apostolus falso existimatus, & Philosophorum vertex, qui & Christianis quibusdam visus est pene Christianus. Hermes Trismegistus. apud Augusti„num l.8 de ciuitate Dei, c.23. Ille autem ægyptius alios „Deos dicit à summo Deo factos, alios ab hominibus, hoc „qui audit, sicut à me positũ est, putat dici de simulachris: „quæ opera sunt manuum hominum. At ille visibilia & „contrectabilia simulachra, velut corpora Deorum esse, „asserit. Inesse autem his quosdam spiritus inuitatos, qui „valeant aliquid, siue ad nocendum, siue ad desideria eo„rum nonnulla complenda, à quibus eis diuini honores, „& cultus obsequia deferuntur. Hos ergo spiritus inuisi„biles per artem quandã visibilibus rebus corporalis ma„teriæ copulare, vt sint quasi animata corpora, illis spiriti„bus dicata & subdita simulachra: hoc esse dicit Deos fa„cere, eamque magnam & mirabilem Deos faciendi ac„cepisse homines potestatem. Huius Aegyptij verba, si„cut in nostram linguã interpretata sunt, ponam. Et quo„niam de cognatione, inquit, & consortio hominum deo„rumque nobis indicitur sermo, potestatem hominis, ô „Asclepi, vimque cognosce. Dominus, inquit & Pater, vel „quod est summum Deus, vt effector est deorum cœle„stium, ita homo fictor est deorum, qui in templis sunt hu„mana proximitate contenti Et paulo post: Ita humani„tas, inquit, semper memor humanæ naturæ & originis „suæ, in illa diuinitatis imitatione perseuerat: vt sicuti pa„ter ac Dominus, vt sui similes essent, Deos fecit æternos, „ita humanitas Deos suos ex sui vultus similitudine figu-
raret.

Statuæ deorum corpora Hermeti.

Homo fictor deorum.

raret. Hic cum Aſclepius, ad quem maxime loque-"
batur, ei reſpondiſſet atque dixiſſet; ſtatuas, dicis, ô"
Trimegiſte? Tum vero ille: Statuas, inquit, ô Aſ-"
clepi vides (ne) quatenus tu ipſe diffidas, ſtatuas a-"
nimatas ſenſu & ſpiritu plenas, tantaque facien-"
tes & talia: ſtatuas futurorum præſcias, ea quæ for-"
te vates omnis ignoret in multis & varijs rebus præ-"
dicentes, imbecillitates hominibus facientes, eaſ-"
que curantes, triſtitiam lætitiamque pro meritis?"
An ignoras, ô Aſclepi, quod Aegyptus imago ſit"
cœli: aut quod eſt verius, translatio aut deſcenſio"
omnium, quæ gubernantur atque exercentur in cœ-"
lo: ac ſi dicendum eſt verius, terra noſtra mundi to-"
tius eſt templum? Et tamen quoniam præſcire cun-"
cta prudenter decet, iſtud vos ignorare fas non eſt. Fu-"
turum tempus eſt, cum appareat Aegyptios in caſſum"
pia mente diuinitati ſedulam religionem ſeruaſſe, & o-"
mnis eorum ſancta veneratio in irritum caſura fruſtrabi"
tur.

Gentes indicarunt, hominem facere poſſe Deũ.

Deinde vero hominem poſſe facere deos, idem Hermes Triſmegiſtus profitetur cap. 24. *Omnium vero admirabilium vincit admirationem, quod homo diuinam potuit inuenire naturam, eamq; efficere. Quoniam ergo proaui noſtri multum errabant, circa deorum rationem increduli, & non animaduertentes, ad cultum religionemq; diuinam inuenerunt artem qua efficerent deos. Cui adiunxerunt virtutem, de mundi natura conuenientem: eamq; miſcentes, quoniam animas facere non poterant, euocantes animas Dæmonum, vel Angelorum, eas indiderunt imaginibus Sanctis, diuiniſq; myſterijs, per quas idola & benefaciendi, & male, vires habere potuiſſent.*

Si vero illa quæ ſupra ex Cicerone allata ſunt ſpecte-

mus, nihil mirum videbitur, qui terram, aërem, aquam, ignem, aut ſimile quippiam Deum conſtituerunt, eoſdem de imaginum diuinitate tam grauiter aberraſſe. Hoc ſatis indicat toto ſuo libro Baruch, & præſertim cap. 6. v. 69. Nam ſicut in cucumerario formido nihil cuſtodit: ita ſunt dij illorum, lignei & argentei & inaurati. Et verſu 61. Hæc neque ſpeciebus, neque virtutibus vni eorum ſimilia ſunt, vbi ſolem, lunam, nubes, ignem, dijs prætert, quæ facile eludi poſſent, ſi imagines & ſtatuæ pro ſignis tantum Deorum, non pro dijs ipſis haberentur. Concidit itaque impudentiſſimum, ſed quo ſolo contra imagines diſputatio nititur, mendacium, nempe gentes non putaſſe, aut non coluiſſe imagines tanquam deos.

Secundo queritur, *Deum repræſentari imaginibus hominum, volucrum &c. hacque ratione peccaſſe Iſraelitas in deſerto, ac deinde in Dan, & Bethauen.* Reſpondeo primo. Nulla imagine verè ac propriè poſſe Deum repræſentari. Nulli enim corporatæ ſubſtantiæ pura planè atque ſpiritalis comparari poteſt, nulla rei creatæ perfectio naturam omni modo infinitam, omnem omnium rerum dignitatem eminentiſſimè continentem exprimere poteſt intellectui, nedum oculis, alioqui quicquid diuina omniſcientia cognoſcere, quicquid omnipotentia facere poteſt, imaginibus exhiberi poſſet. Impropriè tamen, & ad noſtrum captum accommodatè immenſam maieſtatem tum imagines tum res aliæ creatæ nobis, velut indicia, & veſtigia repræſentant. Imagines interdum ſolam hiſtoriam referunt, vt cum viſio, quæ Iſaiæ ſexto deſcribitur, nobis exhibetur, aliquando extra hiſtoriam, vt cum Deus Hieroglyphico adumbratur, vel eo modo, quo in hiſtoria

Nulla imago Deū propriè poteſt exprimere.

ria describitur, coloribus efformatur. Nulla igitur imago Dei, nec Angeli, nec animæ humanæ propria rem suis lineamentis, coloribus, & magnitudine exprimens pingi potest, sed adumbratione quadam, & historica relatione. Hæc autem repræsentatio non magis est vetita, quam illa narratio Genesis 3. qua dicitur *DEVS ambulasse ad auram*, quam visio Exod. 24. 10. vbi viderunt Deum Israël, *& sub pedibus eius quasi opus lapidis Saphyrini.* Quam historia de Iacob luctante cum Angelo, qui in persona DEI venerat, quam illa, quæ Isa 6. Danielis septimo leguntur. Quod existimat, populum in deserto fecisse vitulum vero DEO, item Boues Ieroboamiticos fuisse in vnius DEI cultum positos, falsum est. Vitulum enim fecerunt ducti consuetudine Aegyptiorum, qui Apim venerabantur, ita illis Moses exprobrat Deuteron. 32. *DEVM, qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui*, Et Psal. 105. *Et obliti sunt Deum*, & Ierem. 2. *Non dixerunt: Vbi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Aegypti?* Cum enim Api diuinos honores in Aegypto tribui viderent, cum promiscua turba Aegyptiorum esset innumerabilis idololatrico cultui assueta, vitulum conflarunt, vt numen notum adorarent.

Imagines impropriè Deum repræsentant.

Vitulus in deserto fuit Apis.

Nec vituli in Dan & Bethel vero Deo positi erant, hoc scriptura manifestat. 3. Reg. 12. 18. *Et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis; Nolite vltra ascendere in Ierusalem. Ecce dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* Cũ vetat accedere verũ Deum, qui Ierosolymis colebatur, quomodo illius Dei honori signa ponit, aras, cõstruit, Sacerdotes dedicat? Cur nõ dicit, Deũ, q in Ierusalẽ templũ habet, hic colitote? Vitulos & ille fecit. *Quia ipse profug⁹ in ægypto eos viderat & forte apostata coluerat.* Hoc

Ieroboam non fecit vitulos vero Deo.

adeo disertè scriptura monet, vt dubitare illius sit, qui vel eam non viderit, vel lectam malitiosè deprauat. Eodem libro cap. 14. 9. Ieroboamo dicitur. *Sed operatus es malum ante omnes, qui fuerunt ante te, & fecisti tibi Deos ALIENOS, & conflatiles, vt me ad iracundiam prouocares, me autem proiecisti post corpus tuum.* Non fuerunt ab ea culpa immunes alij, etiam Salomon, maius tamen Ieroboami crimen fuisse videtur, quod DEVM omnino abiecerit, ab eoque subditos abalienarit. Deinde veri DEI, qui in æde Salomonia colebatur, Sacerdotes, & Leuitas abiecit. 2. par. 13. 14. & vers. 15. *Constituit sibi sacerdotes excelsorum, & Dæmoniorum, vitulorumque quos fecerat.* Et capite vigesimotertio. *Atque vitulos aureos, quos fecit vobis Ieroboam in DEOS*; Et: *Fecistis vobis sacerdotes sicut omnes populi terrarum.* Et: *Fit Sacerdos eorum, qui non sunt Dij.* Si vituli signa erant veri Dei, nonne excipere poterant esse se sacerdotes veri Dei, cuius signa essent vituli?

Ad tertium respondeo, non mirum esse, hominem Iconoclastico furore ebrium imagines detestari, quemadmodum quos ὑδροφοβία à rabido morsos cane in eandem rabiem agit, vt aquam velut ignem, atque venenum fugiant, sic omnis imago sacra tam profanis mentibus crux est. Desperata salus est, quum aquam horrent, nec facile de his speres, quæ Ecclesiarum imagines exasperant, atque in furiam agunt. Nec mirum semilunulas habent, non vt Arcades in calceamentis, sed pectoribus, Christianas imagines auersantur, profanas in precio habent. Imagines in cultum Dei ponimus, necta-

In imagine colere Deum nõ est mutare gloriã Dei.

nec tamen gloriam Dei in imaginem mutamus, sed gloriam Dei per imaginem cognoscendo, & profitendo illustramus; Cur n. vel Dei gloriam, vel sanctorum siue angelorum, siue hominum transferimus in statuam, quam illorum honori ponimus? Nonne principum suorũ & signa, & iconas aureas circumferunt, & in saxis efformant, nec sic tamen gloriam eorum mutari putant, vel parasiti, vel principes parasitorum obsequijs delectati. Et merito sane, non enim pro principe imaginem, (nisi forte auream) sed principem in imagine venerantur. Quis enim in imaginem confert auctoritatem imperantis, ac non potius posita ante oculos imagine imperij maiestatem meminit ac reueretur? Imago relatione ad prototypon sola æstimatur, quod honoris ei videtur attribui, totum est illius, cui imago pingitur. Sacra biblia veneramur, quæ characteribus verbum Dei repræsentant, cur non etiam, si imagine idem explicetur, par erit causa venerationis? Regium thronum etiam vacuum, nemo sine honoris significatione præterit, nec sellæ tamen, sed regi cultus ille seruit, & sella tamen honorari dicitur, quantum nonnulli sumptuum in opera clariorum artificum in scyphos, aut pocula auorum vsibus trita profundunt? quam sedulo obseruant, quam solliciti recondunt, quam precium augent ex aliquo additamento?

Honor imaginis est honor prototypi.

Hoc Priami gestamen erat, inquit famosus exul,
Hoc auro libabat ad aras.

Vnde honor sceptro, & carchesio? Non ex arte, nec materia; operosiora, & fulgentiora tenebat Latinus: sed aliunde precium augetur, nec tamen, cum hoc diceret, Poëta prudens, Priami regis dignitatem conferre in sceptrum, aut poculum voluit, sed totus honor ille Priami erat, nec enim sceptro, nec poculo Latinus egebat, vt exustæ vrbis Troianæ ad reliquias inhiaret, sed tota mune-

Si regũ honos in imaginem non transfertur, nec ẽt Dei honor

ris dignitas ex vetere Domino conciliatur. Atque adeo lex illa naturæ est, vt carum id sit, & in precio, quod amicum repræsentat, idcirco enim amicorum μνημόσυνα, literasq; seruamus, nec tamen amici dilectionem in chartas, linteolaue transferimus.

Quis vero vnquam gloriam creatoris mutauit in similitudinem vetuli senis? quis inquam dixit, Deum esse vetulum senem? aut similem esse vetulo seni? sic enim & hominem ex Deo faceret, & hominem iam defectis viribus, morti vicinum. Quomodo ergo Deum pingimus? Ex descriptione Danielis. *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda, fluuiusque igneus* &c. Dan. 7. 9. & ex Apocal. 4. 3. *Similis erat lapidi Iaspidi, & visioni smaragdinæ.* Antiquus dierum Deus est sempiternus, non vetulus senex, cum se talem Deus exhibet, vel oculis Prophetæ vigilantis, vel imaginationi dormientis, an forte honorem prodegit suum, & gloriam mutauit in gloriam vetuli senis? Imo vero hac ratione se vetustissimum esse monstrauit, sine principio, sine fine. Quid throni, & vestimentum, & capillatura candens, nonne humanam formam Danieli exhibent? & Deus tamen Spiritus est, nec vlla membra habet. Quid candor in veste & capillo? Audiat suos aduersarios. Id est, *qui iustitia integerrima, & potentissima absolutissimaque instructus est, ad perficiendum sua iudicia.* Nunc quæro liceatne tam historiam illam pingere, quam scribere? An maius sit periculum oculorum, cum Deo picto membra humana dantur, quam aurium, cum manus, digiti aures, os, lingua, cor, viscera, pedes, femora, renes, eidem tribuuntur? imo capilli & vestes? Cur gloria Dei mutatur in similitudinem hominum penicillo pingentium, aut scalptro cælantium,

Historia quæ scribitur pingi potest.

&

& non mutatur in similitudinem hominum lingua dicentium, aut calamo scribentium? si Daniel Anthropomorphita non est, cum thronum Deo, vestem capillumque tribuit, & antiquum dierum, hoc est, vtique quasi hominem describit, si verba sunt signa eius, quod vidit, quid causæ est, cur si quis id, quod vidit, expingat, quod ille narrat peius de Deo sentiat, quam Daniel, ex cuius ore pictura est?

Quod de animalium imaginibus calumniatur, detestanda est malitia. Nemo has ad cultum proponit, sed ad historiam. In historia natiuitatis ponitur asinus, hinc mox hæreticus concludit. *Igitur colitur asinus.* Asinus si loqui posset, negaret, se à pastoribus quos primos humanitatis suæ testes Christus allegit, adoratum; etsi ad præsepe, in quo Dominus vniuersorum iacuit reclinatus, ipse staret. An non potuerunt illi Christum adorare & colere, vt tamen asino etsi præsenti nullum cultum impenderent? An illi, qui Christum in cruce pendentem colebant etiam latrones adorabant? vicini enim erant. Quid? an illi, qui Salomonem recens vnctum, sedentem mula regia adorabant, simul etiam honorem mulæ exhibebant? An discipuli qui Christum triumphali asina in vrbem deducebant, eum adorare non debuerunt, ne cultores iumenti viderentur? Et hoc quidem cum frondium sparsio, & vestium per viam expansio vngulis, animalis potius, quam sessoris commodo facta videri posset? si hæc separari ita possunt, dum aguntur, etiam separata sunt, cum pinguntur. Itaque hoc argumentum de asino sumptum ab asino illo, de quo fabellæ referuntur, asino, inquam, qui ferebat mysteria Cereris. Is cum se ingenti pompa, cum luminaribus, strata floribus via, personante symphonia deduci cerneret, sibi, non Diuæ, & mysterijs honores esse habitos arbitratus insolescere cœpit, donec fustuario

Detestabilis malitia aduersariorum.

Cum principis imago honoratur, nō honorantur appicta animalia.

rio exactus asinum sese esse sentiret. Pari vecordia Pareus, cum regem suum venientem sibi mansuetum filiam Sion adorare legit, sedentem super asinam & pullum filium subiugalis, timet, ne non Domino honos ille, sed asinæ & pullo filio subiugalis habeatur, nisi enim ita deliraret, nunquam dixisset, non posse honorari imaginem Christi nascentis, Euangelistarum, aliorumque sanctorum, nisi eadem ratione colantur & animalia, quæ ob aliquam significationem visuntur. Quid de suo principe, alijsque dicturus est, quorum imaginibus ego leunculos, trabes, aquilas, aliaque animantia appicta vidi? Argumentum videamus. Qui pingit Marcum cum Leone is mutat in similitudinem leonis gloriam Dei. Qui pingit principem cum Leone, non mutat honorem principis in similitudinem Leonis. Dic obsecro, cur non mutatur honor principis in similitudinem Leonis associati, & tamen mutatur honor Dei, aut honor Marci in similitudinem Leonis appicti? Nō est quod hic respondeat, nisi de asino ferente mysteria.

Quarto excusationem illam tollere conatur, qua dicimus: Nos non animalia pro Deo, nec imagines pro Sanctis, sed Deum & sanctos in illis colere. Non tamen vllo argumēto hanc responsionē excludit, sed repetit, id quod erat κρινόμενον, nempe, Hoc non esse licitum, illum cultum Deo ingratum. At nos contra asserimus, nec ex rei natura esse malum, Deum & sanctos in imaginibus venerari, nec vlla Dei lege vetitum.

Nec lege naturæ, nec vlla alia vetitæ sunt imagines.

Si naturam spectes, Deus, sancti, reges, principes in statuis, imaginibus non minus, quam literis siue Hieroglyphicis, siue vocum signis honorari, & contumelia affici possunt. Cultus vero Deo defertur, cum lex illius digito scripta arcæ infertur, tabernaculo, temploque reponitur, cum oculis plebis subducitur, cum semel tantum in anno aditur; & nunc quoq; cum libri diuini hono-

honorificè ſcribuntur, aſſeruantur, cum quiſpiam amore veritatis æternæ codicem diuinæ legis exoſculatur, cum reuerenter, aperto capite, flexo genu ſacros & canonicos libros legit, vel audit, non transfertur honor legiſlatoris in chartas, & atramentum, in ligna & pelles, ſed in his, & per hæc ipſe Dominus legifer noſter honoratur, & ſi hæc contumelia afficiantur, redundat illa in conditorem legis. Natura hæc docet, nec impune fuit vnquam regum diplomata concerpſiſſe, abieciſſe. Si horum ſignorum honor, & contumelia non in membranis & atramento, reſidet, ſed in legiſlatorem vniuerſa redundat, manifeſte igitur docemur, rerum inanimarum quendam eſſe honorem, non qua res ſunt & natura ſua conſtant, ſed qua alterius ſunt, quaq; alterius in illis vel honor vel contemptus ſpectatur. Hæc ad imagines eadem penitus ratione poſſunt referri, imo & debent: Honor enim & contumelia imaginis, omnium ſane iudicantium ſenſu, non niſi analogicè & impropriè honor eſt & contumelia imaginis, ſed prototypi: quemadmodum de lege ſcripta & codicibus demonſtraui. Suorum principum literas honorificè, nudatoque vertice excipiunt etiam Caluiniani, eas etiam interdum exoſculantur, & cum munus à regia manu excipiunt, dici vix poteſt, quo cerimoniarum faſtidio illud diſſuauient, nec honorem tamen regis in donatiuum cõferunt. Itaque qui ſic argumentantur: Imago res bruta eſt, & ſenſus expers, non igitur capax honoris, aut contumeliæ, ignari ſunt rerum & humanarum, & diuinarum. Nam etiam per res inanimas honore vel contumelia afficiuntur res animatæ. Inſignia principis tui deiice, & ſenties ad imperantem hoc pertinere.


Deinde nulla eſt lex Dei, quæ imagines, in quibus Deus colatur, prohibeat, aut ſanè ſi qua fuiſſet, quia ad legem naturæ non pertinebat, ſed ad cerimonias, iam ſub-

lata esset. Legem itaque citare nullam possunt, sed quædam contra gentium idola, & anthropomorphitas adferunt, quæ huius loci non sunt. Nos Deo non displicere imagines facile docemus. Nam & in arca erant Cherubim, sine dubio imagines. Deinde templum Salomonis quot habuit imagines, 2. Par. cap. 3. Palmas in domo sculpsit v. 5. Et in sanctis sanctorum Cherubim opere statuario v. 10. Et v. 14. Cherubim velo intexuit. Lilia, malegranata, cœteraque ornatus gratia in tanta æde lucentia lubens prætereo. Eandem fuisse Ecclesiæ perpetuam consuetudinem, docet historia, & Iconoclastarum damnatio.

Ad Lutheranos quod attinet, mirum est, hoc eos loco pro idololatris haberi ab Caluinianis, qui alioqui eorum eblandri solent fraternitatem. Tuentur illi se nostris argumentis, & Ecclesias suas imaginibus exornant.

CAPVT XLVII.

An de purgatorio nos vere accusent Iubilantes?



NVENTVM esse nouitium, nouatores clamant, Monachorum commentum, & ad eliciendas pecunias, saginamq; ociosorum ventrium institutum: sed calumniarum atrocitatem res ipsa monstrabit.

Purgatoriũ semper in Ecclesiæ creditum.

Hoc in primis luculentissimum esse mendacium docet 2. Macc. 12. 43. &c. *Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccato sacrificium, bene & religiose de resurrectione cogitans. (nisi enim eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis) & quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.*

Hoc

Hoc factum nemo Iudæorum, nemo Christianorum damnauit. Nam Armeni veteres, Pseudo-Apostoli, Waldenses, Albigenses, Rutheni, nostris nouatoribus Christiani non sunt, nec esse possunt.

Veteres fudisse orationes pro defunctis Cal. lib. 3. inst. fatetur, sed in eo humanitus aliquid passos, & l. 1. c. 11. §. 13. ante mille trecentos annos eam consuetudinem fuisse.

Sed multo antiquor fuit. Liturgia S. Iacobi M[illegible]ioris apud Clementem lib. 8. const. cap. 13. idem asserit. ὑπὲρ τῶν ἐν πίςει ἀναπαυσομένων δεηθῶμεν. *Oremus pro ijs, qui in fide requiescunt.* Item Liturgia, Marci, Matthæi, atque aliorum.

Liturgia Iacobi orationem habet pro defunctis.

Si tamen nostros legere dedignantur, suos saltem audiant Magistros. Zanchius lib. 4 cap. 2. quæstion. 5. ait, *consuetudinem orandi pro defunctis Apostolorum temporibus non fuisse, sed post in Ecclesiam irrepsisse.* Quod falsum esse, docent citatæ Liturgiæ Apostolorum. Deinde ipse, quem citat, Dionysius: fuit enim non modo temporibus Apostolorum ille, sed non multo post initium prædicationis. Act. 17. 34 Itaque à conuersione sua, quæ fuit anno Domini 52. Claudii decimo, Christianus fuit. At vero deinde vsq; ad Traiani finem, aut Adriani initium vixit. I[illegible]anni in Patmo agenti liberationem prædixit, sui igitur temporis ille testis est, vt refert idem Zanchius *Verum enim verò, quando, vbi, & per quod primum, nondum potui aliquid certi reperire. Est tamen antiqua consuetudo, & doctrina. Nam Tertullianus de eis precibus pro defunctis mentionem fecit, in lib. de cor. mil. Christ. pag. 449. Sed aperte inter ea numerat, quæ ex sola consuetudine fluxerunt : minime autem ex scripturis desumpta sunt. De eadem re scribit lib. de Monogamia pag. 578. item oblationum pro defunctis mentionem facit, lib. de exhortatione ad castitatem, pag. 564. Nunquam verò docet, vel innuit, preces illas vel oblationes fuisse ex verbo Dei, aut etiam ex Apostolica traditione.*

Consuetudo orandi pro defunctis antiqua est.

Dionysius, qui Areopagita dicitur, in lib. de Eccl. Hierarch. c. ult. & alibi. Cyprianus Epist. lib. 13. Epist. 6. item lib. 4. Epist. 5. & alibi sæpè. Ambrosius T. 3. in orat. fun. de obitu Theodosii. item altera de obitu Valentiniani, & in orat. de obitu fratris sui Satyri. Chrysost. in Liturgia, & alibi. August. T. 1. confess. lib. 9. cap 12. 13. rogat Deum vt peccata matris defunctæ remittat. item lib. de cura pro mortuis agenda. cap. 4. ait, non esse omittendas supplicationes pro Spiritibus defunctorum. item T. 4 in 8. q. ad Dulcitium quæst. 2. & alibi.

Verum hoc diligenter notandum est: Dionysium non modo id docere, sed Ecclesiæ, sui temporis, hoc est Apostolicæ consuetudinem tradere. Verba eius sunt.

Quomodo veteres orarint pro defunctis.

„Accedens deinde diuinus antistes precem sacram super „mortuum peragit: postq; precem & ipse eum Præsul salutat, & suo deinceps ordine, qui astant, omnes. Precatur „oratio illa diuinam bonitatem, vt cuncta dimittat per „infirmitatem humanã admissa peccata defuncto: eumq; „in luce statuat, & regione viuorum, in finibus Abrahæ, & „Isaac, & Iacob, in loco, vnde aufugit dolor, & tristitia, & „gemitus. Sinus autem Beatorum Patriarcharum, reliquorumq; Sanctorum omnium sunt, vt reor, diuinissimæ, ac beatissimæ Sedes, quæ Deiformes omnes suscipiunt in senescibili, & beatissima perfectione.

„ Verum inquies fortassis, hæc quidem rectè à nobis „dicta esse: sed te dubitare, cur à diuina bonitate postulet „Antistes mortuo peccatorum remissionem, & parem „Sanctis ac lucidissimam hæreditatem. Si enim vnusquisque præmia consequetur, à diuina iustitia eorum bonorum aut malorum, quæ in hac vita gessit: perfecit autem „is, qui defunctus est, huic vitæ consentaneas actiones; „quanam Antistitis oratione in aliam quiëtis sedem migrabit, præter eam, quæ ipso digna est, & quæ vitæ hic „actæ respondet? Equidem probè scito, scriptis diuinis insistens,

insistens vnumquemque remuneratitiam sortem ade-"
pturum, Conclusit enim, inquit, Dominus apud se: &"
referet vnusquisque ea, quæ per corpus gessit, siue bo-"
num, siue malum. Quod autem & iustorum preces etiam" *Preces iuuant eos defunctos, qui digni sunt.*
in hac vita, nedum post mortem, iis solum prosint, qui"
digni sunt sacris precibus, Scripturarum nos edocent"
veræ traditiones. De prædicta autem precatione, qua"
Antistes super defuncto precatur, quænam ad nos per-"
uenerit à diuinis ducibus nostris Traditio, dicere ne-" *Oratio pro defunctis est à diuinis ducibus, Apostolis.*
cesse est, &c. Quocirca profanis vita functis hæc non"
precatur: non modo quia in hoc diuinitus acceptum"
desereret ordinem, & aliquid hierarchicum contumaci-"
ter præsumeret non motus à ceremoniarum conditore:"
sed quia in execrabili oratione non exaudiretur, atque"
non immerito ipse audiret oraculum illud iustitiæ ple-"
num: Petitis, & non accipitis: quia malè petitis. "

His adde quæ S. Augustinus libro de cura pro mortuis habenda toto tradit, vt mireris hominum imperitorum impudentiam, qui nouum illud aiunt, quod Ecclesiæ Apostolicæ fuit vsitatum. Quod igitur Pareus in 1. cor. 3. comminiscitur, falsum est. *Manet ergo, purgatorium ignem esse monasticum figmentum, Patribus incognitum, quod etiam Græcæ Ecclesiæ in concilio Florentino improbarunt, & in hodiernum diem non recipiunt.* Et, *Opinio verò de pœnis purgatorij recens est, à Monachis excogitata, vel certe ex Æneide Virgilij, & Platonis Gorgia extructa, stipula est igitur.*

Quid igitur Ecclesia Apostolorum tibi visa est Ecclesia Monachorum? Aut quæ est illa mens, quod os adeo ferreum, vt dicas patribus incognitum quod tam nouerunt? Cum igitur doctrina de purgatorio sit antiquissima, non est cur in eius assertores tot scommata iaciantur, nam ad vetustissimos, sanctissimosq; patrum eadem pertinent.

Iubilantiū ſunt en a- [illegible] d.u.i.s.

Nec tamen impudentiæ finis aut modus. Scharpius omnes ſupergreſſus eſt, qui originem eius ad Poëtas, & Philoſophos refert.

Hactenus ſententia Papiſtarum de Purgatorio, iam de eius origine, quæ à Poetis & Philoſophis primum fuit, nam Homer. Odyſſ.lib.11. Multa de deſcenſu Vlyſſis ad inferos, deq; animarū ſermone ſacrificiorum pro mortuis oblatione & animarum ſupplicÿs fabulatur. Ita Virgil. Æneid. 6. Anchiſen de pœnis, poſt hanc vitā loquentem introducit, vide etiam Pindarum Olymp. 2. Claudianum & alios. Philoſophi etiam idem ſomniarunt, vt Plato lib. de anima, vide de eius ſententia Euſebium lib. 11. de præparat. Euangel. & Auguſtinum lib 21. de ciuitate Dei capit. 13. Ita Cicero in ſomnio Scipionis: hanc Platonicam Ideam ſecuti ſunt Chriſtiani nonnulli, quorum primus fuit Clemens Alexandrinus lib. 6. ſtromatum, qui tandem aſſerit ſupplicia poſt hanc vitam forſan ceſſatura, poſt illum Origenes, qui Diabolos purgandos eſſe voluit teſte Auguſtino lib. de ciuitate Dei c.17.

Hoc fundamento poſito idem ille Scharpius argumenta 26. aduerſum purgatorium congerit, quæ ideo proponam, vt appareat, quam infirmis ratiunculis, impiiſque cauillis toti antiquitati ſe profana nouitas opponat.

Argumentum 1. *Si omne peccatum natura ſua eſt mortale, nullum vero veniale, tum Purgatorium falſo fundamento nititur at prius Roman.6.verſ.21. 1. Corinth.5.56. Fidelium vero omnia peccata in Chriſto ſunt venialia, præter illud in Spiritum Sanctum. Argumenta contra veniale peccatum, vide in loco de peccato.*

Falſa eſt maior propoſitio. Etiam mortalium peccatorum pœnæ temporariæ ſuperſunt, remiſſa æterna pœna damnationis. Non igitur fundamentum purgatorii eſt peccatum veniale.

Nondum obtentum eſt., ne à Lutheranis quidem, & Caluinianis, non eſſe peccatum veniale. Petrus martyr in

loçis

locis f. 334. *Si remitti peccatum potest, id bifariam accidit. Nā aut sic remittitur, vt necesse sit ab eo omnino discedere; quod videmus vsuuenire in grauioribus peccatis, quæ Paulus ait separare nos à regno Dei, & vulgò appellātur mortalia: aut ita remittuntur, vt ab illis non discedamus. partim propter innatam ignorantiam, partim propter infirmitatem, qua laboramus. Atq; hæc dicuntur* VENIALIA, *sine quibus vita humana degi nequit.*

Eodem modo Echardus c. 10. de peccato. Deniq; libro de crudelitate Caluinistica ostendi, hac in re horrendam doctrinam contineri. Eam nempe, vt natura mereatur æterna supplicia, si quis de peccato doleat, si eleemosynam det, si qualecunq; opus efficiat: omne enim opus natura sua Dei inimicum efficit, & cum est opus inimici, magis iram diuinam exasperat. *Horrenda doctrina est, quæ dicit, omne opus esse peccatū mortale.*

Argumentum secundum. *Si Christus perfecte satisfecit pro omnibus peccatis, & nos perfectè purgauit, tum nullum est Purgatorium post hanc vitam: at prius 1. Timoth. 2. v. 5. Matth. 20. v. 28. 1. Iohan. 4. vers. 10. 2. Corinth. 5. vers. 21. Hebr. 10. vers. 14. Iohan. 19. vers. 30 1. Petr. 2. vers. 23. Isa. 53. vers. 5. 1. Iohan. 1. vers. 7. 9. & cap 2, 1. Hebr. 1, vers. 3. & 1. 9. 34. Rom. 5. 10. & c. 8. 1. 33. Apoc 7. 14.*

Responsio facilis est, quia argumentum nullius roboris est. Perfecte Christus satisfecit pro omnibus, & tamen illi, qui se pios & fideles Caluinistas arbitrantur, multis calamitatibus se conflictari sentiunt, idque propter peccata: mala enim fructus sunt peccatorum. Satisfecit Christus, sed ita, vt remissa pœna æterna, temporaria nos erudiat. Purgauit Dauidem Deus, & transtulit peccatum eius: & tamen ei dicitur: 2. Reg. cap. 12. *Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen domini propter verbum hoc: filius, qui natus est tibi, morte morietur. Et non recedet gladius de domo tua in æternum.* *Remissa culpa manet pœna temporaria.*

Iesu igitur satisfactio omnibus hominibus impenditur

sed

ſed omnes tamen patimur, quia illius precii applicatio non fit, niſi per noſtros actus, culpa remittitur, in amicitiam reſtituitur peccator, ſed tamen pœnam Deus exigit temporariam, quæ ſi hac in vita non luatur, in altero ſæculo pendenda eſt.

Argumentum tertium. *Si homines ex parte Deo ſatisfacere poſſent, tum Chriſtus non perfectè ſatisfecit, nec remiſſio eſt gratuita, nec ſolus Chriſtus eſt redemptor, nec Deus erit ſummè miſericors, quæ ſunt abſurda. Script. contradicentia. Hebr. 10. 14. Iſa. 53. 5. 10. Rom. 4. 4. & cap. 11. 6. Epheſ. 2. 8.* Tit. 3. 5. Col. 1. 14. perfectum enim eſt id, cui nihil addi poteſt.

Si nos ob purgatoriū hæretici ſumus, tota antiquitas damnanda fuerit.

Reſponſio. Chriſtus ſatisfecit pro reatu & pœnâ æternâ. Chriſtus etiam liberat à temporali, quia omnis noſtra ſatisfactio illâ ſatisfactione nititur, nec vim niſi ex illâ habet. Productior eſt tamen pœna, quam culpa, ne parua videretur culpa, ſi cum illa finiretur, & pœna. Nihilominus tamen eſt Deus ſumme miſericors, quia expedit pœna deterreri à culpâ eos, qui alioqui ſummâ miſericordia ad ſummam licentiam abuterentur.

Argumentum 4. Peccata teguntur, non veniunt in memoriam, non ergo illis remiſſis pœna remanet. Deus non imputat, ſi maiora remittit, igitur & minora.

Reſponſio. Teguntur, nec veniunt in memoriam, vt æternum puniantur. Abſoloni Dauid culpam remiſit, iuſſitque redire in Ieruſalem, vt tamen faciem regis non videret. Exilii & exhæredationis pœnam remiſit, temporariam exegit.

Argumentum. 5. *Pœnæ temporales ſe non extendunt vltra hanc vitam. 2. Cor. cap. 4. 1. Petr. 5. 10. & alibi: ergo nullæ reſtant perferendæ in Purgatorio.*

Reſponſio. Nihil illa loca de pœnis in hoc mundo finiendis. Nam locus corinthiorum nihil habet. Petrus ait. *Modicum paſſos ipſe* (Deus) *perficiet, confirmabit, ſolidabitque,*

bitque. Ipse sane in hac vita multos perficit, nonnullos in alia. Quanquam hic non de passione, sed perfectione iustitiæ sermo institutus est.

Argumentum 6. *Si lex Dei perfecta est, omnes purgandi peccata modos monstrauit, nihil tamen de purgatorio post hanc vitam, tum sub lege nulla talis fuit purgatio, & si non sub lege, nec sub Euangelio, quia eadem fides Ecclesiæ Vet. & Nou. Testam. quoad remissionem: ad prius Leuitic. 1. & sequentibus.*

Responsio. Vtraque lex, vetus & noua hunc purgandi modum docuit. Vetus quidem 2. Macc. 17. Iob. 4. 1. Reg. vltimo. alia loca citant ad hanc doctrinam patres, quæ breuitatis causa omitto. Noua vero Matth. 17. 1. Cor. 3. & 1. Cor. 15.

Luc. 1. Matth. 5. Tota antiquitas hæc loca de purgatorio interpretatur, & nos illius vestigiis insistimus, non ideo igitur hæretici vocandi sumus.

Argumentum 7. *Si nulla est memoria Dei post mortem apud inferos, tum non sunt fideles in Purgatorio, qui fidem, spem & charitatem habent, vt volunt Papistæ, quibus Dei memoria excidere non potest, at prius Psalm. 6. 6. in morte, glossa interpretatur post mortem.*

Responsio. Non est memoria Dei cum beneuolentia apud inferos damnatorum, de illis namque agitur. Qui vero in purgatorio mundantur, scripti sunt in fasciculo viuentium.

Argumentum 8. *Omnium fidelium Spiritus ad Deum redeunt, & à Deo suscipiuntur, Eccl. 12. 7. Act. 2. 29. ergo non transeunt in purgatorium.* Lege Act. 7.

Responsio. Redeunt plane, iamq; sunt in via, certi etiã sunt, non aberraturos à scopo.

Argumentum 9. *Fideles morientes statim habent hæreditatem & pacem. Psal. 127. 2. 3. Is. 48. ergo illorum mortem seu somnum non sequentur pœnæ, ideo recte Hieron. in hunc locum, Is. Iustus, inquit, moriens ad patrem ascendit victor.*

Refpōſio. Nihil ſcriptura agit de illis, quos detinent peccata: tantum merces promittitur. Id quod nos concedimus: *Labores manuum tuarum, qui manducabis beatus es.*

Argumentum 10. *Mors ſanctorum eſt pretioſa in oculis Domini. Pſal. 129.* 15. *quia vt ait Auguſtinus in illum locum, ciues ſunt ſupernæ Ieruſalem: at mors illorum, qui ſunt in Purgatorio, non eſt pretioſa in oculis Domini, quia maximis pœnis cruciantur, nec ſunt ciues cæleſtis Ieruſalem, ſed incolæ inferni.*

Reſponſio. Preciofa eſt mors illorum, quia quamuis per pœnas temporarias ſalutem tamen adeunt, & ipſæ illis gratæ ſunt pœnæ, per quas tendunt ad requiem.

Argumentum 11. *Cum ſcriptura loquitur de ſtatu animarum poſt hanc vitam, tantum duorum locorum mentionem facit, cœleſtis, & gehennæ Marc. 16. 16. Iohan. 13. 18. & cap. 5. 14. Luc. 16. Et Hieronym. locum Eccleſiaſt. 11. v. 3. de ſtatu animarum poſt mortem interpretatur de duobus locis, quo animæ migrant.*

Reſponſio. Duo duntaxat loca ſunt, beatorum, & damnatorum, amicorum, & inimicorum, ſed duo loca æternum manſura, duo verum diſcrimen facientia ſtatus æterni, purgatorium terminus non eſt, ſed via.

Argumentum 12. & 13. in 4. & 7. ſoluta ſunt.

Argumentum 14. *Fideles mortui ſunt Chriſto in cœlis. Phil. 1. 25. 1.* Cor. 5. 1. *verſ.* 10. *ratio tantum haberi dicitur eorum, quæ geſta ſunt in corpore, ergo non eorum, quæ patiuntur animæ in purgatorio.*

Reſponſio: Sunt vero innumeri non omnes tamen eodem momento venerunt. Nihil Philip. 1. 25. hac de re optat Paulus diſſolui, & eſſe cum Chriſto, quod omnes vnice deſideramus. Nihil 1. Cor. 5. 1. fallit aduerſarius.

Argumentum 15. *Fideles, qui moriuntur in Domino, ſunt beati & requieſcunt laboribus: Apoc. 14. 13. ergo non purgantur in purgatorio.*

Reſponſio.

Responsio. Amodo non designat tempus mortis vniuscuiusque sed tempus iudicium extremum insequens. De eo enim tempore loquitur. Versu 11. *Et fumus tormentorum eorum ascendet in sacula saculorum: nec habent requiem die ac nocte, qui adorauerunt bestiam, & imaginem eius, et si quis acceperit characterem nominis eius. Hic patientia Sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, & fidem Iesu.*

Beza ita: Beati ab hoc tempore mortui ij qui domini causa moriuntur.

Argumentum 16. *Si nulla est remissio aut expiatio peccatorum post hanc vitam, tum nō est ignis Purgatorii, quo expiantur, at prius, quia per mortem vita nostra, qua via, stadio, cursui, comparatur, est perfecta, & à labore & certamine cessare dicimur, & pramia reportare: 1. Cor. cap. 9. vers. 24. 2. Timoth. 4. 7. 8.* Responsio. *Hebr. cap. 12. v. 1. at si pœna sunt luenda in purgatorio, & certamina ibi subeunda, hac non fiunt.*

Responsio. Non culpa peccati, sed pœna in purgatorio expiatur. 1. Cor. 9. 24. Iubet omnes currere, vt comprehendant, rectè sane, vt enim comprehendant, opus est cursu, quo peracto detergendæ sunt sordes ex puluere athletico adhærentes, hoc est pœnarum reatus. 2. Tim. 4. 7. omnibus fidelibus etiam in purgatorio est reposita corona iustitiæ, queamadmodum omnibus hic certantibus, neque enim coronam illam continuo Paulus est adeptus. Gal. 6. 10. monet, vt dum tempus habemus, operemur bonum. At qui inde conficiet, non esse purgatorium?

Argumentum 17. solutum est in secundo.

Argumentum 18. *Pugnat cum articulis fidei. Credo remissionem peccatorum, & vitam aternam*: ergo.

Responsio. Iam remissum peccatum fatemur, non igitur negamus remissionem peccatorum, si remisso peccato pœnam manere statuimus.

Argumentum 19. *Si purgat purgatorium, aut culpam, aut*

pœnam purgat: non culpam, quia vt illi volunt, remittitur: nō pœnam, quia pœnam infert eamque grauissimam, tam damni, quam sensus.

Responsio. Pœnam purgat puniendo, dum enim satis pœnarum est datum, reatu pœnarum absoluitur.

Argumentum 20. solutum est in 11. in eodem etiam 21. & 22.

Argumentum 23. *Qui moriuntur vel sunt iustificati, vel non sunt: si iustificati, pacem habent. Rom. 5. 1. ideoque pœnis illis grauissimis non cruciantur, si non iustificati, damnantur: ergo.*

Responsio. Nemo nisi iustificatus purgatorium ingreditur, quique pacem habet æternæ salutis, sed temporaria pœnâ tamen delicta luit.

Argumentum 24. *Iustinus Martyr quæst. 75. ait post mortem statim fieri bonorum & impiorum distinctionem, & bonos duci in Paradisum.*

„ Gregorius Nazianzenus in Encomio Cæsaris, ait, se „credere animas bonorum vinculis corporis solutas pro- „tinus mirabilem voluptatem persentire, hilaresque ad „Dominum suum conuolare. Cyrill. lib. 12. Euangel. „Iohan. cap. 36. negat, animas fidelium ad cruciatus lo- „cum deferri, & ait, illas perpetuò cum Christo futuras. „Chrysost. Hom. 2. de Lazaro: cum (inquit) hinc disces- „serimus non est in nobis situm pœnitere, neque commis- „sa diluere. Ambrosius lib. de bono mortis cap. 2. Qui „(inquit) hic nō acceperc remissionem peccatorum, illic „non erit in patria Beatorum. Hieronym. in Epist. ad Ga- „lat. cap. 6. Hic inquit orationibus, consiliis, & conciliis „iuuari possumus, cum autem ad Christi tribunal veneri- „mus, non Iob, non Daniel rogare poterit, pro quopiam, „sed vnusquisque onus suum portabit. Bernard. in Sen- „tent. cap. 9. Tria, inquit, sunt loca Cœlū, terra & infer-

nus:.

nus: cœlum habet solos bonos, terra mixtos, infernus "
malos. "

Testes citat Iustinum, Irenæum, Cyprianum, Nazianzenū, Cyrillum, Chrysostomum, Ambrosium. Hieronymum, Bernardum. Sed nemo eorum purgatorium vel in speciem negat. Iustinus ait, post mortem statim fieri discrimen bonorum, & malorum, & bonos in Paradisum introduci, loquitur vero de tam bonis, vt nulla sit illis culpa luenda. nec aliter Cyprianus, & Nazianzenus. Cyrillus negat, animas fidelium ad perpetui cruciatus loca deferri. Chrysostomus pœnitentiæ locum esse negat. Ambrosius ait, neminem fore in pariâ beatorum, qui non acceperit hic remissionem peccatorum, quid hoc ad purgatorium, ad quod nemo venit, nisi cui remissa sunt peccata? Vnusquisque onus suum portabit, vt qui peccator est, damnetur, nulla intercessione adiuuante, vt sentit Hieronymus. Bernardus tria loca esse ait, & singulos habere habitatores suos, vbi non cogitauit ipse accurate omnia distinguere, sed tantum ordinem hominum ponere.

Testes nihil pro aduersario habent.

Exclamare hoc loco necesse est, & hominis hoc anno scribentis mirari extremam impudentiam, qui eos testes citat contra Purgatorium, qui singulariter purgatorium asseruerunt.

Nam vt ab extremo, hoc S. Bernardo incipiam, affirmo eodem loco ipsum probare purgatorium. Verba eius sunt in sermone de S. Nicolao, quorum partem citauit Caluinista, partim omisit. Agit de tertia regione, quæ est claustralis.

Tria, inquit *loca sunt, scilicet cælum & terra & infernus: & habent suos singula habitatores. Pro his, qui in cælo sunt, non est orandum: quia eos, non pro eis orare debemus. Pro his, qui in inferno sunt, suspendendæ sunt preces, quibus clausa est ianua misericordiæ, & totius spes interclusa salutis. Pro illis tantum vi-*

Bernardi testimoniũ de purgatorio.

gilandum est in orationibus, & subueniendũ sacrificio singulari, qui in locis purgatoriis emundantur: vt benignus pater pœnitentiam eorum in satisfactionem, in glorificationem cito conuertat.

Nunc frontem illam, aut potius cauteriatam cõscientiam videre vellem, quæ ex hoc loco testimonium contra purgatorium sumere ausa est.

Videat, quæ idem in obitu Humberti Monachi: *Illud enim scitote, quia post hanc vitam in purgalibus locis, centupliciter, quæ fuerint hic neglecta, redduntur vsque ad nouissimum quadrantem.*

Et de triplice bonorum genere: *Confitemur etiam non modo compassionem mortuis & orationem, sed in spe etiam congratulationem adhibendam: quia & si contristandum est, quod in locis purgatoriis patiuntur, multo amplius collatandum, quod prope est, vt abstergat Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & iam non sit neq; luctus, neq; clamor, sed nec vllus dolor, quæ prima abierunt.*

Et sermone 66. in cantica, de erroribus quorundam &c. *Non credunt autem ignem purgatorium restare post mortem, sed statim animam solutam à corpore, vel ad requiem transire, vel ad damnationem. Quærant ergo ab eo, qui dixit, quoddam peccatum esse, quod neq; in hac seculo, neq; in futuro remittetur, cur hoc dixerit, si nulla manet in futuro remissio purgatioue peccati.*

Et clarissime de tribus locis, serm. de quinq; negociationibus, *sed orare: non debemus mortuos carnaliter lugere, sed pro eis domino preces fundere: vt eos dignetur de pœnis eripere.*

Grauem esse ibi pœnam credit, serm. de Andrea Apostolo: *Nec tertia regio est regio expiationis. Tria sunt loca, quæ mortuorum animæ pro diuersis meritis sortiuntur, infernus, purgatorium, cœlum. In inferno impii, in purgatorio purgandi, in cœlo perfecti. Qui in inferno sunt, redimi non possunt: quia in in-*

Tria loca.

ferno nulla est redemptio. Qui in purgatorio sunt, expectant redemtionem, prius cruciandi aut calore ignis, aut rigore frigoris, aut alicuius grauitate doloris. Qui in cælo sunt, gaudio gaudent ad visionem Dei, Christi fratres in natura, cohæredes in gloria, similes in æternitate iucunda. Quia igitur primi redimi nō possunt, tertii redemptione nō indigent, restat, vt ad medios transeamus per cōpassionem, quibus iuncti fuimus per humanitatem.

Nec tibi blandiaris, si grauiter peccanti lenior pænitentia vel à nesciente, vel à dissimulante dictatur, cum purgatorius ignis perficere debeat quicquid hic minus feceris. quia dignos fructus pænitentiæ quærit altissimus.

Nazianzenus. *Ipsi Deo, & nostras, & eorum, qui quasi in via paratiores prius ad hospitium peruenerunt, animas commendemus.* *Nazianzenus.*

Chrysostomus hom. 41. in 1. Cor. *Ne fatigemur mortuis auxilium ferre, preces pro illis offerentes.* Imo testatur Chrysostomus hom. 69. ad populum, ab Apostolis ita sancitum. *Non temere ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio: sciunt enim, inde multum illis contingere lucrum, vtilitatem multam.* Quomodo igitur ille obtorto collo rapitur, vt dicat contra nos, & contra Apostolos testimonium? *Chrysostomus.* *Apostoli sanxerunt vt pro mortuis oretur.*

Etiamne Ambrosius huc trahitur? sed iam ille se olim, cuius esset sententiæ, declarauit, in oratione de Theodosio, Valētiniano, Satyro, orationes, & sacrificia promittit. *Ambrosius.*

Nec de Iustino & Irenæo aliter sentiendum: cum eo tempore id in Ecclesia seruaretur, vt sacrificia, & preces pro defunctis offerrentur. Non miror, Scharpium tam obtusè esse impudentem, cum alii etiam Augustinum cōtra Purgatorium testem produxerint, alii dubitare eum dixerint: cum tot tamq; clara eius sint testimonia, vt ex illis liber integer confici queat. Nec modo ille pro defunctis & orauit, & sacrificauit, sed eam

esse

esse vniuersæ Ecclesiæ consuetudinem profitetur, non est igitur causa, cur nunc in nobis omnis antiquitas damnetur.

CAPVT. XLVIII.

An de lege & Euangelio recte sentiant iubilantes Euangelici?

Dissentiē- do penitus libertatem amittunt.



DE lege & Euangelio tot recens nati, & inter ipsa iubila errores, vt legem cum Euangelio obruerint iis in locis, vbi ista iactantur. Euangelium à nobis reiici, & in legem mutari, queruntur. Sed quid illi de lege sentiant, expendamus. Sunt imprimis Antinomi, & Libertini, hi apud Caluinianos, illi apud Lutheranos, qui negant, se lege vlla obligari. Tales fuere, qui in Synodo Mansfeldensi, legem negant esse verbum Dei. Hos nemo negat improbissimos, sed in eorum tamen errorem alii quoque incidunt.

Legem quidam negant esse verbum Dei.

Nam quidam ex Lutheranis docuerunt, legem non esse docendam. Quia Christus mediator est, non legislator, ergo lex non pertinet ad Christianos. 2. quia lege non iustificamur. 3. Non sumus sub lege, 4. lex auget peccatum. 5. Mortificati sumus legi. 6. Liberati sumus à lege Rom. 7. 6. 7. lex est litera occidens. S. Iusto non est posita. 9. Non sumus sub execratione. Gal. 3. 10. 10. Nec sub pædagogo Gal. 3. 24. 11. à subiectione legis sumus redempti Gal. 4. 4. 5. 21.

Hisce alii respondent Lutherani, & Caluiniani, non esse nos sub lege, quia liberati simus à maledicto legis, & pœna, vt quamuis legem nullam obseruemus, non pœnam, non iram, non execrationem Dei vel actiuam, vel passiuam timeamus. *Ciuis* (inquit Melanchthon ad Rom. 5.) *lege tenetur, factus princeps est supra legem, & tamē sponte seruat legem.* Caluinus in eundem locum, *Nos à rigida legis obseruatione*

seruatione liberos esse Pareus quoque in idem caput, dub. 1. *Vbi peccatum est, ibi condemnatio est, in credentibus peccatum est, ergo condemnatio*, respondet ille. *Legaliter verum est, omne enim peccatum lege damnatur, & omnes peccatores legaliter sunt rei, Euangelice vero non item.* Et in c. 7. 3. *Nos legi mortui sumus: lex mortuos non vrget.*

Deinde Socino argumentanti respondet idem Pareus. Execratio *Legis significat actiuè & passiuè: Et passiuè quidem significat execrationis pœnam à lege statutam, vt vult hæreticus: sed actiuè: est vox seu sententia legis execratione damnantis, seu ipsa lex execrans peccantes. Quid autem est vox legis, nisi vox Dei? & lex execrans, nisi Deus execrans? & Deus execrans, nisi Deus iratus. & ira Dei? & ira Dei nisi iustitia? Execratio igitur Legis actiuè significat iustitiam Dei.*

Si igitur liberati sunt, si perfecte beatificati, quid opus est tenere legem? Redemptos nos ait eodem loco à lege, hoc est, à sententia damnatoria legis, & consequenter ab ira, & iustitia Dei. Summam igitur sibi impunitatem promittunt dum se ita liberos censent, vt nullam pœnam timendam arbitrentur. Quanto sanctior, moribusque conuenientior est sententia Catholicorum. A legis maledictione nos liberatos, quia gratiam, per quam legem seruamus, accipimus?

Si perfecte liberamur à lege, quid opus est tenere legem.

Ad Euangelium quod attinet, Caluiniani eius promissiones omnes aiunt esse particulares, Lutherani communes, Euangelium ostendere peccatum, alij negant, alij concedunt. Vide disceptationem apud Eckardum c. 12.

CAPVT XLIX.

Verene de Sacramentis iubilare poßint nouatores?

Caluiniani magiæ Lutheranos accusant.



Rimo quidem Caluiniani Sacramentis omnem vim detrahunt, imo nonnulli eo prolapsi sunt, vt Lutheranis imponant, eos vim magicam Sacramentis affingere. Hanc ob causam negant, vetera & noua differre. ita Beza in Colloq. Mompelgartensi in Apol. aduersus Illyricum, Musculus in locis p. 705. Martyr in locis fol. 1507. Hos non minus detestantur Lutherani, quam veteres omnes. Et sane si vetus instrumentum habet vmbram, non rem ipsam, conuenit etiam inter ipsa Sacramenta discrimen agnoscere, noua enim lex ipsum Domini corpus accipit. Nouum est testamentum in Christi sanguine, non vetus. Vera est participatio corporis, & sanguinis Christi, 1. Cor. 10. 16. Quod si tantum significandi modis distinguuntur, igitur multa in vetere lege sunt clariora, illustriores enim figuras continent, cæremoniasque operosiores. Agnus enim Paschalis, & Manna significantius Christum nobis exhibent, quam panis, & vinum.

Discrimen est nouorū & veterū Sacramentorum.

Secundo. Baptismus Ioannis & baptismus Christi inter se, quantum ad externam cærimoniam significationemque, prorsus eodem ritu constabat, at vero tanta erat virtutis distantia, vt Ioannes diceretur baptizare aqua, Christus Spiritu sancto. Matth. 3. 11. Marci 1. 8. Luc. 3. 16. Ioan. 1. 26. Nec potest vlla esse dubitatio consideranti Act. 2. 38. 8. 18. 2. Timoth. 4. 14. 1. Cor. 10. & 12. 13. Ephes. 5. 26. Tit. 3. 6. 1. Petri 3. 21. Cum igitur nos veterem Ecclesiæ sententiam sequamur, & contrariam detestentur

ſtentur etiam Lutherani, non poſſunt excuſari, qui tantum noſtra Sacramenta deprimunt, vt Iudaica illis exæquent, aut anteponant. Verum ſingula conſideremus. Baptiſma habent illi, vt ſit ſignum, aut ſigillum prædeſtinationis, aut gratiæ, nos efficax ſignum aſſerimus, Scharpius, de Sacramentis, idololatriã opinatur, Sacramentis vim mundandi tribuere. Ideo ſanctitatẽ ſibi arrogant ab ipſo ortu, eamque longiſſima ſerie deducunt. Caluinus Ep. 285. *Promiſsio autem*, inquit Caluinus (Ep. 285. ad Knoxum) *non ſobolem tantum cuiusque fidelium in primo gradu comprehendit, ſed in mille generationes extenditur, vnde etiam factum eſt, vt pietatis interruptio, quæ graſſata eſt in papatu, vigorem & efficaciam baptiſmi non abſtulerit. Denique ſicut non recipitur quisque ad baptiſmum vnius dumtaxat patris ſui reſpectu, vel fauore, ſed propter continuum Dei fœdus; ita vnius parentis odio, ab Eccleſiæ ingreſſu prohiberi nulla ratio patitur.*

Si tam efficax eſt Dei fœdus, cum nos ex Adamo fideli ſimus, cum ex Noe, omnes ea ſanctitate non interrupti fruimur; ſine cauſa igitur Chriſtus ingeminauit Amen, amen dico tibi, *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poterit intrare in regnum cælorum.* *Ex fœdere omnes ſancti.*


His affines ſunt Anabaptiſtæ, qui infantes negant baptizandos; cum tamen ſit lex illa vniuerſim dicta Matt. 28.19. cum in mari rubro, quod eſt typus noſtri baptiſmi, non minus infantes, quam omnes adulti ſint baptizati. Ipſi quoque Apoſtoli integras familias baptizarunt. Act. 16.15. & 33. 1. Cor. 1. 16. Nec minus remiſſio peccatorum infantibus, quam adultis conceditur. Olim etiam infantes circumciſionis ſignaculum receperunt, cuius in locum ſucceſſit baptiſmus, Coloſſ. 2.11. *Omnes baptizandi ſunt.*

Aliud multo abſurdius Lutherani docẽt; Infantes, dũ baptizantur, actu fidem habere. Nam ſine fide eſt impoſſibile *Lutherani fingunt infantes credere.*

possibile placere Deo, qui non crediderit, condẽnabitur, nemo iustificatur, nisi per fidem. Nos iubemur similes esse paruulis. Matth. 18.3. Luc. 18, 17. Per fidem filij Dei efficimur, Gal. 3. 26. Pusilli in Christum credunt. Mar. 9. 36. Et quidem Eckardus c. 14. in fasciculo, fidem specialem, seu fiduciam illis adscribit.

CAPVT L.

An de baptismo gloriari contra antiquitatem possint Nouatores?



Aptismus est primum regenerationis Sacramentum, ianua Christianismi, auspicium spiritalis militiæ, fundamentum victoriæ: ea causa diabolus ingenti eum furore semper conuellere conatus est. Necessitatem eius negauit Cerinthus, Archontici, Manichæi, Messaliani, Pelagiani, Theopaschitæ, Machometani, Albanenses, Petrobrussiani, Pseudoapostolici, Wicleffitæ, Caluiniani eos imitantur, erroris damnati antiquitate confisi. Tertullianistæ baptizatos ab hæreticis rebaptizabant, in quem errorem, Agrippinus, Donatus, & S. Cyprianus Carthaginienses Episcopi pertracti sunt. Montanistæ formam eius corrupere; Samosatenus non baptizabat in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti; itaque baptismus illius à Concilio Niceno reiectus est. Seleuciani seu Hermiani docebant, non esse in baptismo vtendum aqua, sed igne. Deuterius Arianus baptizabat, in nomen Patris, per Filium, in Spiritu sancto, cuius blasphemiam vnda ipsa refugiens exhorruit. Pauliciani baptismum his verbis peragebant. Ego sum aqua viua. Gilbertus Porretanus neminem dicebat rite baptizatum,

zatum, nisi qui prædestinatus esset. Aliorum graues errores, & blasphemias lubens omitto. Statum nostri temporis spectemus.

1. Catabaptistæ rebaptizant.

2. Caluiniani baptismum definiunt, signum initiationis, quo in Ecclesiæ Societatem cooptamur, vt Christo insiti inter filios Dei censeamur. Qua definitione solius signi partes tribuunt baptismo.

3. Caluiniani baptismum ab aliquo, qui minister non sit, collatum reijciunt. Caluinus l. 2. in Westph. & l. 4. inst. cap. 15. sect. 22. ait, satius esse omitti, quam à mulieribus administrari. Beza quæst. 140. vocat fabulam, & epist. 12. Pseudobaptismum. & quæst. 144. Satanæ baptismum anteponit baptismo mulieris in casu necessitatis. Bucanus ait à Marcione introductum. Hac arte multorum baptismum, & salutem Diabolus impedit: Nisi enim adsit minister, infans non baptizatur; cum tamen Exod. 4. 26. & 1. Marc. 1, & 2. Macc. 6. piæ mulieres filios circumciderint.

Insanum itaque est decretum Synodi Vapincensis anno 1603. & Pictauiensis, quo iubent, baptismum ab alio, quam ministro, collatum iterari.

4. Caluinus baptismum tamen à quocunque collatum iubet esse ratum l. 4. instit. cap. 15. §. 16. *Tales* (inquit) *hodie sunt Catabaptistæ nostri, qui rite nos baptizatos pernegant, quod ab impijs & idololatris in regno Papali baptizati sumus. Itaque Anabaptismum furiosè vrgent. Aduersus quorum ineptias satis valida ratione muniemur, si cogitemus, nos baptismo initiatos, non in nomen alicuius hominis, sed in nomen Patris, & Filij & Spiritus sancti, ideoque baptismum non esse hominis, sed Dei, à quocunque tandem administratus fuerit. Vt maxime Dei & totius pietatis ignari aut contemptores fuerint, qui nos baptizabant: non tamen in suæ ignorantiæ vel sacrilegij con-*

 sortium

ſortium nos tinxerunt , ſed in fidem Ieſu Chriſti : quia non ſuum , ſed Dei nomen inuocauerunt , nec in aliud nomen nos baptizarunt. Quod ſi baptiſma Dei erat , habuit certe incluſam promiſsionem de peccatorum remiſsione , mortificatione carnis , viuificatione ſpirituali , participatione Chriſti.

Sed parum ſibi conſtat. Epiſt. 334. Si priuatus baptizet, manifeſtam eſſe baptiſmi profanationem. Et 326. *Quoniã baptizandi licentia, quam ſibi fœminæ arrogant, nihil aliud eſt, quam craſſa ſuperſtitio, ſtulta illa & temere ſuſcepta actio pro nihilo ducenda eſt. Paſtorum ergo officium eſt, eas compeſcere: interea legitimo Baptiſmo conſecrare infantes, qui ſtulta & præpoſtera æmulatione nihil aliud, quam polluti fuerunt.*

Hæc ille ita inculcat; ne vllus tam mutabili vertumno credens ſit excuſatus.

5. Caluinus Epiſt. 87. Etiam Diabolum ad baptizandum admittit. *Cum Papiſtarum Baptiſma à luſorio diſtinguo, fingis tibi reſponſum, quod tanquam à me datum impugnes. Non reperies in meis literis , credo , pendere illius vim ab intentione conſecrantis. Tantum, niſi fallor, ideo dixi efficax , quatenus in hunc finem adminiſtratur, vt in Chriſti corpus nos inſerat , vel vt noſtræ ſit renouationis ſymbolum. Iam nihil mea refert , ſitne homo Lucianus, qui baptizat, ſitne Diabolus. Tantum enim reſpicienda eſt inſtitutio, & continuus vſus, qui à Chriſti mandato, tanquam ex fonte fluxit. Certe non heri primum cœpit baptizãdi ritus. Eum nec Papiſtæ, nec idololatræ alij excogitarunt. Perperam itaque eum exiſtimas , niſi ad originem ſuam eum reuoces. Vtcumque à multis prauis acceſsionibus vitiatus fuerit , ſemper tamen ſtetit hoc fixum , baptizari Chriſti mandato , in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti : vt ſit regenerationis teſtimonium. Hic eſt finis, quem conſiderandum doceo.*

Idem Beza docuit, & obijcit illi. Philippus Nicolai Luthe-

Lutheranus hisce verbis, in Confut. Caluinismi pag. 303. Das ist aber nicht allein biß daher in der Christenheit vnerhört/ sondern auch hinfort jederzeit schröcklich vnd abschewlich zuhören/ was Beza von dem Sacrament der heiligen Tauff (da solches von Meister Hemmerlein/ das ist/ durch den höllischen Sathan verrichtet würde) offentlich schreiben vnnd fürgeben darff: Dann er sagt/ das were die rechte Tauff: id est, *Hoc vero non modo hucvsque in Christianorum cœtu inauditum est, verum etiam in posterum omni tempore auditu horrendum & abominabile, quod Beza de Sacramento sancti Baptismi scribere publicè & profiteri ausus est: nempe illud per Magisterulum, hoc est infernalem Satanam posse administrari. Nam dicit hoc verum esse baptisma.*

6. Caluinus docet, ad Baptismum necessariam esse sponsionem, Epist. 285. *Interea fatemur, necessariam esse spõsionem; nihil enim magis præposterum, quam inseri in Christi corpus quos non speramus eius fore discipulos. Quare si nullus ex cognatis appareat, qui fidem suam obliget Ecclesiæ, & curam suscipiat docendi infantis, lusoria est actio, & baptismus polluitur.*

Quid vero absurdius, quam Diabolo baptizante non esse Lusoriam actionem, & nemine spondente Baptismum pollui? Vbi in sacris literis requiritur discipulorum Christi præsentia? Quis pro Eunucho spondebat, cùm de curru descenderet? Cur igitur non omnes, qui à nobis baptizati sunt, rebaptizant.

7. Beza etiam aliam præter aquam admittit materiam lib. 1. Epist. 2. Si desit aqua, ego certe quouis alio liquore, non minus rite baptizarim, quam aqua. ita & Ant. Sadeel. 7.3. pag. 94. Quid ni igitur oleo, vino, lixiuio, lotio baptizari poterunt? Neque enim vllus humor tam obscenus videri debet, vt non possit esse materia

baptis-

baptiſmi, ſi diabolus poteſt eſſe miniſter; quid enim rerum nominari poteſt tam abominabile, quam manus Diaboli baptizatrix? Cur hic locum non habet mandatum Chriſti? cur pro diuina auctoritate, auditur humana temeritas, & pro aqua vinum ſubſtituitur? Inſtitutio Sacramenti in eius materia teneatur; Apoſtoli aliud elementum non adhibuerunt, nulla Eccleſia vetus, niſi hęreticorum cœtus alio liquore ſuos perfuderunt, merito; Dominus Sacramenti inſtitutor dixit; Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cœlorum. Eſt enim lauacrum aquæ in verbo vitæ. Quam denique abſurdè illi ſentiunt, qui in neceſſitate nullum ad baptizandum, niſi prædicantem, aut Dæmonem admittunt, omnes laicos, etiam reges principeſque excludunt, ſed omnem tamen liquorem admittunt.

8. Partes baptiſmi eſſentiales aiunt eſſe ſanguinem Chriſti. Bucanus p. 667. inſtit. materia baptiſmi interna eſt ſanguis, & Spiritus Ieſu Chriſti.

Quin & Beza in act. Coll. Momp. p. 46. *Recte partes eſſentiales Baptiſmi, & ipſius materiam eſſe dixit aquam vt rem terrenam, & Chriſti ſanguinem, vt rem cœleſtem.* Quomodo poteſt eſſe materia, cum tam ſit remotus, eſt enim ſanguis Chriſti in cœlis. Deinde plerique eorum, qui baptizantur, non regenerantur, vt docet Beza in eodem colloquio. Illi igitur ſanguine Chriſti non aſperguntur, itaque ibi abeſt interna materia, pars eſſentialis baptiſmi, ſed vbi illa deeſt, baptiſmus eſſe non poteſt.

9. Sanguinem Chriſti non abluere ſordes animæ docent. Ita Echard. c. 19. *Si ſanguis Chriſti non eſt diuinarum proprietatum & operationum capax, non poterit illi tribui emundatio à peccatis, quippe quæ vna eſt ex diuinis proprietatibus & operationibus.*

At San-

At Sanguis Christi non est capax proprietatum diuinarum proprie & realiter, vt docent Vbiquistæ; nam reuera non est æternus, non igitur secundum vbiquistas mundare potest.

10. Deum esse partem Sacramenti baptismi, docet Iacobus Andreæ in colloq. Momp. & Eckard. in fasciculo. cap. 19.

11. Baptismum putant nos securos reddere de æterna prædestinatione, Caluinus in Antid. Concil. Trid. Sess. 7.

Chirographum est mutuæ inter nos & Deum obligationis, hoc tamen præcipuum, vt de gratuita peccatorum remissione, perpetuaque adoptionis gratia nos certiores reddat. Et lib. 4. Inst. cap. 15. §. 3. Neque vero existimandum, Baptisma in præteritum duntaxat tempus conferri, vt nouis lapsibus, in quos à Baptismate recidimus, quærenda sint alia noua expiationis remedia, in alijs nescio quibus Sacramentis, perinde ac si illius vis obsoleta esset.

Magnum est hoc & firmum impietatis præsidium, horrenda Sacramenti profanatio, vt eius memoria omnium scelerum, etiam futurorum, impunitas nitatur, & ad audenda omnia impellat. Non absimili contumacia Iouinianistæ, & Pelagiani sibi remissionem, & impeccabilitatem arrogarunt. Aliter omnino docet experientia; multos baptizatorum male viuere, peius mori, fidem, baptismumque abiurare. Credidit & baptizatus est Simon Magus, nec tamen perstitit. Act. 8. 13. Baptizatis dictum est, si secundum carnem vixeritis, moriemini. Rom. 8. 13.

12. Docent, Christum, cum diceret; Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, non tradidisse formulam baptizandi, ita Zvvinglius de baptismo fol. 66. *Christus Iesus baptismi formulam, qua vteremur,*

remur, his verbis non instituit, quemadmodum Theologi hactenus falso tradiderunt. Quod ipsum Apostolorum exemplo facile demonstrari potest. Hi enim horum verborum formula inter baptizandum vsi non sunt, sed in nomen IESV illos baptizasse, Acta cap. 10. & 19. testantur. Torsit autem cares adeo Theologastros illos, vt plane ignorarint, quo se verterent.

Quod si illa forma non est, cum alia nulla tradita sit, libera vnicuique relinquetur: atque ita nihil in baptismo certi tenebimus.

13. Baptismo denique nihil tribuunt. Zvvinglius T. 2. f. 64. Baptismum dicit esse tale signum cærimoniale atque initiale, quale est cucullus monasteria primo ingredientium. Caluinus ne instrumẽtalem quidem causam agnoscit. l. 4. c. 15. Inst. Et Beza in Act. p. 112. & pag. 113. Errorem esse palpabilem ex fœtidis Scholasticorum lacunis haustum, si vis conferendæ gratiæ, principalis quidem Deo, instrumentalis autem instrumentis tribuatur.

14. Si remissio datur per externa signa, putant Christi meritum postponi, Zvvinglius ad Vrb. Rhegium fol. 121. Sed non distinguit inter causam meritoriam, & causam instrumentalem. & fol. 122. Sola fide beamur, non igitur Baptismo. Sed non aduertit homo sui erroris auctor: Eodem modo fide excludi sanguinem Christi, sicut excluditur Baptismo. Si enim sanguis fidẽ requirit, vt instrumentum apprehendens, cur non & Sacramentum, vt instrumentum ex parte Dei conferens.

15. Hæc verba: (*Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cælorum*) omnino peruertunt. Zvvinglius, aquam non aquam, sed Christum, aut cognitionem Christi, & Euangelicam doctrinam significare. T. 2. fol. 71. Caluinus lib. 4. Institut. cap. 16. aquam

quam designare Spiritum sanctum. & nomen Spiritus ἐξηγητικῶς poni. Gualterus quidam Hom.18. in Ioan. Per aquam significari verbum.

Quod ita absurdum est, vt non modo veteres interpretes, sed etiam Beza alijque damnent.

16. Exorcismos etiam Caluiniani condemnant, cæterasque cærimonias. Ita olim Nouatianus, Donatistæ, Waldenses, Wicleffitæ, cum tamen Dionysius Areopagita, Hieronymus, Cyprianus, Ambrosius, alijque eas agnoscant. Imo Lutherani ipsi, Henricus Eckardus in fasciculo cap. 21. *Quod verbo Dei neque mandatum, neque prohibitum est: & neque impietatis neque superstitionis quicquam habet, sed multas continet pias commonefactiones, illud non est simpliciter damnabile, sed in classe rerum mediarum tolerabile.*

Exorcismi ritus est verbo Dei neque mandatus neque prohibitus: & nec impietatis nec superstitionis quicquam habet, sed multas continet pias commonefactiones. I. de atrocitate mali hæreditarij, peccati originis in omnibus. II. de corruptione & immunditie eorum etiam, qui è sanctis & fidelibus parentibus sunt oriundi. III. de tyrannide & dominio Satanæ in non regeneratis. IV. eorundemque in regno Satanæ miserrima captiuitate. V. beatissima ex illo per Christum liberatione. VI. Baptismi denique, totiusq. ministerij hominibus à Deo concrediti efficacitate.

Ergo ritus exorcismi non est simpliciter damnabilis, sed in classe rerum mediarum tolerabile. II. Argum.

Quod est ab Ecclesia longo iam tempore obseruatum, & antiquitatis testimonio, approbatione atque vsu roboratum, illud quamdiu nihil impietatis subesse apparet, recte adhuc retinetur & toleratur. Ritus Exorcismi ab Ecclesia longo iam tempore est obseruatus &c. Ergo.

Assumptionem comprobat. Cypriauus li. ... l.1. de Sacerd. c.5. August. l.1. de peccat. merit. ... Nupt. & Concup. c.18. & Optatus Milev. ... 4. *Quorum testimonia extāt in disp. Dn. D. ... Vnde seqq. etiam Crypto-Caluinianorum argume... nere visum est.*

Cur nos igitur damnamur ob eas cærimonias ... nis olim Ecclesia à tempore Apostolorum vsurp... Lutherani nobiscum vna defendunt?

Hæc omnia si quis contempletur in vna de ... controuersia, inueniet quamplurima, in quibus ... quitate atque inter se differunt, adeo vt ne minimis ... dem causa fingi possit, cur eo in statu perseuere... sed neque vlla arte pacem inire, aut concordiam possunt.

CAPVT LI.

Quis status sit religionis in doctrina de Eucharistia?

Vnica controuersia sat est ad bellum.



INFELICISSIMVM hoc esse dissidium, quodque maxime populos in mutuos irrisus & odia concitat, nemo non fatetur, anno 1603. hac de re libros quinque Pareus conscripsit, quo ostendit miserrimum Europæ statum, si vel sola illa controuersia spectetur. Quin ipse monitionem ad omnes in præfatione adscribit, quæ quia statum, ingeniaque Sectariorum nobis graphice ab experientia depingit, magna vtilitate legetur. Ita vero habet. *Quo vsque tandem, O fratres, vos humanus vexabit liuor & contentio? Quam diu pergetis contempta Christi pace bellum religionis gerere minimè religiosum? Quem ad finem stentorū aliquorū sese iactabit audacia? qui sine conscientia & numinis metu, Ecclesias vestras*

Ingenia sectariorū inquieta.

vestras perturbant? Inter vos auditur: Ego sum Lutheri: Tu es Caluini: & dicere: Ego sum Christi: nihil apud vos est. O tempora, ô mores! An Lutherus pro vobis mortuus est? An quis vestrum in Caluini nomen baptizatus est? An Christus pro omnibus vobis crucifixus nihil est? Et quis fuit Lutherus? quis Caluinus? nempe ministri per quos credidistis: idq; vt cuiq; Dominus dedit. Nonne igitur carnales estis, & secundum hominem inceditis? Quid Deo pacis respondebitis, qui Ecclesiam eius contentionibus vastatis? Quid Christo Domino, cuius præceptũ de caritate contemnitis? Cuius ergo filij eritis, si Dei non estis? At quomodo Dei filij estis, si pacifici non estis? Quomodo Christum magistrum profitemini, si nemo discipulos eius vos recognoscit? Quis vero vos discipulos Christi recognoscet, si alij alios non diligitis? Nonne tandem vos miseret tot fratrum, pro quibus Christus mortuus est, quos vos altercationibus vestris, quantum in vobis est, perditis? Quin vestri tandem vos misereat, quorum in pace salus, in contentione pernicies certa parata est. Si enim vno corde & ore inuocabitis Deum Patrem in terris, vtique filiorum hæreditas vna vobis proposita erit in cœlis. Sin alij alios mordere pergetis & deuorare: quid restat, nisi vt alij ab alijs consumamini? Nonne videtis, quid Satan iampridem contra Christum machinetur? quid Antichristus Romanus moliatur? vt cum Tyrannis conspiret? vt per Sinones suos conscientias hominum captiuas abducat? vt vobis simul insidietur, & exitum paret? An vnis putatis clementiorem fore quàm alteris, si machinationes aliquando successerint? Quidni autem successerint tandem, numine vobis irato, & singulis non ad ea quæ Dei, & quæ pacis sunt, sed tantum ad ea, quæ sua sunt, quæq; dictat splendida bilis, attendentibus, & in studia contraria hostiliter ruentibus? Quid perdidit orientem? nonne dissensiones intestinæ? nonne dissidium Occidentis? Quin ergo his omissis & procul valere iussis ad vosmet tandem reditis? & per charitatem alij alios tolerantes, si pacem perfecto consensu per omnia firmare nondum potestis (quod Ecclesiæ in hac infirmitate

Amor hæresiarcharũ abducit à Christo.

Caluiniani consumunt Lutheranos.

Caluinistæ insidiãtur Lutheranis, & nos interim accusant.

mitate raro fuit concessum) tamen in quibus verè idem tenetis, tenetis autem per gratiam Dei in plerisque, exemplo fratrũ Polonorum, pacem & fraternitatem sancitis, vt contra tot hostiũ cõmunium cuneos coniunctis viribus & armis pugnetis? In primariis doctrinæ capitibus secundũ scripturas sacras tres fidei cõfessiones Augustana, Bohemica & Heluetica, quæ et Palatina est, cõueniunt: De S. scriptura, de Deo vero, de Persona filij Dei θεανθρώπου, de prouidentia Dei, de Peccato, de Libero arbitrio, de Lege, de Euangelio, de Iustificatione per CHRISTVM, de Fide, de Regeneratione & bonis operibus, de Ecclesia CATHOLICA, eiusq; unico & supremo capite CHRISTO, de Sacramentis eorumq; numero, fine & vsu, de statu animarum post mortẽ, de resurrectione & vita æterna. In solo articulo de S. Cœna vnũ sentire vobis nondum est datum: nec in toto tamen. Nam vnum sentitis de præsentia & manducatione spirituali corporis Christi, quæ est res signata & nucleus Sacramenti, quæq; vt sola ad salutẽ est necessaria, sic sola sufficit. De corporali & orali manducatione pijs & impijs communi, dissensio est: quam tamen ad salutem non necessariam, sine spirituali nihil prodesse, sed multis perniciosam esse consentitis. Quin ergo in formula Sandomiriensi vel aliqua simili tandem et conuenitis, & missis impijs aut infidelibus, tantũ quid fideles percipiãt in Eucharistia cõmuniter amplectimini?

Indignatur Pareus, quod Lutherani nõ libenter moriũtur.

Antiquus Parei fucus.

Non possumus, inquis: quia quid luci cũ tenebris? Nihil sane. Nos vero tenebræ non sumus. Et vos vtinam omnes lux sitis. Quæ vero pars fideli cum infideli? Nulla. At nos infideles qui sumus, qui Christum Dominum diligimus, & fide syncera inuocamus? Pro gloria, inquis, & maiestate Christi pugnamus: vtinam non pro vestra. Conscientia nostra vobiscum pacem nõ fert. Imò affectus vestri non ferunt. Ipsis Pontificiis horribilius erratis: Næ vos, qui hæc vulgo inculcatis, quid Pontificij errent vel potius blasphement, parum scitis vel expenditis. Errantes vero cur cũ omni mansuetudine & doctrina in viam non reducitis? Hæreticum hominẽ post vnã & alterã admonitionẽ Apostolus deuitandum monet. Cedò vero admonitiones vestras: Quid nisi anathe-

Contentio Luthero-Caluiniana.

mata fulminatis! Cedò et hæreses nostras! Errores, inquis, graues tuemini de vniuersali gratia & redemtione, de prædestinatione, de promißionibus Euangelij, de Baptismo. Nos verò quos de his errores nobis obijcitis, non agnoscimus: imo totidem calumnias quorundam Stentorum esse aicimus Exstant Apologiæ & declarationes nostræ, Cur has non accipitis? imò cur nec legi nec vendi permittitis? Et de redemptione quomodo quæso inter vestros conuenit? de prædestinationis causa quomodo? Nos vero omnes illas controuersias nuper motas, fidei conditione definiendas esse ex Euangelio docemus. Nam omnes & soli credentes redemptionis Christi participes sunt: Reliqui eius inanes sunt, qui vitā sine fide transigunt. Omnes & solos credentes ad vitam prædestinatos agnoscimus, neq. id propter præuisam fidē aut opera, vel quia præsciti sunt, quod essent credituri & bene operaturi (hæc n. Pelagianorum fuit hæresis) sed mera εὐδοκίᾳ Dei volentis eorum potius, quàm aliorum misereri, & gratia eos donare, vt crederent & salui fierent. Ad omnes & solos credentes Euangelij promissiones & salutem propriè pertinere: ad infideles, quoad tales manent, nullo pacto pertinere didicimus ex illo Christi: Qui credit in filium Dei habet vitam æternam: qui non credit, super eo manet ira Dei. *Solos & omnes credentes in Baptismo Christum induere, & Spiritu sancto regenerari: incredulos & hypocritas non habere partem in verbo hoc, si vel millies foris tingantur, Apostolica voce edocti firmiter statuimus. En igitur nostras hæreses.*

Pigmenta errorum Caluinisticorum.

Ecce dissensum, ecce odia, ecce inter illos mendacia de concordia. Non potest perseuerare in his digladiationibus, & anathematismis vnitas, ideo nec Ecclesia, nec respublica. Pacem igitur spectemus.

Primo. Expositionem literalem nos tenemus, τὸ ῥητὸν: quod Dominus Iesus dixit, esse suum corpus, & sanguinē hoc eius corpus & sanguinem esse dicimus. Hac in re cum Lutheranis nobis conuenit, & fatetur l. 2. c. 1. contr. Euch.

Verba Christi tenemus.

Secun-

Secundo. Si Lutherum & Lutheranos spectes, eorum doctrina plurimum distat. Imo audacter asserit lib. 2. cap. 1. & vere Pareus. *Lutherum & Lutheranos tantum distare, vt apud Lutherianos præter nomen & communem illam assertionem vix aliquid Lutherianum inuenias.* Errores vero Lutheranorum & aliorum sunt. 1. *Hoc est corpus meum: hic panis est corpus meum.* De capt. bab. anno 20.

Luthero & Lutheranis vix quicquam conuenit.

Variæ hæreses.

Hoc alio modo intelligi non potest, quam vt transubstantiatio admittatur; nam, *Est*, apud Lutherum accipitur substantiue, non pro significat, corpus meum pro naturali corpore Christi; Hic autem panis non potest vere dici corpus Christi, nisi transubstantiatio fiat, quanquam ne sic quidem recte dicatur. Non igitur culpari prisca Ecclesia, neque Catholici debent, quod transubstantiationem credant, quam negare Lutherus non potuit, quam primo approbauit, deinde adiaphoram sensit, & demum summa improbitate reiecit. 2. *Panis est corpus meum, In pane est corpus meum.* 3. *Christi corpus concedit dentibus atteri, & comminui*, in conf. maiore. p. 530. 4. *Hoc* significare panem & corpus Christi simul. 5. alij: *Hoc est corpus meum*, esse intelligendum adiectiue; Hun. pag. 393.

Lutherus transubstantiationem concessit.

6. *Hoc est corpus meum*, i. *Ecce corpus meum*. Flacius in glossa.

Materiam Eucharistiæ tollũt.

7. Licere vti alijs signis præter panem, & vinum, ita post alios hoc anno Scharpius colum. 1293. Et quidem addit: quibus pro cibo, & potu communiter vtimur: olera igitur, fructus arboreos, radices, caseos, lac, carnes vsurpabimus. Dicemusque conuenire cum mente instituentis, id enim ipse profitetur.

8. Quidam fractionem panis ad essentiam pertinere aiunt, qui alios omnes negant veram cœnam habere:

alij

alij mandatam volunt, non tamen essentialem Sacramento, alij omnino adiaphoram.

9. Damnant hostias nostras, & Lutheranorum Caluiniani. & Beza quidem vol. 3. f. 220. *Panem cibarium* præcipit. Naum p. 18. vocat *non panem, sed spumam panis.* Verum id est omnino falsum, est enim panis ille noster è purissimo polline, & massa subacta, nec quicquam ad panis naturam illi deest. Porro Christus nec magnos, nec paruos panes, nedum formam certam præscripsit. At Christus, inquiunt maiore pane vsus est, quem fregit. Ita sane etiam vsus est pane azymo, nec tamen id faciunt Caluiniani. Non quicquid ille fecit, necessario imitandum est, nam vesperi, & post cœnam corpus suum dedit, nunc pleriq; matutinum tempus præferunt. *Panes magnos requirunt Caluiniani.*

Bucanus pag. 710. Ineptius etiam argutatur, Omnes de vno pane participare oportet, magno igitur pane op⁹ est. Nam si id necessarium est, coquendus erit panis instar montis, vt omnibus sufficiat, aut vni numerosissimæ Ecclesiæ. Porro de hostijs illis nostris videri potest Epiphanius in Ancorato.

10. *Manducationem fieri tantum à dignis*; cum multi ad iudicium sibi & manducent, & bibant, non dijudicantes corpus Domini, vt veritas docet.

11. *Comedite*, interpretatur Zwinglius ad Matth. Albertum, *Credite.* Quod si verum est, cū diceret Dominus: *accipite, & comedite, & bibite*: non debebant admouere ori, sed credere duntaxat, quod facere poterant, quamuis in sudario reponerent. Si, *Bibite ex hoc omnes*, est metaphoricum, & significat, *credite*. Igitur & illud: *Et biberunt ex eo omnes*, est, *crediderunt omnes*, atque ita nihil in scriptura certi habebimus, mutatis verborum significationibus. Ferri hæc non possent, si sibi tantum delirarent; at nunc corruptelas illas propagare student, eosque, qui verba Christi in- Comedite, *Caluiniani dicunt* Credite. *Quomodo aliqui ad iudicium manducāt & bibunt, hoc est, credunt?*

sti intelligunt eo modo, quo Apostoli intellexerunt, hęreseos accusant. Quid nunc de sensu disputamus? Dixit Dominus: *Comedite, Bibite*; Apostoli *comedendum, & bibendum* esse iudicarunt. Et ne eos non intellexisse mentē Domini suspicemur; eodē modo nobis Paulus 1. Cor. 11. 20. exponit.

12. Synusiastæ impanationem somniant: Lutherus enim panem vocat artocreas, & ἀρτόσωμα, conf maiore p. 540. hinc illa: Fleischbrot/ Blutswein / Weinfaß / Weinholtz.

13. Carolstadius verba Christi. *Hoc est Corpus meum*; sic accipit: *Hic sedet Corpus meum*, cum Zwinglius merito refutat. Beza item, & alij.

14. In ipsis suis erroribus dissentiunt. Zwinglius ad Matth. Alb. f. 156. Polanus pag. 257. Danæus, Beza, Tropum ponunt in verbo, seu copula *est*. Contra Keckermannus sic argumentatur. In Systemate Theologico. p. 445. *Alij volunt Tropum esse in copula, quod & ipsum nō potest probari. Nam si sumant copulam pro voce & verbo copulatiuo, non potest in ea esse tropus, vtpote qui locum habet in vocibus categorematicis, i. e. talibus, quæ certam rem per se significant, non autē in vocabulu consignificatiuis, quale est verbum illud, quod copulæ loco ponitur. Quin imo si Tropus est in copula, non potest esse prædicatio disparati de disparato.*

Tropus nō est in copula.

Non potest autem tropus esse in copula; si enim significat corpus Christi, non est ergo κοινωνία, seu participatio corporis Christi. Interim Zvvinglius causam veritatis agit inscius. in breui instit. fol. 575. cum ait. *Si verbum Est, substantiue accipiatur, non posse fieri, quin panis substantia in ipsam carnis substantiam conuertatur.* Quo vno verbo veritatem asserit Catholicam. Nempe si copula *est* proprie accipiatur, in Eucharistia esse veram transubstantiationem.

Zvvinglius inscius transubstantiationē probat.

15. Alij corpus interpretantur corporis signum. Sed Apostolus repugnat, nam corpus eodem modo à Christo,

&

& Christi Apostolo sumitur; at vero Apostolus cum ait panem esse communicationem corporis dominici, verum corpus non signum intelligit.

16. Verba illa. *Quod pro vobis traditur.* Hieronymus Zanchius in conf. p. 171. interpretatur, *quatenus.* itemque Piscator in 3. q. de Cœna. Sed noua est interpretatio, & violenta; deinde textui repugnat: ita n. habet. τοῦτό ἐστι σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur.* Vel hoc est corpus meum pro vobis traditum, &c. Non est enim articulus relatiuus ὅ, vel ὅτι, sed τὸ. Deinde quis ille sensus: Hoc est corpus meum quatenus pro vobis traditur? *Error Zãchij.*

17. Lutheranorum multi in vsu duntaxat Eucharistiam esse docent, idque manifeste contra Lutherum, Pomeranum, & alios.

18. Musculus p. 863. Ant. Sadeel Tom. 3. p. 143. Vsum priuatum Eucharistiæ damnant, nec deferri ad ægrotos volunt. Cum eam Christus nequaquã damnauerit, cũ primæua ecclesia ea semper vsa fuerit. Beza tamen damnare non audet. Sed vel in eo impius est, quia dubitat; cur n. in ædibus ægrotorũ non est Ecclesiola, cum 1. Cor. 16. sit domestica Ecclesia? Si Christus est, *vbi duo vel tres sunt in eius nomine congregati*, cur non cõmunio Christi? Quid loci, aut multitudinis circumstantia ad rem facit, vt ægrotis solatia negentur, quæ ex omni antiquitate adhibita legimus? *Ad ægrotos ferri Eucharistia potest.*

19. Negant Caluiniani Sacramentũ Eucharistiæ adorandum, qui negant eius veritatem, multo absurdius nõnulli Lutheranorum cum Christũ Deum præsentẽ agnoscunt, adorandum negant: Certe Lutherus adorandum censuit: & hoc illi improperat Caluinus, Ep. 72. ad Buccerum: *Deliria quoq; secum idololatriam trahebant. Quorsum enim illud Lutheri adorabile Sacramentum, nisi vt idolum in templo Dei erigatur?* *Deus vbiq; adorãdus.*

20. Docent necessario speciem vtramq; adhibendam omnibus & semper, quia id Christus fecit. Cum tamen illi tam multa, quæ Christus fecit, omittant. Imo Christum ipsum ex Eucharistia tollant, signumq; pro veritate substituant. Calicem, & vinum vrges? Sed materiam integrã tuo arbitrio commutas. Beza Ep. 25. *Si desit vinum*, ait, *posse substitui aquam simplicem vel aliud potionis genus in illo loco non inusitatum*. Eam fuisse Caluini sententiam ipse docet, & *superstitiosos censeri, qui à vino penderent, vt nollent cogente necessitate ἀνάλογον symbolum vsurpare*. Et Ep. 2. *Vbi panis aut vini vel nullus est vsus, vel nulla certo tempore copia, num Cœna Domini nulla celebrabitur? Imo ritè celebrabitur, si quod panis aut vini vicem, vel ex vsu communi, vel pro temporis ratione supplet, panis aut vini loco adhibeatur. Hæc enim mens fuit Christi, quum panem ac vinum ad hæc mysteria deligeret, vt propositis earum rerum signis, quibus corpus nostrum alitur, veram alimoniam spiritualem velut ob oculos repræsentaret. Itaque à Christi sententia nihil aberrat, qui nullo prorsus nouandi studio pro pane & vino substituat, quæ etsi non parem, similem tamen alimoniæ analogiam habeant.*

Vtraq; species non necessaria.

Materiam vini mutant.

Hanc mentem Christi esse asserit, sed nullo teste, nisi quod nefandas hæreses in Eucharistiæ materia imitetur: nempe Gnosticorum, Montanistarum, Artotyritarum, Aquariorum, Manichæorum.

Materiam Sacramẽti veteres hæretici mutarunt.

Nos vna in specie Christum totum esse dicimus, vtramque speciem mandatam negamus, nec enim in abstemijs lex illa potest impleri, & multis in locis penuria vini communionem impediret. Nec finis communionis negatur, qui est, vt Christum sumamus, siue sub vna, siue sub vtraq; specie. Qui Christum edit, pariter etiam bibit, cũ in corpore viuo sanguis etiam insit. Sunt aliæ causæ, vt periculum effusionis, quorundam horror ex eodem cum multis

pocu-

poculo bibere nolentium. Quin Christi tempore altera species dumtaxat crebro vsurpata fuit. Et tamen hoc loco maxime insaniunt, calumnianturque iubilatores.

21. Eo tandem procedunt, vt negent vnum corpus esse posse in plurimis locis. Ita Scarph. de Euch. Cont. 3. qu. 1. Quod omnibus Lutheranis, & prudentioribus Caluinianorum ridiculum visum, & impium. Cur enim Deus non potest vnum corpus, idemq; quod in Germania collocauit, etiam in India statuere? An corpus quod in Germania est, potentiam Dei cohibere potest, ne sit in India?

Corpus vnum potest esse in plurimis locis.

Sed quæ contradicentia ille colligit? *Primo esset in India & non in India, esset simul inferius, & superius seipso. Vno in loco frigebit, in alio æstuabit. Erit extra seipsum, Angeli non possunt esse in diuersis locis. Erit in loco, & non in loco, non potest esse simul in tempore diuerso, ergo nec in loco.* Hæc puerilia ille millies refutata inter iubila recoquit. Cur enim esset corpus illud in India, & non in India? Esset sane in India, falsum autem non esse in India; verum autem, esse etiam extra Indiam, seu habere aliam præsentiam præter illam, quæ est in India. Res clara est; tota anima est in capite, tota est in pedibus, non tamen negamus esse in capite, quia eadem essentia est in pedibus, sed dicimus plures esse præsentias vnius essentiæ. Sic anima sine contradictione inferior est, & superior, quia non secundum eandem præsentiam ista dicuntur, in contradictione autem opus est, vt quæ dicuntur, *sint secundum idem.* Itaque contraria experiri poterunt ea corpora, si Deo visum fuerit, sed in diuersis locis.

Idem corpus in India, & in non-India esse potest.

Pergit tamen: *Corpus in duobus locis erit extra seipsum.* Si intelligit à natura sua alienum; falsum est; si vero, erit in diuersis locis, & quatenus est in vno, distabat à se, vt est in alio; facile admittitur, nam anima indiuisibilis vt est in pedibus, à se distat, vt est in capite. Potest vero

Corpus idē à se ipso distare quoad locū potest, non autē à natura sua esse aliud.

vero Deus omnipotentia sua seruare caput viuum, & animatum, idemque pedes, medio corpore emoriente, quo facto anima omnino à seipsa ratione loci distabit. Eadem ratione Angelos quoque asserimus diuersis in locis esse posse.

Quid porro Scharpius? *Erit in loco, & non in loco. In loco, ex hypothesi; non in loco, quia quod est in loco ita circumscribitur, vt non sit in alio loco.*

Dignum acumen hebeti Scharpio. Nam est non modo in loco, sed in locis pluribus. Itaque falsum est; non esse in loco. Quod vero addit, quod est in loco, ita loco continetur, vt non sit in alio loco, id, si naturæ ordinem spectes, verum; si potentiam eius qui naturam creauit, supra naturam operantem, falsum; de ea enim quæritur, an possit totam aliquam rem ponere in vno loco, vt tamen eadem sit etiam in alio loco.

Ridicula argutia Scharpij.

Denique Chrysippea argutia pugnat acutissimus Scharpius alpha iubilantium. *Non potest eadem res simul esse in diuerso tempore, præterito & futuro, ergo nec in loco diuerso.* Rem vanno non acu tetigisti. Tu mihi duo tempora præteritum, & futurum simul pone, ego simul tecum in præterito, & futuro disputabo, & disputaui. Loca duo, Germania, & India simul sunt, duo tempora simul esse non possunt, quia præteritum fuit, futurum nondum est. Hæc monere volui, vt cunctis manifestum esset, iubilandi insaniam communem sensum abstulisse: vt præteritum, & futurum putarent simul esse posse.

CAPVT

CAPVT LII.

Rectene Nouatores nouæ legis sacrificium negent?

SI tam vere, quam furenter contra sacrificium incruentum insurgerent, iam dudum omnem populum tenerent. Nulla sacrificij pars est, nulla cærimonia, quam non scurrilibus omnino sannis, & propudiosis dicterijs excipiant. Alpha iubilantium in Saxonia Matthias Hoë, concione 2. Iubiliaria ita loquitur. *Obijciunt præterea Papistæ; nouum esse, quod missam non celebramus, quæ tamen per multa sæcula sine interruptione celebrata sit.* Respondet ille: *Nec Christus Iesus ipse, nec sancti Apostoli celebrarunt, quodq; amplius est; Spiritus sanctus olim, missam, seu idolum Maozim tanquam horrendam abominationem descripsit.* Dan. 12. *Quapropter merito nos illam fugere, & vitare, tanquam turpissimam testamenti Domini nostri corruptionem debemus,* Gal. 3. *Quia Christus semel duntaxat in cruce oblatus est, quæ oblatio sufficiens fuit ad nostra delicta expianda,* Heb. 9. & 10.

Sacrificiū Christianum scurriliter irrident.

Non mirum est contra sacrificium nouæ legis insurgere multos, idque furentissime, cum ipse Satan præsens has partes sibi sumpserit; & Luthero persuaserit, sacrificium illud idololatriam esse. Historiam scribit ipse Lutherus Tom. 7. Witt. 1558. fol. 228. quæ sæpe à multis Catholicis narrata est, quæque solo aspectu iubila Lutheranorum tollit. Sed iubilantis imposturam videamus. Missa seu Latinum seu Hebræum nomen est, à Græcis λειτουργία dici solet. מסה Deut. 16. 10. oblatio vocatur. Inde vel Latini nomen mutuati sunt, vel suo vsi sunt, vt missum DEO sacrificium, precesque significarent. Græci scriptores, vti dixi, λειτουργίαν appellant. Interdum

Satanæ efficax energema contra Missam adhuc viget.

προσ-

προσφορὰν, θυσίαν, ἱερὸν, θυσίαν ἀναίμακτον, μυστήριον, μυσταγωγίαν, τελετὴν, τελετὴν τελετῶν. Quæ omnia rationem ſacrificij in ſe continent.

Chriſtum vero hoc ſacrificium obtuliſſe docent nos Euangeliſtæ, & Paulus. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur.* Luc. 22.19. & deinde de calice dicit: τὸ ἐκχυνόμενον, & Paulus 1. Cor. 11. 24. vocat τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, *corpus, quod pro vobis frangitur.* In ipſa igitur cœna Chriſti ſanguis pro nobis fundebatur, corpus pro nobis frangebatur, hoc eſt, immolabatur, ſacrificabatur; Nam corpus vere tradebat, & ſanguinem, mutato pane, & vino; deinde ne hoc quidem Lutherani negare poſſunt, qui ſub pane, & in pane corpus traditum eſſe aiunt. Quod vero pro alijs hoc modo funditur, frangitur, ea immutatione, ſeu tranſubſtantiatione, nouo & ineffabili modo exiſtit, id ſacrificari recte dicitur.

Sacrificiũ eſt corporis oblatio.

Liturgiæ Apoſtolorũ oſtendunt eos miſſam celebraſſe.

Apoſtoli, inquit, *non ſacrificarunt.* At reclamant Apoſtolorum Liturgiæ. Prima eſt Petri, de qua veteres, imprimis S. Iſidorus Hiſpalēſis, l. 2. officiorum. Paſchaſius Corbeienſis de corpore & ſanguine Domini. Altera quæ eſt Iacobi teſte Clemente Romano. Tertia Iacobi Minoris, qui frater Domini dictus eſt. Quarta Matthæi Apoſtoli, qua Aethiopes fere vtuntur, vocantque ſacrificium Corbon, in hac ita loquuntur, ex Apoſtoli inſtituto. *Tu es panis vita, deſcendens de cœlo, qui antequam venires, eras in figura agni immaculati pro redemptione mundi: nunc bonitatem tuam, ô amator hominum, humiliter imploramus, vt faciem tuam ſuper hunc panem & calicem in hoc altare portatile oſtendas. Benedic, ſanctifica, munda, & transfer panem hunc in carnem tuam immaculatam, & vinum hoc in ſanguinem tuum pretioſum: Fiat ſacrificium ardens, & acceptabile, medela, & ſalus animæ, & corpori noſtro &c.*

Quinta S. Marci, qui omnes inter ſe quoad ſubſtantiam

tiam conueniunt, cærimonijs, & ritibus differunt. Ipse Sanctus Andreas tyranno, & omnibus Sectarijs hæc verba intonat. *Ego omnipotenti Deo immaculatum agnum quotidie sacrifico, qui cum vere sit sacrificatus, & vere à populo carnes eius manducata, integer perseuerat, & vnus.* Ita presbyteri Achaiæ. Quod si hanc ob causam iubila sono incondito veritatem obruant, communis est causa veteris Ecclesiæ; Christum obtulisse ante passionem sacrificium incruentum dicimus, idem fecisse Apostolos, & eorum successores asserimus. Non possumus causa cadere quæ tantos habet patronos. Dionys. Eccl. Hierarch. cap. 3. ὦ θειοτάτη καὶ ἱερὰ τελετή, *O diuinissimum, & sanctum sacrificium*, sic Martialis Epist. ad Burdegal. ca. 3. Clemens Romanus consil. Apostol. Ἀντὶ θυσίας τῆς δι' αἱμάτων, λογικὴν, καὶ ἀναίμακτον καὶ τὴν μυστικὴν, ἥ τις εἰς τὸν θάνατον τοῦ κυρίου συμβόλων χάριν ἐπιτελεῖται τοῦ σώματος αὐτοῦ καὶ αἵματος. *Dedisse*, ait, *nobis Christum, pro sacrificio cruento, rationabile, incruentum, & mysticum, quod est corporis eius, & sanguinis, & in mortem Domini quasi symbolum celebratur.*

Semper in Ecclesia fuit sacrificium.

Eadem mente Alexander 1. Epist. ad omnes Orthodoxos, ait, *In Sacramentorum oblationibus, quæ ad missarum solennia offeruntur, passionem Domini miscendam* &c.

Et Iustinus Martyr Dialog. cum Tryph. *Omnes igitur qui in huius nomine sacrificia offerunt, quæ Iesus Christus tradidit, hoc est in Eucharistia panis, & calicis, quæ in omni terræ loco à Christianis fiunt, prauertens Deus grata sibi esse testificatur.* Sixtus I. Decretis suis inseruit, vt *sacerdote Missarum actionem incipiente populus hymnum decantaret.* Eadem Telesphorus Epist. ad vniuersos. & Hyginius, *omnes Basilicæ cum missa debent consecrari*, videre licet Pij primi, Soteris, Irenæi, aliorumq; testimonia. Hinc ita argumentor.

Cur missa non reijcienda. Nos Christum, & Apostolos vere sacrificasse dicimus, idem omnes patres quorum scripta Christiani sacrificij mentionem faciunt; constanter, nullo excepto profitentur; nullus retro Episcopus fuit, qui non sacrificia obtulerit. Nemo Orthodoxus sacrificantes damnauit; non igitur damnare vetustos Martyres debent examina compugnantium sectarum, neque contra nos iubilare, quod Diabolo suasore è finibus suis sacrificium exterminarint.


Quod vero missam aiunt esse Moghozim, seu Mahuzim, id plane ridiculum est, nam inter מסה & מעוזים magna est diuersitas, & in vna duntaxat litera *mem* conueniunt. Perinde ac si Cerdonem & Caluinum eosdem fingamus, quia eadem est vtriusque hæresiarchæ initio nominis litera. *Ridicula impietas scripturis abutitur.*

At semel in cruce oblatus est Christus, & semel satisfecit. Hoc nos quoque docemus, & in scriptis omnium patrum inuenitur. Et Apostolum audimus dicentem, *nos vna oblatione esse consummatos.* Confitemur hoc, & gratias agimus benignitati redemptoris, qui precium infinitæ æstimationis, precium sufficientissimum pro nobis obtulit. Consensus tamen Ecclesiæ Catholicæ semper docuit, precium illud per Sacramenta, per fidem, per sacrificium incruentũ nobis applicari. Alioqui nec absq; scelere Abraham, aut Moses holocautomata & victimas obtulissent; nã & illi sacrificio crucis futuro seruati sunt. Participes vero eius facti etiã per illa sacrificia, quæ vel sponte, vel Dei iussu obtulerunt. Quin & oratio non modo superuacanea, sed blasphema quoq; erit; nã Christus *pro nobis orauit, & exauditus est pro sua reuerentia*; an igitur nunc non interpellat pro nobis? An nos orare non possumus, si sua oratione ille quæ poscenda sunt, impetrauit? Nonne oratio nostra orationẽ Christi facit irritam? imo sacrificium irritum? Si enim sacrifi- *Sacrificio crucis consentit sacrificium Missæ.*

crificium incruentum facit irritum & perdit fructum, honoremq; sacrificij cruenti, cur non oratio hominis peccatoris iterum postulãtis, quod Christus & sacrificio & oratione impetrauit, non cedit in ignominiam sacrificij & orationis Iesu Christi, cui tanquam non sufficienti videtur adiungi? Atq; hæc est expositio sacræ scripturæ, quæ de vnico sacrificio loquitur, hanc omnis Ecclesia ab Apostolis vsque non modo scriptis, & concionibus, sed oratorijs, calicibus, altaribus basilicis, ipsiusq; sacrificij perpetuo vsu tenuit, hanc nullę tot sectariorũ ratiunculę destruxerunt. Qui igitur hac in causa secessionẽ fecerunt, non à Monachis aut Iesuitis vt iactant, sed ab omni vetere Ecclesia desciuerunt, & nouo modo scripturam interpretantur.

CAPVT LIII.

An quinque spuria Sacramenta dederint iustam Apostasiæ occasionem?



HAc contumelia Sacramenta quinque afficit Spurius Hercules, Scharpius; nempe Confirmationem, Pœnitẽtiam; Extremam vnctionem, Ordinem, Matrimonium.

Verum nec Lutherus, nec Lutherani conueniunt, aliqui pœnitẽtiam, alij ordinem, alij alia adiungunt numero Sacramẽtorũ, prout nouitate quisq; inclarescere voluit. *De quinq; Sacramẽtis magna varietas.*

Primus Sacramentum confirmationis Nouatianus neglexit. Eus. l.6. cap. 35. ait, *cum sigillo confirmationis minime fuisse consignatum.* Deinde Waldenses esse Sacramentum negarunt, quos secuti sunt plerique nouarum Sectarum inuentores. Verum nos Ecclesiæ & scripturæ doctrinã secuti; hoc Sacramentũ roborandis ad certamen fidelibus vsurpamus: Apostoli enim *imponebant manum super illos (Christianos) & accipiebant Spiritũ sanctũ*, Act. 8. Hęc manuũ impo- *Nouatianus confirmationem neglexit.* *Definitio Sacramẽti confirmationi conuenit.*

impositio, cui & vnctio coniuncta est, promissionem habuit,& externum ritum;Cur enim id semper & solenniter facerent Apostoli, si à Deo mandatum non habuerunt? Quomodo factum est,vt cuicunq;manus imponerēt, ille acciperet Spiritum S. nisi diuinitus ille effectus promissus fuisset:omnia igitur hic conueniunt,mandatum,promissio,ritus externus,seu signum visibile;verum igitur & proprie dictum Sacramentū est. Huius scripturę expositio,sc. impositionē manuum esse retinendam, ab prima Ecclesia ad nos vsq;peruenit. Bellarminus vndecim Concilia,decē summos nominat Pōtifices,quorū vltimus est Gregorius; nouē patres Græcos,quorū vltimus est Damascenus. Decem latinos,quorū vltimus est Beda,penultimus Augustinus, pro testibus adducit. Quorū testimonia nō tantū cōfirmationis Sacramentū astruūt,sed cū esse ēt totius Ecclesiæ sensum,ac consuetudinē ostendunt,loquūtur enim de ea,vt de Sacramento,de quo nemo dubitabat. Pleriq; etiā modū cærimoniamq;referunt. Iniuriosa igitur est damnationis sentētia,qua nos perstringunt quia totā Ecclesiam, exceptis Nouatianis,& Waldensibus,cōdemnat. Deinde quā causam reddēt, cur illi cærimoniā Apostolis, primisq; Episcopis vsurpatā irrideant? Ecclesiæ suæ consuetudinē exponit Pauli discipulus Dionysius Areopagita cap.2.p.2. ***Baptizatum indutū alba veste,ad Pontificē ducūt,ille diuino, ac prorsus Deifico Vnguento virū signat.*** Eadē omnes testantur sancti Patres,& Martyres,vt excusari nullo modo possint, qui tam multos, & tam sanctos damnare non verentur.

Confirmatio sēper in Ecclesia fuit.

De pœnitentia pariter controuertunt. Verum maiore malo Ecclesiæ, cum ante pœnitentiam se iustos esse plerique iactent. Nos asserimus : Pœnitentiam signis externis sufficienter declaratam accedente absolutionis verbo, nouæ legis Sacramentum esse. Et quidem ad Lutheranos,quod attinet,facilius cōcedent esse Sacra-

mentum,

mentum, quia omnia quæ ad verum sacramentum pertinent in pœnitentia agnoscunt. Henricus Eckardus in fasciculo c. 16. q. 4. queritur Caluinum in ritum priuatæ cõfessionis, & absolutionis, qui in Ecclesijs Augustanæ confessioni addictis in vsu est, inuchi; tanquam in fœtum Antichristianum. Contra Caluinum pro ritu illo sic Eckardus argumentatur. *Quod 1 nihil est aliud, quam petitio & applicatio beneficij, in Euangelio omnibus credentibus & pœnitentibus promissi, 2. executio mandati & sententiæ diuinæ, potestatisq; à Christo concessæ, 3. nititur probatis scripturæ & antiquitatis exemplis, 4. facit ad disciplinæ conseruationem, 5. conscientiarum perterritarum consolationem, 6. rudiorum informationem, & 7. dignam Sacrosanctæ Cœnæ sumptionem, illud merito in Ecclesijs retinetur.*

Confessionem defendunt Lutherani.

Ritus priuatæ Confessionis, & Absolutionis est talis. Ergo merito retinetur.

Nos eodem modo pro ritu Sacramentali, seu Sacramẽto argumentamur. Vbi est applicatio beneficij omnibus promissi, vbi executio mandati, & sententiæ diuinæ, potestatisque à Christo concessæ, quod nititur scripturæ exemplis, quod facit ad dignam Eucharistiæ sumptionem, h. e. sacramentum, nam est signum externum, nempe confessio, doloris professio, absolutionis petitio, absolutio, deinde gratiæ promissio, beneficij applicatio, idq; ex Dei institutione, ideo est Sacramentum. Quo argumento etiam manifeste conuincimus Caluinianos. Nam Caluinus l. 4. instit. c. 14. §. 1. Sacramentum ita definit. *Videtur a. mihi hæc simplex & propria fore definitio, si dixerimus externũ esse symbolum, quo beneuolentiæ erga nos suæ promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem: & nos vicissim pietatem erga eum nostram tam coram eo, & Angelis, quam apud homines testamur. Licet etiam maiore compendio aliter definire: vt vocetur diuinæ in nos gratiæ testimonium externo signo confirmatum, cum mutua nostræ er-*

Pœnitẽtia Sacramentum est.

Apologia Confess. August. Sacramentũ agnoscit.

ga ipsum pietatis testificatione. At vero hæc omnia de Sacramento pœnitentiæ rectissime dicuntur. Quapropter & apologia confess. august. c. de numero sacramentorum inter Sacramenta recenset. *Vere,* inquit, *sunt Sacramenta, Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est Sacramentum pœnitentiæ. Nam hi ritus habent mandatum Dei, & promissionem gratiæ, quæ est propria noui testamenti. Certo enim debent statuere corda, cum baptizamur, cum vescimur corpore Domini, cum absoluimur, quod vere ignoscat nobis Deus propter Christũ. Et corda simul per verbum & ritum mouet Deus, vt credant, & concipiant fidem, sicut ait Paulus, Fides ex auditu est. Sicut autẽ verbum incurrit in aures, vt feriat corda: Ita ritus ipse incurrit in oculos, vt moueat corda. Idem effectus est verbi & ritus, sicut præclare dictum est ab August. Sacramentum esse verbum visibile. Quia ritus oculis accipitur & est quasi pictura verbi idem significans quod verbum.*

Extrema vnctio Sacramentum est.

Extremam porro vnctionem Sacramentum esse docet nos S. Iacobus c. 5. *Infirmatur quis in vobis; inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.*

Hic omnia quæ ad Sacramenti definitionem pertinent explicantur. Est n. cærimonia à Deo præcepta, generalis, ab Apostolo proposita, totiq; Ecclesię promulgata. Habet adiunctam gratiæ promissionem. Nec de curatione morbi duntaxat, sed de remissione peccatorum agitur, nec de cæcis, claudis, alijsque, sed infirmis hoc conuenire dicit. Nec primarius finis est sanitas corporis; nam sæpe moritur æger, itaque ad animam illa medicina pertinet.

Extrema vnctio sero oppugnata fuit.

Hoc Sacramentum ex professo primi impugnarunt Albanenses, deinde Waldenses, Rutheni, deniq; nostri Nouatores. Sed omnes illos Caluinus refutat; cõcedit enim olim Sacramentum fuisse. In comm. Ep. Iacob. c. 5. 14. ita docet: *Fateor equidem pro Sacramẽto vsurpatum fuisse à Christi di-*

sti di-

sti discipulis. Neq; n. illis assentior, qui medicamentum fuisse putant: sed quemadmodum veritas huius signi non nisi ad tempus durauit, symbolum dico similiter fuisse temporale.

Caluinus igitur fuisse vere, & proprie Sacramentum fatetur. & paulo post: *Vnctionis effectum ante annos mille & quadringentos Deus mundo abstulit. Ita nobis certamen non est, an vnctio fuerit aliquando Sacramentum: sed an nobis data fuerit, vt hodie quoq; apud nos sit in vsu. Hoc posterius negamus, quia constat rem signatam pridem desijsse.*

Et in Antid. Conc. Trid. *Ex Sacramentis quæ numerant, alia fuisse ostendimus temporaria: vt est infirmorum vnctio.* Et Ep. 399. *Nam neq; ita etiam decedere volumus quicquam dignitati Sacramentorum illorum, quæ temporalia dici possunt, quanquam eorum vsum desijsse sentiamus, cuiusmodi fuit vnctio ægrotorum.*

Iacobi verba iuxta Caluinũ de Sacramento loquuntur.

Hinc plurima corollaria vtilia etiàm errantibus deduco. Primo Sarcasmos, & risus Iubilantium, & hoc Sacramentum subsannantium à Caluino damnari; Toti in hoc sunt, vt doceant verba Iacobi ad Sacramentum non pertinere, at Caluinus ait fuisse tum Sacramentum. Secundo, Immanem hæreseos audaciam, atq; arrogantiam perpendo. Apostolis Sacramentum fuisse fatetur à Deo institutum, iam non esse Sacramentum opinatur; Quando ergo abrogatũ est? quando irritum Deus fecit verbũ suum? ante annos mille quadringentos, inquit; Id vero qua ratione probas? Nihil credendum definis, nisi quod scriptura continetur. Sed hoc Sacramentum à Christo institutum, centum annos validum, abrogatum esse nulla scriptura tradit, non igitur inter credenda censendum est. Vnde igitur probas legem de hoc Sacramento esse temporariam, de alijs non esse? *Effectus eius desijt?* Vnde vero hoc docetur? Effectus duplex est, primarius remissio peccatorũ, & confortatio in agone supremo, qui semper

Deus non sustulit Sacramentũ extremæ vnctionis.

ſemper datur, ſi legitime Sacramentum vſurpetur: ſecundarius, ſanitas corporis, qui nunc aliquãdo, forte olim ſæpius, ſed non ſemper concedebatur. Alioqui nemo inunctorũ morbo occubuiſſet. Nõ igitur hinc colligitur Sacramenti à Deo inſtituti poſt centũ annos abrogatio. Imo vetuſtiſſimi illud ad nos pertinere demonſtrant. Nã Origenes hom. 2. in Leuiticum ſuo tempore ẽt impleri ait illud Iacobi; *Infirmatur quis* &c. anno igitur Domini ducenteſimo erat in vſu hoc Sacramentum. Nec anno 300. deſierat, eſt n. in Concilio Niceno can. 69. ex Arabico in latinũ verſo, vt teſtatur Bellarminus. Fuit & tẽpore ſancti Chryſoſtomi l. 3. de Sacerdotio. & Auguſtini ſerm. 215. de temp. *Quoties aliqua infirmitas ſuperuenerit, corpus & ſanguinẽ Chriſti ille qui ægrotat accipiat, & inde corpuſculum ſuum vngat, vt illud quod ſcriptum eſt impleatur in eo, Infirmatur aliquis, inducat presbyteros, & orent ſuper eum vngentes eum oleo, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Videte fratres, quia qui in infirmitate ad Eccleſiam cucurrerit, & corporis ſanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere.*

Poſt centũ annos Chriſtianiſmi manſit vnctio.

Auguſtinus igitur ſuo tẽpore non deſijſſe effectũ huius Sacramenti oſtendit, & in Eccleſia, vt de re vſitata loquitur. Quin & ante Auguſtinum Innocentius primus Ep. 1. ad Decentium cap. 8. huius Sacramenti mentionem facit. Eandem doctrinam & vſum continuant ſequentes Patres & concilia, à quibus Waldenſes, Albigenſes, Wicleffitæ damnati ſunt.

Oppugnatores extremæ vnctionis damnati.

Itaq; inexcuſabilis eſt eorum cæcitas, qui cum Sacramentum à Chriſto inſtitutum, centum amplius annos vſurpatum, in Eccleſia continuatum, contra hæreſes defenſum agnoſcant, nunc è medio ſublatum volunt, & incondito impietatis iubilatu explodunt. Multo minus

præ-

præteхere quicquam possunt, qui spuriũ hoc Sacramentum appellant.

De Sacramento ordinis non idem ipsi sentiunt. Caluinus lib. 4. instit. cap. 14. §. 20. *Hæc Iudæorum fuerunt Sacramenta ad Christi vsque aduentum: quo abrogatis illis, Sacramenta duo instituta, quibus nunc Christiana Ecclesia vtitur, Baptismus & cœna Domini. Loquor autem de ijs, quæ in vsum totius Ecclesiæ sunt instituta. Nam impositionem manuum, qua Ecclesiæ ministri in suum munus initiantur, vt non inuitus patior vocari Sacramentum, ita inter ordinaria Sacramenta non numero.*

Impie spuriũ vocatur, quod Christus instituit.

Hoc si duntaxat quæritur, nulla superest controuersia, nam neque nos ita ordinationem institutam docemus, vt omnes initientur, pauci sunt Ecclesiæ ministri, si cum infinita aliorum multitudine conferantur.

Ordo paucorum est.

Dubium vero nullum esse potest, cum sit in eo symbolum externum, manuum impositio, verbum, gratiæ promissio. 1. Tim. 4. & 5. Act. 13. & 14. & 20. Eph. 4. Deinde Dionysius Areopagita teste Luthero huius Sacramenti meminit, & ritum ordinandorum describit, cap. 5. Cum vero potestas ministrandi Sacramenta, atque aliarum rerum confertur illo Sacramento, quis ambigat, etiam gratiam cum officio donari? Sane Caluinus l. 4. cap. 19. §. 13. *Superest impositio manuum, quam in veris ligitimisque ordinationibus Sacramentum esse concedo.* & §. 28. *Quantum ad verum presbyterij munus attinet, quod ore Christi nobis est cõmendatum, libenter eo loco habeo. Illic enim ceremonia est, primum ex scripturis sumpta, deinde quam non esse inanem nec superuacuam sed fidele spiritualis gratiæ symbolum, testatur Paulus. Et deinceps. Quod autem tertium in numero non posui, eo factum est, quod non ordinarium, nec commune est apud omnes fideles, sed ad certam functionem specialis ritus. Verum cum hic honor Christiano ministerio tribuitur, non est propterea quod superbiant Papistici sacerdotes,*

Caluinus concedit esse Sacramentum.

Hæc contra ſuos Caluinus. Nam ſi vera ordinatio ſacramentum eſt, & Caluiniani veram ordinationem habent, non poſſunt negare verum ſacramentum ſe habere. Nam quod non omnes eo vtantur, non conuincit, non eſſe ſacramentum.

Sed amplius affirmo, nos habere eam ordinationem quam Auguſtinus cœterique Epiſcopi acceperunt, & cõtulerunt, proinde veram etiam ordinationem habere. Hoc enim duntaxat eſt probandum: Veram ordinationẽ, verum eſſe ſacramentum.

Matrimonium eſt Sacramẽtum.

Denique matrimonium, quod Apoſtolus *Sacramentum magnum* appellat, eſſe ſacramentum negant, & Scharpius ſacramentum ſpurium blaſphemè nominat. Multo aliter Paulum imitatus loquitur Auguſtinus lib. 1. de nuptiis, & concupiſcentia, cap. 10. *Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis: Vnde dicit Apoſtolus: viri diligite vxores veſtras.* & cap. 21. vocat coniunctionis inſeparabile ſacramentum. Sic Leo Epiſt. 92. ad Ruſticum, Amb. lib. 1. de Abraham, cap. 7. Siricius Papa Ep. 1. c. 4.

Immanis calumnia.

Scharpius quidem inſigni argumento nos oppugnat: *Ipſi Papiſtæ docent matrimonium non placere Deo, vt Syricius Papa locum Rom. 8. interpretatur, qui ſunt in carne, .i. matrimonio, Deo placere non poſſunt, & ne ſacerdotes polluantur, à matrimonio arcendi, at omne Sacramentum placet Deo, & hominem ſanctificat inſtrumentaliter, illi vero ſacrificulis centum proſtibula potius, quam vnam vxorem concedunt. Ergo.*

Nemo Catholicus eſt, niſi matrimonium probet, & ſcortationem condemnet.

Hæc ille: cum tamen nemo Catholicus ſit, niſi matrimonium probet: & omnis qui matrimonium ſanctum eſſe negat, à nobis hæreticus iudicetur, & multo magis ſi quis ſcortationem legitimam affirmet. Vnum ex omnibus Catholicis hæc docentem oſtendat, aut hominum omnium ſe mendaciſſimum fateatur. Ego coram Deo & hominibus omnibus ad omnes libros Catholicorum, ad

omnes

omnes conciones prouoco, neminē ex omnib⁹ inueniemus. Aut vnus tandem nominetur. Hic Rhodus, hic salta.

Cœtera quæ idem ille congerit, puerilia sunt, & leuia. Vt matrimonium non ideo solum esse sacramentum, quia Christum repræsentat cum Ecclesia, non fuisse sacramentum ante Christum. Non esse omnibus commune, Christum sine matrimonio fuisse, non posse esse in ordinatis, non efficere vnionem Christi cum Ecclesia, coniuges esse ministros, non conferre gratiam: hæc & similia partim falsa, partim vecordiæ plena sunt. Nos enim signa gratiæ externa esse dicimus, contractū ipsum, deinde in lege nouâ inter baptizatos sacramentum, commune omnibus nuptias desiderantibus, & impedimentum non habentibus, Christum vero omnia sacramenta accepisse nemo Catholicorum dixit. Gratiam vero seruandi matrimonii, & prolis honestæ suscipiendæ, educandæque dari omnes profitemur.

CAPVT. LIV.

Quid sentiendum de statu politico?



RIMO quidem in libro de pace Germaniæ demonstraui, in omni quidem regno, sed tamen præcipue in imperio causas religionis, & politiæ connexas esse. Nunc quid de sententiâ Iubilantium dicendum sit, videamus. *Politia & Ecclesia coniungēda.*

Primum eorum axioma est, *Papam, Episcopos omnes, prælatosq; nullam ciuilem administrationem habere posse.* Hoc plerique vehementer inclamant, longâ disputatione id agit Scharpius quæst. 6. de Antichristo. Cum enim sibi obiecisset, Ecclesiasticos habere iurisdictionem dono Principum, Respondet: *Licet controuersum sit antecedens, vt supra dictum, tamen neque sequi, quia tum acceptatio Papæ, tum donatio Principum fuit contra ius Diuinum, vt* *Episcopis negant ius administrandæ Reipublicæ, vt eos spolient.*

Cur missa non reijcienda. Nos Christum, & Apostolos vere sacrificasse dicimus, idem omnes patres quorum scripta Christiani sacrificij mentionem faciunt; constanter, nullo excepto profitentur; nullus retro Episcopus fuit, qui non sacrificia obtulerit. Nemo Orthodoxus sacrificantes damnauit; non igitur damnare vetustos Martyres debent examina compugnantium sectarum, neque contra nos iubilare, quod Diabolo suasore è finibus suis sacrificium exterminarint.


Quod vero missam aiunt esse Moghozim, seu Mahuzim, id plane ridiculum est, nam inter מיסח & מעוזים magna est diuersitas, & in vna duntaxat litera *mem* conueniunt. *Ridicula impietas scripturis abutitur.* Perinde ac si Cerdonem & Caluinum eosdem fingamus, quia eadem est vtriusque hæresiarchæ initio nominis litera.

At semel in cruce oblatus est Christus, & semel satisfecit. Hoc nos quoque docemus, & in scriptis omnium patrum inuenitur. Et Apostolum audimus dicentem, *nos vna oblatione esse consummatos.* Confitemur hoc, & gratias agimus benignitati redemptoris, qui precium infinitæ æstimationis, *Sacrificio crucis consentit sacrificium Missæ.* precium sufficientissimum pro nobis obtulit. Consensus tamen Ecclesiæ Catholicæ semper docuit, precium illud per Sacramenta, per fidem, per sacrificium incruentũ nobis applicari. Alioqui nec absq; scelere Abraham, aut Moses holocautomata & victimas obtulissent; nã & illi sacrificio crucis futuro seruati sunt. Participes vero eius facti etiã per illa sacrificia, quæ vel sponte, vel Dei iussu obtulerunt. Quin & oratio non modo superuacanea, sed blasphema quoq; erit; nã Christus *pro nobis orauit, & exauditus est pro sua reuerentia*; an igitur nunc non interpellat pro nobis? An nos orare non possumus, si sua oratione ille quæ poscenda sunt, impetrauit? Nonne oratio nostra orationẽ Christi facit irritam? imo sacrificium irritum? Si enim sacrifi-

crificium incruentum facit irritum & perdit fructum, honoremq; sacrificij cruenti, cur non oratio hominis peccatoris iterum postulātis, quod Christus & sacrificio & oratione impetrauit, non cedit in ignominiam sacrificij & orationis Iesu Christi, cui tanquam non sufficienti videtur adiungi? Atq; hæc est expositio sacræ scripturæ, quæ de vnico sacrificio loquitur, hanc omnis Ecclesia ab Apostolis vsque non modo scriptis, & concionibus, sed oratorijs, calicibus, altaribus basilicis, ipsiusq; sacrificij perpetuo vsu tenuit, hanc nullę tot sectariorū ratiunculę destruxerunt. Qui igitur hac in causa secessionē fecerunt, non à Monachis aut Iesuitis vt iactant, sed ab omni vetere Ecclesia desciuerunt, & nouo modo scripturam interpretantur.

CAPVT LIII.

An quinque spuria Sacramenta dederint iustam Apostasiæ occasionem?



HAc contumelia Sacramenta quinque afficit Spurius Hercules, Scharpius; nempe Confirmationem, Pœnitētiam; Extremam vnctionem, Ordinem, Matrimonium.

Verum nec Lutherus, nec Lutherani conueniunt, aliqui pœnitētiam, alij ordinem, alij alia adiungunt numero Sacramē torū, prout nouitate quisq; inclarescere voluit. *De quinq; Sacramētis magna varietas.*

Primus Sacramentum confirmationis Nouatianus neglexit. Eus. l.6. cap. 35. ait, *cum sigillo confirmationis minime fuisse consignatum.* Deinde Waldenses esse Sacramentum negarunt, quos secuti sunt plerique nouarum Sectarum inuentores. Verum nos Ecclesiæ & scripturæ doctrinā secuti; hoc Sacramentū roborandis ad certamen fidelibus vsurpamus: Apostoli enim *imponebant manum super illos (Christianos) & accipiebant Spiritū sanctū*, Act. 8. Hęc manuū impo- *Nouatianus confirmationem neglexit.* *Definitio Sacramēti confirmationi conuenit.*

impoſitio, cui & vnctio coniuncta eſt, promiſſionem habuit, & externum ritum; Cur enim id ſemper & ſolenniter facerent Apoſtoli, ſi à Deo mandatum non habuerunt? Quomodo factum eſt, vt cuicunq; manus imponerẽt, ille acciperet Spiritum S. niſi diuinitus ille effectus promiſſus fuiſſet: omnia igitur hic conueniunt, mandatum, promiſſio, ritus externus, ſeu ſignum viſibile; verum igitur & proprie dictum Sacramentũ eſt. Huius ſcripturę expoſitio, ſc. impoſitionẽ manuum eſſe retinendam, ab prima Eccleſia ad nos vſq; peruenit. Bellarminus vndecim Concilia, decẽ ſummos nominat Põtifices, quorũ vltimus eſt Gregorius; nouẽ patres Græcos, quorũ vltimus eſt Damaſcenus. Decem latinos, quorũ vltimus eſt Beda, penultimus Auguſtinus, pro teſtibus adducit. Quorũ teſtimonia nõ tantũ cõfirmationis Sacramentũ aſtruũt, ſed cũ eſſe ẽt toti⁹ Eccleſiæ ſenſum, ac conſuetudinẽ oſtendunt, loquũtur enim de ea, vt de Sacramento, de quo nemo dubitabat. Pleriq; etiã modũ cærimoniamq; referunt. Iniurioſa igitur eſt damnationis ſentẽtia, qua nos perſtringunt quia totã Eccleſiam, exceptis Nouatianis, & Waldenſibus, cõdemnat. Deinde quã cauſam reddẽt, cur illi cærimoniã Apoſtolis, primiſq; Epiſcopis vſurpatã irrideant? Eccleſiæ ſuæ conſuetudinẽ exponit Pauli diſcipulus Dionyſius Areopagita cap. 2. p. 2. ***Baptizatum indutũ alba veſte, ad Pontificẽ ducũt, ille diuino, ac prorſus Deifico Vnguento virũ ſignat.*** Eadẽ omnes teſtantur ſancti Patres, & Martyres, vt excuſari nullo modo poſſint, qui tam multos, & tam ſanctos damnare non verentur. De pœnitentia pariter controuertunt. Verum maiore malo Eccleſiæ, cum ante pœnitentiam ſe iuſtos eſſe plerique iactent. Nos aſſerimus: Pœnitentiam ſignis externis ſufficienter declaratam accedente abſolutionis verbo, nouæ legis Sacramentum eſſe. Et quidem ad Lutheranos, quod attinet, facilius cõcedent eſſe Sacramentum,

Confirmatio ſẽper in Eccleſia fuit.

mentum, quia omnia quæ ad verum sacramentum pertinent in pœnitentia agnoscunt. Henricus Eckardus in fasciculo c.16.q.4. queritur Caluinum in ritum priuatæ cõfessionis, & absolutionis, qui in Ecclesijs Augustanæ confessioni addictis in vsu est, inuehi; tanquam in fœtum Antichristianum. Contra Caluinum pro ritu illo sic Eckardus argumentatur. *Quod 1 nihil est aliud, quam petitio & applicatio beneficij, in Euangelio omnibus credentibus & pœnitentibus promissi, 2. executio mandati & sententiæ diuinæ, potestatisq; à Christo concessæ, 3. nititur probatis scripturæ & antiquitatis exemplis, 4. facit ad disciplinæ conseruationem, 5. conscientiarum perterritarum consolationem, 6. rudiorum informationem, & 7. dignam Sacrosanctæ Cœnæ sumptionem, illud merito in Ecclesiis retinetur.*

Confeßionem defendunt Lutherani.

Ritus priuatæ Confeßionis, & Absolutionis est talis. Ergo merito retinetur.

Nos eodem modo pro ritu Sacramentali, seu Sacramẽto argumentamur. Vbi est applicatio beneficij omnibus promissi, vbi executio mandati, & sententiæ diuinæ, potestatisque à Christo concessæ, quod nititur scripturæ exemplis, quod facit ad dignam Eucharistiæ sumptionem, h.e. sacramentum, nam est signum externum, nempe confessio, doloris professio, absolutionis petitio, absolutio, deinde gratiæ promissio, beneficij applicatio, idq; ex Dei institutione, ideo est Sacramentum. Quo argumento etiam manifeste conuincimus Caluinianos. Nam Caluinus l.4. instit. c.14.§.1. Sacramentum ita definit. *Videtur à mihi hæc simplex & propria fore definitio, si dixerimus externũ esse symbolum, quo beneuolentiæ erga nos suæ promißiones conscientiis nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem: & nos vicißim pietatem erga eum nostram tam coram eo, & Angelis, quam apud homines testamur. Licet etiam maiore compendio aliter definire: vt vocetur diuinæ in nos gratiæ testimonium externo signo confirmatum, cum mutua nostra erga*

Pœnitẽtia Sacramentum est.

Apologia Confess. August. Sacramentũ agnoscit.

ga ipsum pietatis testificatione. At vero hæc omnia de Sacramento pœnitentiæ rectissime dicuntur. Quapropter & apologia confess. august. c. de numero sacramentorum inter Sacramenta recenset. *Vere,* inquit, *sunt Sacramenta, Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est Sacramentum pœnitentiæ. Nam hi ritus habent mandatum Dei, & promissionem gratiæ, quæ est propria noui testamenti. Certo enim debent statuere corda, cum baptizamur, cum vescimur corpore Domini, cum absoluimur, quod vere ignoscat nobis Deus propter Christũ. Et corda simul per verbum & ritum mouet Deus, vt credant, & concipiant fidem, sicut ait Paulus, Fides ex auditu est. Sicut antẽ verbum incurrit in aures, vt feriat corda: Ita ritus ipse incurrit in oculos, vt moueat corda. Idem effectus est verbi & ritus, sicut præclare dictum est ab August. Sacramentum esse verbum visibile. Quia ritus oculis accipitur & est quasi pictura verbi idem significans quod verbum.*

Extrema vnctio Sacramentum est.

Extremam porro vnctionem Sacramentum esse docet nos S. Iacobus c. 5. *Infirmatur quis in vobis; inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.*

Hic omnia quæ ad Sacramenti definitionem pertinent explicantur. Est n. cærimonia à Deo præcepta, generalis, ab Apostolo proposita, totiq; Ecclesię promulgata. Habet adiunctam gratiæ promissionem. Nec de curatione morbi duntaxat, sed de remissione peccatorum agitur, nec de cæcis, claudis, alijsque, sed infirmis hoc conuenire dicit. Nec primarius finis est sanitas corporis; nam sæpe moritur æger, itaque ad animam illa medicina pertinet.

Extrema vnctio sero oppugnata fuit.

Hoc Sacramentum ex professo primi impugnarunt Albanenses, deinde Waldenses, Rutheni, deniq; nostri Nouatores. Sed omnes illos Caluinus refutat; cõcedit enim olim Sacramentum fuisse. In comm. Ep. Iacob. c. 5. 14. ita docet: *Fateor equidem pro Sacramẽto vsurpatum fuisse à Christi di-*

sti di-

sti discipulis. Neq; n. illis assentior, qui medicamentum fuisse putant: sed quemadmodum veritas huius signi non nisi ad tempus durauit, symbolum dico similiter fuisse temporale.

Caluinus igitur fuisse vere, & proprie Sacramentum fatetur. & paulo post: *Vnctionis effectum ante annos mille & quadringentos Deus mundo abstulit. Ita nobis certamen non est, an vnctio fuerit aliquando Sacramentum: sed an nobis data fuerit, vt hodie quoq; apud nos sit in vsu. Hoc posterius negamus, quia constat rem signatam pridem desijsse.*

Et in Antid. Conc. Trid. *Ex Sacramentis quæ numerant, alia fuisse ostendimus temporaria: vt est infirmorum vnctio.* Et Ep. 399. *Nam neq; ita etiam decedere volumus quicquam dignitati Sacramentorum illorum, quæ temporalia dici possunt, quanquam eorum vsum desijsse sentiamus, cuiusmodi fuit vnctio ægrotorum.*

Iacobi verba iuxta Caluinũ de Sacramento loquuntur.

Hinc plurima corollaria vtilia etiàm errantibus deduco. Primo Sarcasmos, & risus Iubilantium, & hoc Sacramentum subsannantium à Caluino damnari; Toti in hoc sunt, vt doceant verba Iacobi ad Sacramentum non pertinere, at Caluinus ait fuisse tum Sacramentum. Secundo, Immanem hæreseos audaciam, atq; arrogantiam perpendo. Apostolis Sacramentum fuisse fatetur à Deo institutum, iam non esse Sacramentum opinatur; Quando ergo abrogatũ est? quando irritum Deus fecit verbũ suum? ante annos mille quadringentos, inquit; Id vero qua ratione probas? Nihil credendum definis, nisi quod scriptura continetur. Sed hoc Sacramentum à Christo institutum, centum annos validum, abrogatum esse nulla scriptura tradit, non igitur inter credenda censendum est. Vnde igitur probas legem de hoc Sacramento esse temporariam, de alijs non esse? *Effectus eius desijt?* Vnde vero hoc docetur? Effectus duplex est, primarius remissio peccatorũ, & confortatio in agone supremo, qui

Deus non sustulit Sacramentũ extremæ vnctionis.

semper

ſemper datur, ſi legitime Sacramentum vſurpetur: ſecundarius, ſanitas corporis, qui nunc aliquãdo, forte olim ſæpius, ſed non ſemper concedebatur. Alioqui nemo inunctorũ morbo occubuiſſet. Nõ igitur hinc colligitur Sacramenti à Deo inſtituti poſt centũ annos abrogatio. Imo vetuſtiſſimi illud ad nos pertinere demonſtrant. Nã Origenes hom. 2. in Leuiticum ſuo tempore ẽt impleri ait illud Iacobi; *Infirmatur quis* &c. anno igitur Domini ducenteſimo erat in vſu hoc Sacramentum. Nec anno 300. deſierat, eſt n. in Concilio Niceno can. 69. ex Arabico in latinũ verſo, vt teſtatur Bellarminus. Fuit & tẽpore ſancti Chryſoſtomi l. 3. de Sacerdotio. & Auguſtini ſerm. 215. de temp. *Quoties aliqua infirmitas ſuperuenerit, corpus & ſanguinẽ Chriſti ille qui ægrotat accipiat, & inde corpuſculum ſuum vngat, vt illud quod ſcriptum eſt impleatur in eo, Infirmatur aliquis, inducat presbyteros, & orent ſuper eum vngentes eum oleo, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Videte fratres, quia qui in infirmitate ad Eccleſiam cucurrerit, & corporis ſanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere.*

Poſt centũ annos Chriſtianiſmi manſit vnctio.

Auguſtinus igitur ſuo tẽpore non deſiiſſe effectũ huius Sacramenti oſtendit, & in Eccleſia, vt de re vſitata loquitur. Quin & ante Auguſtinum Innocentius primus Ep. 1. ad Decentium cap. 8. huius Sacramenti mentionem facit. Eandem doctrinam & vſum continuant ſequentes Patres & concilia, à quibus Waldenſes, Albigenſes, Wicleffitæ damnati ſunt.

Oppugnatores extremæ vnctionis damnati.

Itaq; inexcuſabilis eſt eorum cæcitas, qui cum Sacramentum à Chriſto inſtitutum, centum amplius annos vſurpatum, in Eccleſia continuatum, contra hæreſes defenſum agnoſcant, nunc è medio ſublatum volunt, & incondito impietatis iubilatu explodunt. Multo minus præ-

prætexere quicquam possunt, qui spuriũ hoc Sacramentum appellant.

De Sacramento ordinis non idem ipsi sentiunt. Caluinus lib. 4. instit. cap. 14. §. 20. *Hæc Iudæorum fuerunt Sacramenta ad Christi vsque aduentum: quo abrogatis illis, Sacramenta duo instituta, quibus nunc Christiana Ecclesia vtitur. Baptismus & cœna Domini. Loquor autem de ijs, quæ in vsum totius Ecclesiæ sunt instituta. Nam impositionem manuum, qua Ecclesiæ ministri in suum munus initiantur, vt non inuitus patior vocari Sacramentum, ita inter ordinaria Sacramenta non numero.* *Impie spuriũ vocatur, quod Christus instituit.*

Hoc si duntaxat quæritur, nulla superest controuersia, nam neque nos ita ordinationem institutam docemus, vt omnes initientur, pauci sunt Ecclesiæ ministri, si cum infinita aliorum multitudine conferantur. *Ordo paucorum est.*

Dubium vero nullum esse potest, cum sit in eo symbolum externum, manuum impositio, verbum, gratiæ promissio. 1. Tim. 4. & 5. Act. 13. & 14. & 20. Eph. 4. Deinde Dionysius Areopagita teste Luthero huius Sacramenti meminit, & ritum ordinandorum describit, cap. 5. Cum vero potestas ministrandi Sacramenta, atque aliarum rerum conferatur illo Sacramento, quis ambigat, etiam gratiam cum officio donari? Sane Caluinus l. 4. cap. 19. §. 13. *Superest impositio manuum, quam in veris ligitimisque ordinationibus Sacramentum esse concedo.* & §. 28. *Quantum ad verum presbyterij munus attinet, quod ore Christi nobis est cõmendatum, libenter eo loco habeo. Illic enim ceremonia est, primum ex scripturis sumpta, deinde quam non esse inanem nec superuacuam sed fidele spiritualis gratiæ symbolum, testatur Paulus. Et deinceps. Quod autem tertium in numero non posui, eo factum est, quod non ordinarium, nec commune est apud omnes fideles, sed ad certam functionem specialis ritus. Verum cum hic honor Christiano ministerio tribuitur, non est propterea quod superbiant Papistici sacerdotes,* *Caluinus concedit esse Sacramentum.*

omnes conciones prouoco, neminē ex omnib⁹ inueniemus. Aut vnus tandem nominetur. Hic Rhodus, hic salta.

Cœtera quæ idem ille congerit, puerilia sunt, & leuia. Vt matrimonium non ideo solum esse sacramentum, quia Christum repræsentat cum Ecclesia, non fuisse sacramentum ante Christum. Non esse omnibus commune, Christum sine matrimonio fuisse, non posse esse in ordinatis, non efficere vnionem Christi cum Ecclesia, coniuges esse ministros, non conferre gratiam: hæc & similia partim falsa, partim vecordiæ plena sunt. Nos enim signa gratiæ externa esse dicimus, contractū ipsum, deinde in lege nouâ inter baptizatos sacramentum, commune omnibus nuptias desiderantibus, & impedimentum non habentibus, Christum vero omnia sacramenta accepisse nemo Catholicorum dixit. Gratiam vero seruandi matrimonii, & prolis honestè suscipiendæ, educandæque dari omnes profitemur.

CAPVT. LIV.

Quid sentiendum de statu politico?



PRIMO quidem in libro de pace Germaniæ demonstraui, in omni quidem regno, sed tamen præcipue in imperio causas religionis, & politiæ connexas esse. Nunc quid de sententiâ Iubilantium dicendum sit, videamus.

Politia & Ecclesia coniungēda.

Primum eorum axioma est, *Papam, Episcopos omnes, prælatosq; nullam ciuilem administrationem habere posse.* Hoc plerique vehementer inclamant, longâ disputatione id agit Scharpius quæst. 6. de Antichristo. Cum enim sibi obiecisset, Ecclesiasticos habere iurisdictionem dono Principum, Respondet: *Licet controuersum sit antecedens, vt supra dictum, tamen neque sequi, quia tum acceptatio Papæ, tum donatio Principum fuit contra ius Diuinum, vt & etiam*

Episcopis negant ius administrandæ Republicæ, vt eos spolient.

[illegible] Pontificum: nam in Decretis Causa [illegible] 25. quæst. [illegible] Pelagius Papa ait Rescripta quæ surreptione, aut falsis precibus impetrantur nullum ius afferre & in glossa. Clericos qui ijs vtuntur, officijs & beneficiis expoliandos, Laicos vero excommunicandos esse, ad Principum r scripta, quibus Papa iurisdictiones obtinuit, erant subreptitia, si non ratione scriptionis & expeditionis, saltem ratione causæ in ijs allegatæ, quæ fuit, quod pietas Christiana posceret, vt illis donis & priuilegiis ornarētur Episcopi, expresse contra Dei verbum.

Et paulo post, ait non aliter quam per latrocinia Papam acquisiuisse temporalem potestatem. Deinde pergit Alexander 3. *Papa rescriptione in capite* vigilanti. *& Innocentius 3. Papa in capite*, Si diligenti. *& Concil. Lateranense in capite*, Quoniam. *& in canone*, Placuit 16. quæst. 3. *Canonistæ aiunt, sicut in malæ fidei possessore, tempus non tollit obligationem, neque ius aliquod acquirit, at bona fide Principatus illos Episcopi non obtinuerunt, qui contra Christi institutum vt supra: recte ergo Bell. ius Papæ cum regno per latrocinia acquisito comparat.*

Episcopos & Papam per latrocinia obtinere, nec præscribere: aiunt.

Deniq; principes qui Ecclesiæ bona donarunt, accusat:

Principes inquit *qui Ecclesiæ donarunt, vnde Pastores se alere possunt laudandi sunt, at qui immensas illas opes tradiderunt, vnde sumptuose & otiose viuunt, male fecerunt, quia ita Ecclesiam corruperunt, ideo recte illud* Religio peperit diuitias, sed filia deuorauit matrem: *habebant quidem principes zelum, sed nō secundum scientiam, qui vero iurisdictiones temporales contulerunt, impie fecerunt, quia Christi institutionem violarunt, nec Papæ Christi exemplum secuti sunt, qui quum Iudæi illum Regem constituere vellent, fugit:* Iohan. 6. 15. *Vide Bernardum in libris de consideratione: denique multi Papisticis hæresibus fascinati, bona Ecclesiæ tradiderunt, vt indulgentias & emerent, & Papa per seditiones contra Imperatorem & alios excitatas plures principatus possidet.*

Hinc

Hinc facile patet si sententia prædicantium res decidatur, omnem iurisdictionem temporalem Episcopis, & prælatis auferendam, nam impie donatam, & acceptam arbitrantur, per latrocinia acquisitam, & nunc nullo iure præscriptionis, sed tanquam à malæ fidei possessoribus, & latronibus iniuste teneri, ideo à principibus sæcularibus data occasione eripi omnino posse.

Adulatores principum illis spolia Ecclesiæ concedunt.

Nec fœdera vlla, aut pacta posse obsistere, vel leges imperii, quia ait esse contra legem diuinam. Hinc clarum est, fieri non posse, vt quamdiu hæresis ista dominatur, pax constituatur, cum altera pars alteram licet donationis, emptionis, præscriptionis iura prætendentem iniq; possidere, & latrocinio tueri se arbitretur, hinc legum, & iudiciorum omnem vigorem necessaria consequentia exstinctum eunt: quicquid enim pro Ecclesiastico quocunque Iudices Cameræ imperiales decernunt, id illi impostores contra ius & æquum pro latrone decretum esse affirmant. Si princeps sæcularis Episcopi alicuius opes ditionemque inuadat, atque occupet, vindicias à latronibus iure captas pronunciant. Hinc perpetuo decidere aliquid conantur.

Hæresis illa pacem tollit.

Hæc opinio summam inter status diffidentiam, & bellum ἀκήρυκτον efficit, quod etsi non semper geratur, semper tamen timetur, & paratur. Nec securus vllus Episcopus esse potest, si fidem his ministris aliquando credant principes sæculares, quos spe opum Ecclesiasticarũ in cædes, & exitia patriæ agere furor ministrorum assiduè conatur. Subactis vero direptisque Episcopatibus, fugatis, aut cæsis Episcopis, pastoribus, doctoribus libere hæresin suam exultare posse, grassarique confidunt. Sed errant, & errorem illorum Deus mundo iam dudum ostendit.

Causa diffidentiæ inter principes.

Primo quidem certum est, iure naturali sacerdotium & regnum, seu iurisdictionem ciuilem non pugnare. Nam

Iure naturali regnũ, & sacerdotium nõ pugnat.

in lege naturæ iidem & reges,& ſacerdotes erant. Gen.14. Melchiſedec, Moſes Exod. 18. eſt iudex & Pontifex, Et Heli. 1. Reg. 1. Maccabæi Principes fuere & Pontifices. Reſpondet Scharpius illa tum licuiſſe, nunc minime, deinde fuiſſe illa extraordinaria.

Hoc primum nobis omnino ſatis eſt, ſcilicet primogenitos ſimul principes & ſacerdotes fuiſſe, duoque illa officia Patriarchas, Prophetas, aliosque vſurpaſſe. Alterum falſum eſt: Nam in lege naturæ ordinarie fuere principes iidem, & ſacerdotes. deinde Maccabæi ordinarii Pontifices, & Principes fuere.

Secundo, Non eſt in nouo teſtamento cautum lege aliqua, ne idem Princeps ſit, & Epiſcopus, ſeu iuriſdictionem habeat ciuilem, & Eccleſiaſticam. Nam leges quas in hanc ſententiam allegant, nihil pro eâ faciunt, & argumenta ſunt friuola, quæ perpendere operæ precium fuerit, tantum vt Iubilantium ruditas, & ingenii imbecillitas appareat.

Argum. 1. *Quæ Deus ſeparauit & diſtinxit, illa non ſunt ab hominibus confundenda, Matth. 19. 6 at Deus munera ciuilia, & Eccleſiaſtica, tam ſub veteri, quam ſub Nou. Teſt. diſtinxit, perſonis adminiſtrantibus, cauſis, legibus, pœnis, &c. (niſi extraordinarie & certis tēporibus) vt 2. Chron. cap. 19. Matth. 18. 15. ergo in perſona vnius hæc ſimul eſſe non poſſunt.*

Olim iuncta fuere officia Eccleſiaſtica & ciuilia.

Reſponde, Matth. 19. 6. ſcriptum eſt, *quæ Deus coniunxit, homo non ſeparet:* agit autem de matrimonio. Deinde 2. par. 19. Ioſaphat officia templi: & ciuilia diſtinxit. At vero non eſt rationi conſentaneum, vt quamuis aliquando illa ſeparata ſint, vt nunquam coniungi queant. Sunt enim talia, vt pro ratione temporum mutentur, in Moſe, Heli, Samuele, Maccabæis vtraque poteſtas coniuncta fuit. Quin & Eleazar filius Aaronis Ioſ. 14. 1. partitur *terram filiis Iſrael, & Ioſue filius Nun, dare vero terram,* vt ibi ſcribitur,

ſcribitur, ad ſæcularem pertinet iuriſdictionem. Quæ vero ſpecies eſt argumenti : Deus matrimonio coniunctos ſeparari non voluit, non ergo Epiſcopus poteſt eſſe iudex in cauſa ciuili, aut adminiſtrare partem Reipublicæ, ne pagum quidem?

Argum. 2 *Quod Christus ipſe ad ſe pertinere negat & recuſat, id ad illius ſucceſſores & miniſtros pertinere non poteſt, quia nullius poteſt eſſe maior authoritas, quam Chriſti, Matth.10.24. at negat Chriſtus, iuriſdictionem ciuilem ad ſe pertinere, Luc.12.14. Iohan.6.15.& c.8.11. ideo recte Chryſoſt. hom.42. in Iohan. hoc fecit, vt admoneret de humanarum dignitatum contemptu, & oſtenderet ſe nullis ſecularibus rebus indigere. Ergo.*

Reſpõdeo, Luc.12.14. Fugit Chriſtus officium iudicandi, *Homo quis me conſtituit iudicem aut diuiſorem ſuper vos?* Iohan. 6. 15. *Fugit cum vellent eum facere regem.* Iohan. 8. 11. quærit ex adulterâ : *nemo te condemnauit*, & reſpondenti: *nemo. Nec ego*, inquit, *te condemnabo.*

Sed nihil hæc conficiunt contra iuriſdictionem Epiſcoporum temporalem. Chriſtus enim diuiſionem illam reiecit, non quia iudicare non potuit, ſed quia legitimam ob cauſam noluit, nam primo habebant illi ſuum magiſtratum: deinde ex illa diuiſione Phariſæis calumniandi, magiſtratui ſæuiendi occaſio dari potuit. Deniq; non venerat ad agellos diuidundos. Quod ſi hoc factum ita accipitur, vt omnis iuriſdictio, & ciuile officium ab Epiſcopo auferatur: non poterunt Miniſtri Euangelici, vel diuidere agros, vel arbitri eſſe, aut teſtes rerũ politicarum. Quis enim eos cõſtituit diuiſores? Fugit Chriſtus regnum, quia honores fugiendos exemplo docuit. Fugerunt regna, & Epiſcopatus viri multi, ſancti, & prudentes: alii tamen eadem ſine fraude, ſine culpâ acceperunt. Si datum exemplum obligat, omnes igitur regno arcet. Fugiendum eſt enim quod Chriſtus fugit. Nam Donatiſtæ, Libertini, Anaba-

Chriſtus aliqua fecit, & aliqua omiſit, quæ nos non obligant.

Anabaptistæ his verbis contra magistratum vtuntur. Munus enim imperandi in se malum esse aiunt. Atque vtinam ministri exemplo Christi potius, quam suis moribus viuerent. Christus enim non habuit vbi caput reclinaret, Christus vxorem non duxit, nec tamen hactenus in ministris imitatorem inuenit. Fugiant igitur possessiones, & vxorem, quia Christus fugit.

Argumentum 3. *Si regnum Christi non est ex hoc mundo, nec circa res huius mundi, tum nec officium Ministrorum debet esse circa res politicas & principatus ciuiles, at prius,* Ioan. 19. 36. 1. Cor. 4. 1. 2. Cor. 10. 4. *ideo recte Ambrosius, non conuenit vni duplicem habere possessionem: &* Lyra in cap. 6. Ioan. *Christus non acceptauit honorem, dans Exemplum fugiendi honores.*

Honores fugiendi sunt omnibus, nisi legitima de causa admittantur.

Respondeo. Regnum Christi non erat de hoc mundo, vt mundana potentia, & opibus fulciretur, venerat enim vt non modo regno non vteretur, sed ne possessiones quidem haberet: Non tamen vetuit Christianos habere regna, quamuis Episcopi sint, sicut nec habere possessiones, & possunt circa negocia ciuilia, imo interdum debent occupari, si ita salus Reipublicæ & religionis causa postulet. Sane si nobilis, si baro, si comes, si princeps aut Rex ministerio se Ecclesiastico mancipare vellet, si per impositionem manuum ordinaretur, iure non possent eum iurisdictione, & regno priuare. Cur enim tanta eum pœna dignum arbitrarentur, vt se, filiosque, suscipiendo munere prædicantis exueret? Potest igitur superintendens Caluinianus, aut Lutheranus vtramque iurisdictionem tueri, cur igitur non poterit Catholicus?

Nobilis si prædicans fiat, iure suo excidet?

Argumentum 4. *Quod Apostolis vetitum fuit, qui erant primarij post Christum Ecclesiæ Ministri, id aliis non licet, at principatum exercere Apostolis simpliciter vetitum fuit,* Matt. 20. 25. Marci 10. 43. Luc. 22. 25. *ideo recte Tertull. de idololatria,*

Idolatria, c. 18. Christus gloriam seculi sibi & suis alienam esse iudicauit, & Bern. lib. 2. de consideratione, c. 4. *Apostolis interdicitur dominatus, ergo tu vsurpare aude, aut Dominus apostolatur, aut Apostolus dominatur, plane ab vtroque prohiberis: & Cyrillus in Ioh. lib. 3. cap. 20 honor & gloria mundi fugienda sunt ijs, qui volunt gloriam Dei consequi, Ergo.*

Respondeo. Locum Matthæi 20. 25. esse fulcrum, sed ruinosum hæresis cauillatricis, *scitis* (ait dominus) *quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, &c.* Verum nihil ad rem præsentem: illis enim verbis durus, & imperiosus dominatus, qualis est hominum sua commoda quærentium prohibetur, hoc est enim, κατακυριεύειν dominatum violento premere, hoc est, κατεξουσιάζειν potestatem in subiectos cum fastu exercere. Itaque non imperium, sed imperii abusus, violentia & superbia verbis illis reprehenditur.

Dominationis superbia, nō potestas neganda Episcopis.

Obiiciunt eundem locum contra magistratum Anabaptistæ, quibus respondet Scharpius. *Christus enim distinguit ministerium à dominatu ciuili, etiam legitimo, quia nō vult ministros dominari in Ecclesia, vt reges in regno.* Addendum vt reges gentium in regno, vt illo tempore Herodes, Tiberius, alii.

Apostoli omnia reliquerunt, ideo nec regna habuerunt. Quis prædicantium reliquit omnia?

Argumentum 5. *Christus non mittit Pastores ad aliud munus exercendum, quam illud ad quod missus fuit à Patre*, Iohan. 20. 21. *at Christus non fuit missus ad politicum principatum exercendum, vt Bell. concedit supra* c. 4. *ideo recte Chrysostom. hom. 11. in Epist. ad Ephes. sermonis doctrina nobis commendata est, non potestatis authoritas.*

Respondeo. Pastores à Christo mitti ad munus spiritale exercendum, nec illa missione ciuile imperium dari: sunt enim distincta imperia, & munia. Non tamen prohiberi, quo minus ad salutem Ecclesiæ, & Reipublicæ etiam

Missio spiritalis ex se non est iuncta cū imperio tēporali.

etiam curam ciuilem suscipiant pastores. Sane magistri discipulis constituuntur, vt eorũ ingenia expoliant, moresq; forment, non tamen vetantur etiam eorum causas agere, sanitati, victui, habitationi consulere. Imo id sæpe necessarium est.

Quamuis igitur missio ad munia, sollicitudinemq; ciuilem non obliget, crebro tamen est vtilis ea cura, interdum necessaria, non autem vetita. Nisi quispiam forte Ambrosium reprehendat, dum periculosas legationes pacis causa obit, aut alios Episcopos suorum saluti inuigilantes condemnet. Quid porro facient Episcopis Germaniæ Lutheranis Lutherani, aut Caluinianis in Anglia Caluiniani, qui non modo late imperant, sed regia etiam officia in aula administrant?

Argum. 6. *Si officia necessaria etiam naturalia sunt omittenda, vt officio Ecclesiastico Ministri fungantur, tum multo magis debet minister abstinere ab officio & Principatu politico: at prius* Luc. 9. 60. *ideo recte Concilium Calced.* can. 7. *vetat ne Episcopus, sub pœna excõmunicationis, recipiat seculares honores: & can. 3. ne vllus Clericus suscipiat in se tutelam & curam Orphani.*

Respondeo. Naturalia officia Christum non vetuisse. Vocabat discipulũ, ille veniam petit sepeliendi patris, id illi negat Christus. *sine*, inquit *mortuos sepelire mortuos suos*, *Tu autem vade, annuntia regnũ Dei.* Dilationem, & inducias ille postulabat, & quidem incerti tẽporis, ad mortem vsq; patris; quid si enim pater vitam nõ in longum modo tempus, sed etiam vltra filii annos produceret? Hæc tarda molimina Christus abscindit. Nec enim pater mortuus erat, sicut nec illi mortui, qui mortuos sepulchro mandaturi erant, sed mortui fortasse, quia vitam gratiæ amiserant. Ita sane Beza interpretatur. *Vera videlicet vita expertes, & doctrina de vita aterna cõtumaciter resistentes.* Quod si hæc sen-

Vocationi cito est parendum.

tentia

tentia Christi domini iubet ministros Ecclesiæ ab omni naturali officio abstinere, adeo vt nec parentum funeri interesse possint, quis excusare tentabit prædicantes, qui parentes funerant, hæreditatem adeunt, cum aliis sæpe litigio & iure diuidunt? Imo matrimonia ineunt, aliisq; procurant, filias nuptui dant, filiis vxorem deducunt domũ. An non sunt ista sæcularia? Quorsum igitur ille.

Argumento septimo adducit exemplum de militibus, qui se non implicant negociis sæcularibus? An nescit hæc eo vsq; noxia, dum impediunt spiritualia, alioqui vtilia & diuina esse? Ciuilia negocia à viro spirituali ad gloriam Dei possunt spiritualiter agi. Certe Augustinus non modo causas iudicauit, sed id moris esse significat. Ep. 147 *Et homines quidem causas suas seculares apud nos finire cupientes, quando eis necessarij fuerimus, sic nos sanctos & Dei seruos appellant, vt negotia terræ suæ peragant: aliquando agamus & nos negotium salutis nostræ, & salutis ipsorum, non de auro, non de argento, non de fundis & pecoribus, pro quibus rebus quotidie submisso capite salutamur, vt dissensiones hominum terminemus, sed de ipso capite nostro tam turpis inter nos & perniitiosa dissensio est.*

Milites quædam ciuilia exercere possunt.

Augustinus causas iudicauit.

Verum hæc ita tractanda sunt, vt secundaria, atq; vt spiritalia non impediant. Sanctum esse, atq; vtilissimum opus Reipublicæ causas, controuersiasq; audire, & finire, nemo est, qui non intelligat, nisi adeo contentiosus sit, vt discordiis, litibusq; delectetur.

Arg. 8. *Qui totus debet esse in lectione & prædicatione, tempestiuè, intempestiuè, vt possit animarum rationem reddere, is non debet præter officium Ecclesiasticum, etiam ciuile exercere, at, talis debet esse Minister Dei Rom. 12. 17. 1. Tim. 4. 15. 2. Tim. 4. 2. ideo recte Carthag. concil. 4. c. iubet Episcopum attendere solum prædicationi, lectioni, precationi: & Canones Apostolorum iubent, excommunicari Episcopum, qui secularibus rebus se implicat.*

 Respon-

Prædicatio non impedit omnia officia. Respondeo. Apostolus inquit, *hæc meditare, in his esto*. Et, *prædica verbum. &c.* Episcopis omnibus hæc dicta: Verum ita, vt nec hospitalitatem, nec alia omittant. Possunt vero ista præstare, & hæc non omittere. Nonne potuit Dauid in lege domini meditari die ac nocte, & tamen bella gerere, regnum administrare, vicinas gentes subigere? Nonne multi sancti reges id egerunt, quamuis multis, maximisque regnis imperarent? Cur igitur Episcopus aliquis ditiunculam administrare nequeat, & simul animarum saluti inuigilare? Tria regna magnæ Britanniæ rex in vnum corpus redacta administrat, & est tamen caput Ecclesiæ, cur non Episcopus Cantabrigiensis aliquot oppida curare possit? Nec queri hac de re ministri possunt, qui domesticis publicisque rebus impliciti meditationi rerum diuinarum minimam temporis partem assignant.

Argumentum 9. *Si Apostoli, qui multis Ecclesiæ Ministris, donis inferiores non fuerunt, non poterant, duo Ecclesiastica munera exercere, inter quæ maior est affinitas, quam inter Politicum & Ecclesiasticum, tam multo minus possunt alij Ministri Principatum ciuilem & Ecclesiasticum administrare, at prius,* Actor. *6. 2.* & 4.

Respondeo. Apostolos inter magistratus Iudæorum, & gentium versantes nullam iurisdictionem ab illis accepisse: Potuisse tamen eos iudicare. Imo Paulus Apostolus quod plus est, quam iudicare, nouum tribunal erexit. 1. Cor. *6. 4. sæcularia igitur iudicia si habueritis: contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum.* Ecce *Paulus tribunalia coniunxit.* ipse inscio Cæsare, in media Ecclesia iudices rerum sæcularium constituit. Si sine iurisdictione cur id fecit? si cum iurisdictione, potestatem igitur habuit hoc imperandi. Duo igitur munia illa ab vno possunt exerceri: cur igitur vnus Pastor minimi pagi, non posset eundem & ciuili & spiritali iurisdictione regere, cum vnus rex tot regna administret?

Ad

Ad argumentum 10. & 11. iam responsum, cura pastorum spiritalis tantum spiritalia, ciuilis etiam ciuilia officia exercet.

Argumentum 12. *Si nemo est idoneus ad solum munus spirituale exercendum, tum qui ad illud est vocatus, nō debet aliud ciuile exercere, at prius, 2. Cor. 16. Ergo.*

Respondeo. Nemo plane ciuile imperium nisi vocatus administrat, quicumque enim Episcopi sæcularia suarum diœceseon negocia tractant, ad hoc legitima electione vocantur.

Argumentum 13. *Si licet Ministro exercere Principatum politicum, tum licet politico Magistratui fungi officio Ecclesiastico, quia horum par est ratio: at consequens est absurdum, vt ex scriptura patet: nam qui hoc sibi arrogarunt, grauiter à Deo puniti fuerunt, vt in exemplo Oziæ Regis, & aliorum videre est, Ergo.*

Respondeo. Longe diuersam esse rationem. Quia multo eminentior est sacra, quam ciuilis potestas. Deinde legitimo sensu hoc concedi potest. Quemadmodum Episcopus ciuitatem politice regere potest, si hoc ei regimen offeratur, ita princeps si sacris initietur potest sæcularem iurisdictionem retinere. Non enim certis familiis sacerdotium Christianum continetur, quemadmodum Leuiticum, itaque ad hanc rem nihil facit Oziæ regis exemplum.

Princeps ordinari potest, nec ideo principatum amittet.

Ad argumentum 14, responsum est. Episcopi enim ex vocatione, & officio non sunt iudices rerum sæcularium, aut Reipublicæ rectores, sed donatione & vocatu principum, quamuis Ecclesia iussu Episcoporum suam habeat in iudicibus constituendis quandam libertatem, vt ex S. Paulo docui. In primâ vero Ecclesia principes non fautores, aut patroni, sed carnifices erant Episcoporum, nec dignitate illi eminebant, sed in speluncis & cauernis terræ delitescebant.

 Hæc

Hæc illa non modo contra Catholicos, sed Lutheranos & Caluinianos, qui variis locis Episcopali titulo, & potestate tam sæculari, quam spiritali, sed magis sæculari vtuntur. Obiiciunt alii multos abuti opibus Ecclesiæ. Verum est, sed abusus ad vitia hominum pertinet, non autem ad ordinis confusionem. Multi diuitum lasciuiunt in luxuriis suis, non tamen ideo rerum suarum domini esse desinunt. Sic ipse Scharpius de magistratu, q. 1. obiect. 7. argumentum Anabaptisticum proponit. *Multi Principes abutuntur potentia, & pauci fuerunt boni.* Respondet: *Est captio ab Accidente, quia vitia personæ, non vitiant officium, simile est, Iudas fuit malus, ergo Apostolicum officium reyciendum. Negatu, sequi, Deinde plures fuerunt boni reges.*

Abusus opum est etiam in sæcularibus.

Scharpius Mennonizat.

Idem plane sibi responsum putent qui res ipsas propter abusum sublatas cupiunt.

Alterum Sectariorum Iubilantium axioma est. Leges ciuiles, seu leges magistratuum non obligare in conscientia, ita de magistratu Scharpius q. 2.

Hinc consequitur primo. Ex sententia aduersariorum omnem vim legum, auctoritatemq; magistratus eneruari, atque abiici. Si enim conscientiam leges ciuiles non constringunt, ergo nec imperium magistratus. Nam legem ita definit Scharpius q. 1. *Lex nihil aliud, quam regis iussio.* Si igitur præcipua iussio, quæ ferendis legibus constat, non obligat conscientias subditorum, multo minus aliæ, quæ minore studio, solennitate, curaq; promulgantur. Secundo. Hinc originem videmus conturbatæ pacis in Germania. Postquam enim sine crimine leges ciuiles migrare se posse audierunt homines, quos ante leges vix regebant, quicquid moliri contra leges potuerunt, id licitum duxerunt, hinc contemni edicta Cæsarea, eludi iudicium Cameræ, vexari leges omnes, sententiæq; iudiciorum, si enim conscientiam non obligat legislator, nec metus

Magistratus politici authoritatẽ tollunt.

Prædicãtes omnia iudicia tollunt.

metus vindictæ incumbit, cur pareant illi legibus, quibus id damnosum est? Huic igitur sententiæ discordias, & clades tribunalium debemus, hinc tot exortæ lites, & causarum pendentium ac reuidendarum rixosa immortalitas.

Quam vero illi perniciose, grauiterq; errent, multa nos docent. Nam legis communis est ratio, vt obliget, non modo ad pœnam, sed etiam ad culpam, nisi speciatim id excipiatur. Nec rationem eleuat Scharpius, cum ait, *Ius in conscientiam habere neminem, nisi solum Deum.* Quia ius hoc in conscientiam à lege Dei dimanat, si enim magistratus vicarius est Dei, ergo loco Dei imperat, obediendum est igitur tanquam à Deo misso, ideoq; peccant, qui illi repugnant. Deinde q. 2. licet, inquit Scharpius, patrifamilias liberos, & seruos disciplina regere, castigare, prœmiis afficere, ergo & magistratui, qui est pater Reipublicæ. Conclude amplius, ergo & obtemperandum est subditis, sicut filiis. Inter grauia enim peccata filiorum refertur, parentibus non obedire. Hinc idem Scharpius quæst. 1. *Magistratus dicuntur Dij, quia à Deo instituti Dei locum tenent Iosuæ 10 v.35. & qui magistratum reijciunt. 1. Sam. 8. 7. ergo. Officium cuius leges præscribit Deus, est à Deo: at magistratus leges præscribit Deut. 17. & alibi, ergo.*

Omnis lex obligat.

Magistratus loco Dei imperat.

Qui dantur & mittuntur à Deo vt serui Dei etiam propter bonum Ecclesiæ, illorum officium est bonum, & inter Christianos tolerandum, At magistratus sunt tales, ergo, vide Prouerb. 8. 15. Isa. 10. 5. & 45. 1. Ier. 27. 6. Ezech. 29. 20. Dan. 2. 34. & alibi, ergo.

Et deinceps *Præcipitur in N. Test. vt magistratui nos subijciamus, vel Ethnico Matth 22. 21. Rom. 13. 1. & seq Tit. 3. 1. Pet. 2. 13. Ergo multo magis licet subesse magistratui Christiano, & si licet subesse magis praeesse, ergo subesse magis contrariatur libertati Christianæ quam praeesse. quod autem Deus præcipit est bonum, & inter Christianos tolerandum, ergo.*

Cum

pter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis, ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem honorem.

Respondet Scharpius, *Apostolum tantum contra eos agere, qui magistratum damnant, aspernantur, & ab eius obedientia se subducunt.* At qui leges singulares à magistratu positas transgreditur, ille ab obedientia sese subducit. Scharpius vero ingentem confusionem rebus inducit. *Leges regum tum tantum obligant conscientiam, cum promulgant ea, quæ Deus præcepit.* Eum si audiant subditi, omnia principum suorum imperia, legesq; & ordinationes in biblijs quærent, quas si non inueniant, libera conscientia omnia repudiabunt. Ego hanc doctrinam solam euertendę Reipublicæ satis esse puto. Deinde neminem esse ex regibus & principibus Euangelicis credo, qui non eam, vt pestilentem, & statui suo exitialem detestetur. Quandoquidem omnis vis imperantis eluditur, si parendi necessitas tollitur. Non potest vero illa imponi, si conscientiæ libertatem violandi retinent.

Conscientia sublata imperij vis nulla est.

Non est dissimulanda Satanæ in subuertendo ordine, & disciplina consilium. Initio turbarum, Prælatorum Ecclesię auctoritatem, potestatemque, & leges disputando conuellebant, Magistratum politicum tueri se profitebantur, imo multum etiam iuris in Ecclesiam vltro largiebantur. At vero vbi Ecclesiasticas leges vi, arte, vitijsque oppresserunt, Politicas aggrediuntur, earumq; neruos dissoluunt. Minus enim illis, quam Ecclesiasticis tribuunt. Sic enim Scharpius q. 2. *Si leges Ecclesiasticæ non obligant conscientiam extra casum scandali, & contemptum, tum multo minus ciuiles.* Ecce tibi, leges ciuiles infra Ecclesiasticas ponunt, quid aliud superest, quam vt quemadmodum Canones Lutherus in cinerem redegit, ita quoque

Dissoluendæ reipubl. initium à prælatis, si nisi in principibus.

Pandectas, Codicem, omnes Nouellas, omnia Germaniæ iura, totam Cameram, atque adeo iustitiam ipsam exurant?

Tertium axioma est; Licere magistratus ipsos occidere. De quo errore in libro de Syncretismo actum est à me, sed à quodam anonymo quædam sparsa intellexi, de quibus breuiter lector instruendus est. Primo verba adferam, deinde defensionem.

CAPVT LV.

C. 4. de Syncretismo.

Secundarium Syncretismi Scopum esse duplicem, euersionem Lutheranorum, & Seruitutem Principum Caluinianorum.

Pugnam vertent in Lutheranos.



Ontifice cum defensoribus occiso, postquam carnes eius deuorarint, multosq; exusserint, cadaueribus Tiberinum alueum obstruxerint, syllana tempora reduxerint, quibus *in fluuium primi cecidere, in corpora summi*, tum vertent in commilitones Lutheranos ferrum & cadmæa pugna Romanis manibus parentabunt. Si enim Papa simplex, simplicesque Papistæ tam erant conficiendi atrociter, quid meritos dicent *duplices Papas, duplicesque Papistas?* Lutheranos enim ita appellare ministri Caluiniani solent, *vt libro de illorum vnione probaui.* Deinde causas easdem bellandi contra ipsas habebunt, quæ eos ad Syncretismum, & certationem aduersum Catholicos impulerunt, principes suos dicent *oportere tyrannidi Lutheranæ resistere, etiam gladio, & vi eam impediendo, idola frangendo,* nam & Lutheranos idolis patrocinari Pareus existimat, in Rom. 1. dub. 18. Tertio, Lutherani Caluinistas bello per-

persequendos censent, quis autem credat de hostibus suis benignius consulturos esse Caluinianos, quos de se non nisi crudelissime cogitasse sunt experti? Ioachimus Westphalus, *quoscunque Caluinistis fauere compertum fuerit, toto orbe exterminandos clamitat: gloriatur se scripsisse: Caluinianos gladio potius Magistratus, quam stylo esse refutandos*: Auctor est, *vt non modo professoribus Zvvinglianæ doctrinæ, sed etiam approbatoribus interdicant aqua & igni Magistratus*, ita Caluin. vlt. admon. ad Westphalum. Hanc partem leuiter nunc ordinis causa attingo, ipsos Lutheranos causam suam agentes suo loco producam, inter omnes enim causas hæc præcipua est: De Lutheranorum itaque sententia rationes nouemdecim causam explicabunt. Ne tamen turbones Caluinistæ se ita tegere, atque opprimere putent posse animi sui propositum, vt non emanet in vulgus, atque innotescat, paucis cum illis agam, atque ita leniter, vt offendi, ita vere, vt respondere non valeant. Agite pax esto, coalescat Syncretismus; consulere Lutheranis vultis, scindi fraternitatem nefas esse ducitis. In omne æuum nobis occisis, pacificè cum illis viuere pollicemini. Si scientes volentes non fallitis. Agite, hoc vnum pro Lutheranis omnibus orator oro, quæsoque: Sinite illos vel ad vnum mensem in Marchionatū Electorali suum tenere locum, non vt semper maneant precor, nimium hoc est, spacium fugæ aliquod, & exiguam temporis vsuram postulo, pignus illud vestræ humanitatis & Syncretismi habeant, ne pellite, quos tam coniunctos vobis esse peroptatis. Hoc si impetro moderationis vestræ laudator existam, si negabitur, quid Lutherani sperare possint, non video. Fundos & hæreditates illis cedetis, quos tam præpropere, ita auide pellere cœpistis, vt vestra importunitate miseros in furorem egeritis? quibus nec precariam

Lutherani gladio agẽdum in Caluinistas aiunt.

Lutheranos à Caluinistis tutos nō esse.

ad tempus possessionem indulsistis. Si potentia seculari premere illos pergitis, quid victi expectent. cum adhuc stante fato; tam dira patiantur? cum adhuc lenocinantibus syncretismi blanditijs exilia, proscriptiones, carceres sentiant? Quid autem, si ex Pareo planum facio Lutheranos non modo tutos esse non posse, viuis Caluinianis. Sed nec ipsos quidem Reges & Principes Caluinianos nisi seruitutem seruiant, Ministrorum suorum fraudes, atque violentiam declinare posse? Tanta est Zwingliani energematis prauitas, vt in sua viscera ferrum conuertat, cum materia crudelitatis in exteros intentatæ subtrahitur. Pareus in Rom. 13. ita docet. Prop. 2. *Subditi non priuati, sed in Magistratu inferiori constituti, aduersus superiorem Magistratum, se & Rempublicam, & Ecclesiam, seu veram religionem etiam armis defendere iure possunt. His positis conditionibus.*

Documenta ad perniciē principum.

I. Cum superior Magistratus degenerat in tyrannum. II. Aut ad manifestam idololatriam, atq; blasphemias ipsos, vel subditos alios vi vult cogere. III. Cum ipsis atrox infertur iniuria. IV. Si aliter incolumes fortunis, vita & conscientia esse non posint. V. Ne prætextu religionis, aut iustitiæ sua quærant. VI. Seruata semper ἐπιεικείᾳ & moderamine inculpatæ tutelæ iuxta leges. Ex hisce conficere sibi rationes suas possunt Principes Lutherani, & Caluiniani.

Causa Caluinistica occidendi reges.

Primo. Si Caluinianum Consistorium me iudicet Tyrannum, armare in me prætorem, cum libebit, licere arbitrabitur. Tyrannum vero dicet, si vbiquitarios rigidos, & sæuos veritatis hostes feram, ac foueam. Si Caluinianos exterminem.

Secundo. Quanta licentia suum illud decretum sanciet, licere Satrapæ Ecclesiam suam contra Magistratum maiorem defendere. An si Ecclesiolam Wittebergæ, aut Lipsiæ Caluinistæ congregauerint, eam armis consul, aut

Satrapas contra Electorem tueri iure bono poterit? Quam late pateat illud: Ecclesiam defendo, Religionem veram tueor; nemo ignorat, nisi qui adeo in Europa peregrinus est, vt nesciat, quam multis religionibus vera fides iactetur. Si Magistratui inferiori aduersus superiorem in ea causa datus est gladius, à Crellio occidi potuisse olim Saxoniæ principem concedant necesse est.

Tertio. *Si ad manifestam blasphemiam velit cogere.* Nempe impanationem, vbiquitatem, si quis Lutherice docet, si subscribere articulis illis, aut cedere de statione iubet, de sententia Parei, occidi princeps ille à Prætore suo potest.

Quarto. *Si atrox inferatur iniuria.* Atrox sane iniuria est, pro pane cœlesti, pro salutari Eucharistia, subditis dare in Ecclesia *Excrementum, cuius ipsum Diabolum apud inferos pudere debeat,* hoc tacere Lutheranos ait Beza; *vide defensionem Phortzhaimensium pag.* 205. Ergo iudicat Princeps qui ditionibus suis panes, offasque Zvvinglianas excludunt, cænam Lutheranam imperio, & armis tuentur, atrocem iniuriam inferre.

Quinto. *Si aliter conscientia incolumes esse non possunt.* Quando vero se homines sanctissimi conscientia incolumes esse dicent? quando fortunis, & vita? si optima illis fide ministeria sua Lutherani cedant, si omnia deserant, si suarum rerum occupatoribus graues non sint, si libere docere, reprehendere aduersarios, cogere concilia; armare consistoria concessum fuerit. Nunquam ego dubitaui, quin ipse Pareus id nunquam sibi ipse probarit, quod nos credere postulat. Prætorem quempiam Zvvinglianismo dementatum, si sese putet viuo suo principe conscientia incolumen esse non posse, ius ac potestatē vitæ ac necis in Dominū suum adeptum esse. Quid enim

Ingens periculum principi Lutherano à Caluinistis.

enim si conscientia eius tam cauteriata est; quam tergum Caluini? quid si fanatica est? quid si impia? quid si Caluiniana? Adeone vita Principis Lutherani de conscientia Caluiniani subditi pendebit? Quid si ille conscientiam lædi suam profiteatur, quod Sacramenta ritu Gebennensi non dentur? quod conciones suaues, quę scelera Dęo transcribunt non audiat? Quod liberos suos erudire sacris Gebennensibus, atque initiare prohibeatur? An is incolumitatem conscientiæ, periculo Principis; sanctitatem; sanguine Magistratus; securitatem, morte Imperantium sibi parabit? Hæc Magistratibus consideranda relinquo, ad alia progredior. Quinque rationes probandæ propositioni suæ producit, quibus exceptionem de *ἐπιεικείᾳ inculpatæ defensionis euertit.*

Cur possit inferior Magistratus superiorem occidere?

Ratio I. *Quia etiam superior Magistratus est subiectus legibus diuinis & suæ Reipublicæ. Esset enim manifesta impietas, & scelus, Magistratum quantumlibet sublimem se velle eximere legibus, quod patet, quia Rex iubetur legere Deuteronomium, seu legem diuinam.* Deut. 17. Ios. 1. 8. *Ergo Deus vult regem legibus diuinis subiectum esse. At lex Dei non modo tyrannidem prohibet, sed etiam iubet legitime eam coerceri:* Qui sanguinem hominis effuderit, &c. *Item: Imperator in Codice testatur*, se contra ius nolle, vt sua decreta in iudicijs locum habeant, sed debere irrita fieri, si forte cognoscantur à iustitia discedere. Et lib. 4. C. de leg. prin. Adeo. *Digna vox est Maiestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri. Ergo etiam superioris Magistratus tyrannis, aut latrocinia coerceri debent ab ordinaria potestate: quæ est in qualibet politia, vel Magistratus inferior, vel consensus populi.*

II. *Quia inferioris Magistratus non minus, quam superioris officium est defendere vitam, & salutem subditorum contra iniurias atroces, & vim iniustam latronum, & tyrannorum*

siue

siue externorum, siue domesticorum: quod probatur, quia etiam de ipsis dicitur: Est minister Dei tibi in bonum: non est terrori bonis operibus, sed malis. Gladium non gerit frustra [: est vltor ad iram DEI, qui quod malum est, facit. *Ergo cum superior Magistratus quod malum est facit: & atrocibus iniurijs in subditos, aut blasphemijs in DEVM, inferior debet esse vltor ad iram, &c. Item, quia ideo inferiores Magistratus adduntur superioribus: tum vt sint socij gubernationis, tum etiam vt horum moderentur immensam licentiam: Ergo cum istam frenant, vtuntur authoritate & gladio per legitimam vocationem sibi diuinitus tradito.*

III. *Quorum est constituere Magistratus, eorum est etiam enormiter grassantes coercere, aut tollere, nisi desistant grassari contra Deum, & contra Rempub. constituuntur autem vel per populi consensum, vel per Senatum, vel per electores; vel per alios Magistratus. Ergo hi recte faciunt, cum coercent, aut tollunt grassatores.*

IV. *A simili: Magistratus furiosus recta amouetur authoritate publica: vt Nabuchodonosor in furiosam bestiam conuersus ab hominum consortio fuit abiectus*, Daniel. 4. 13. *At furioso similis est grassator, & tyrannus atrox.*

V. *Idem exempla laudata confirmant tam sacra, quam profana. In historia Iudicum sæpe leguntur Israelitæ per suos iudices Deo approbante insurrexisse aduersus vicinos tyrannos, à quibus crudeliter tractabantur. Ezechias Rex pius ab Assyrio tyranno defecit, cumque bello ab eo peteretur, armis se contra eum defendit* 2. Reg. 18. *Nec refert quod hi fuerunt tyranni externi: Domestici enim tyranni ab externis nihil differunt, imo magis sunt reprimēdi, quia periuri & nocentiores. Sic populus restitit Sauli Regi stolido & sano Ionathan filium trucidare volenti* 1. Sam. 14. 45. *Ahikam defendit Ieremiā Prophetam contra Regem Ioakim interficere eum volentem Ieremiæ* 26. 24.

26. 24. *Athaliam tyrannum sustulerunt centuriones & principes* 2. Reg. 11. *Macchabæi contra Tyrannos Macedonicos se & Rempublicam armis tutati sunt. Trasibulus* 30. *Tyrannos Athenis eiecit. Romani consensu publico expulerunt reges flagitiose regnantes: sæpe consules se abdicare Magistratu coegerunt: Neronem & Maximinum tyrannos hostes iudicauerunt & sustulerunt. Electores VVenceslaum ignauum & luxuriosum imperio abdicauerunt, suffecto in eius locum Ruperto Elect. Palatino ædis Cathedralis huius oppidi conditore anno* 1400.

Deniq; Traianus laudatur apud Dionem, quod præfecto prætorio gladium tradens dixit: Hoc pro me vtere, si iusta imperauero, contra me si iniusta.

Facilis ansa Caluinistis in Lutheranorũ principum mortes.

Quomodo improborum sceleri atq; audaciæ ad securitatem principum tollendam rationes tam præclaræ ianuam aperiant, quia res ipsa docet dicere amplius non debeo. Quid enim? *Princeps Reipublicæ suæ legibus subiectus est?* Sit sane non iam hoc disputo. An etiam ea lege, vt pœnas dare Reipublicæ debeat? vt in eum simul ac deliquerit lege agi debeat? Ita tu quidem sentis. *Quia*, inquis, *lex Dei iubet tyrannidem legitime coerceri, qui Sanguinem hominis effuderit, &c. ergo coerceri debet superior Magistratus ab inferiori.* Si igitur princeps Lutheranus aliquo delicto, quod pœna capitali sancitur, obnoxius est, vigore legis diuinæ eum occidendum Pareus iudicat. Eo enim pertinet illud. *Qui Sanguinem hominis fuderit, eius quoque Sanguinem fundendum; homicidium enim aliter expiari non posse, nisi per eius sanguinem, qui alterius sanguinem fuderit:* Et quemadmodum principis munus est latrocinia, blasphemias, adulteria, multoque magis hæreses atque idololatriam vi, & gladio etiam, si opus sit compescere, sic Parei consilio, proceres Caluiniani in principes Lutheranos gladio animaduertent, si vbiquitatem

tem tueri & defendere, si idola seu imagines in templo statuere, si Cyclopicam visceratione exercere, si credere quod molles in Belgio, atque ita *sectarij hæretici, athei sectarij, tempestiue in ipsa herba opprimendi videantur.* Nunquam deerit ita sentientibus in suos principes actio, nunquam tantæ audaciæ, conatus efficiendi.

Quid vero secũda ratio, quid Principi Lutherano permittit in Caluinismum? Imo quid non in principem permittit Caluinismo? *Cum superior Magistratus agit quod malum est*, inquit, *inferior debet vltor esse ad iram.* At vero si ad consistoriale tribunal ministerij Zvvingliani Princeps Lutheranus, vel etiam Caluinianus sistatur, difficile fuerit sub iniquo iudice causam tenere. *Malum agis*; dicent Lutherano, *Ministros Caluinianos proscribis, turbulentos veritatis hostes, vbiquitarios euehis, veteres hæreses ab orco reuocas, DEVM panaceum adoras, Cyclopicam facis, DEVM tuum dentibus laceras.* I lictor, caput obnubito, intra vel extra pomerium verberato, arbori infelici suspendito. Caue vllum supplicium nimium, vel iniustum suspiceris duplices enim sunt Papistæ. *Caluinismus in principes est atrox.*

Addere etiam non veretur *inferiores Magistratus additos, vt superioris immensam licentiam moderentur, ergo cum istam frenant, vtuntur auctoritate, & gladio per legitimam vocationem sibi tradito.* Hæc si vera sunt, non auditores modo sunt illi principum, sed principes principum, imo principum carnifices. Quid enim de Parei Musæo egrediens Satrapas principi suo iurabit? *Esse videlicet socium se gubernationis, moderatorem eius licentiæ, gladio se contra eum, si deliquerit, vsurum.* *Prætores Caluiniani suorum principum carnifices.*

Quid vero principi concedit in minores istos tyraniscos? an illi vt Tribuni plebis inuiolabiles sunt, & sancti?

Imperare possunt principi, rapere in carceres, occidere? Exempti igitur illi sunt principis imperio, qui principis nō modo auctoritatē, sed vitā in manu habent. At dices; Hoc ita esse, *si se princeps scelere obstrinxerit. Si quod malum est egerit:* Nec illi tā amētes sunt vt bonis factis, vt virtuti supplicia constituenda profiteantur, nec me necesse est, quāuis illi hoc sępe fecerint, tantā illorū proteruiā accusare. Hoc assero, hoc confirmo. In illa regia Prætorū, Consulum, Satraparū potestate, vitā Lutherani principis vnius assis ęstimandā non esse. Eum namq;, quod malum est, agere, iam dudū decreuerunt, hostē iudicarunt, *dū horribiliū hæresεωn defensorē, atq; patronū, veritatis persecutorē esse dixerunt.* Idē iuris sibi ex ratione tertia arrogabunt; *Lutheranos enim enormiter grassari contra Deum, & Rempublicam, cum occidere libitum fuerit, causabuntur.* Nec modo Lutheranos gladijs minutorum regulorum censura consistorij obijciet, verum nec Caluinistis ipsis parcet.

Exemplū dedit Guilhelmus Amæsius Rigidioris Puritanismi assertor, librū ei⁹ cōtra Episcopos Angliæ nō vidi, quæ ex eo citat Nicolaus Greuinchoui⁹ in præf. ascribam.

Elogium Episcoporū Angliæ.

Reliqui vero (qui scilicet Puritani rigidi nō sunt, sed Anglo-Papistæ, vt sunt Episcopi Britanniæ) *insignes aleatores, potatores strenui, religionis officia susq; deq; habentes, versati institores Papistarū, ambitionib⁹ prauis corrupti, iuratores impij, homines deniq; vani, iniusti, turpes, & omnes filij Belial. Et hi non duces tantū agunt huius militiæ, sed & castra implent pene soli: simpliciores enim quos à se habent ex ingenuis Marianos sæpe faciunt mulos, dū eorum abutuntur operā ad ligna militibus, Calonū instar subministrāda: Euclionibus autē illis, qui Puritanismo pertinaciter adhuc obluctātur, & pectus & caput helleboro purgandū: leges vero illæ, quarū gratia, & vi ministri aliquot bonis & sedibus suis pulsi, &c. quæcunq; fuit, in eandē reprehensionem incurrunt cum Atheniensium scitis, de quibus Xenophon conquestus est, ἐν ὅλοις τοῖς πονηροὺς ἄμεινον πράττειν, ἢ τοὺς Chre-*

Chrestous: Neque vt scias, ista sunt vetera maiorũ scita aut consulta, &c. Sed canones quidã in legũ fraudem dolo malo confecti, à Parlamentario Senatu damnati, verè Sontici, quos deniq; aduersus ministros inuiti, & non sine pudore, & in alios culpæ traiectione exercent autores ipsi si truces quosdã & sæuos excipias, q omnino depuduisse videntur: Pleraq; porro istarũ constitutionũ de industria sancitæ, ad quietos terræ turbandos & illaqueandos: quod vel inde liquet, quod putidas quasdam Papistarum reliquias, non retinuerunt tantum, sed omni ratione munitas & densis anathematis ex ipso facto circumuallatis, dederunt, eas corruptelas firmare satagentes maximè, quas omnes penè bonos aduersari nouerant, adeo, vt iam palã fecerint, non ignorare se vitia sua, sed amare, inhiantes prædæ desmophylakes, armati ignipotente Vulcano, pascuũ opimum depascentes, quod reliquũ pascuorum, conculcantes pedibus suis, pecudes morbo affectas impetentes cornibus suis, cousq; vt disperserint eiectas foras: per dispares Ecclesiarum & Ecclesiasticorũ in iurisdictione gradus, sceleratã scalam Antichristi conscendentes, Antichristiano acti spiritu, dũ id sibimet arrogant, vt pastorũ habeantur pastores, quos dubiũ Catones, an Dracones iure dixeris: adeoq; vel è medio tollendũ ementitũ hunc Episcoporũ ordinẽ, vel denuo Papam reuocãdũ ab orco. Hæc ille quasi de plaustro cõyciens in eũ ordinẽ, quẽ ipsa Maiestas Regia sãctũ veneratur, quẽ Proceres Regni suspiciũt

Audisti Amesium, *qui in Episcopis, adeoque per eorum latus in rege ipso lacessendo prima maledicentiæ suæ rudimẽta posuit.*

An hic dubitat Episcopos illos esse atheos, conscelératissimosque? *An malum agere* non est ista facere, quæ scribit Amesius? An Rex innocens non modo istorum defensor, sed restaurator, collator, auctor, ornator? An isti ista sine rege vel possunt, vel audent? Quid igitur hunc, si iure inferioris Magistratus vteretur facturum putamus? confecta est ratio. *Episcopi illi quod malum est agunt, Rex eos constituit, veneratur, tuetur adiu-*

uat, in regem igitur aduertendum est gladio diuinitus mihi tradito. Quis enim sceleratam scalam Antichristi in Scotia cum iaceret, erexit, in Anglia cum nutaret, regiæ potentiæ & auctoritatis obiectu fulcit, nisi Serenissimus Rex Iacobus? *Quod malum est agit*, dicit Amelius. *Eius igitur Satrapas est vltor ad iram* subdit Pareus.

Caluinistæ Lutheranos aiũt furiosos.

Furiosos pelli iubet. At furiosos esse Lutheranos putant Caluinistæ. *Nec furioso suo tumultu efficiet VVestphalus, &c.* inquit, Caluinus in admonit. vlt, ibidem, *Phrenitico impetu insurgere, præfractam esse hominis intemperiem.* Iacobum Andreæ, & Osiandrum *furere* ex professo demonstrare conantur Haidelbergẽses consolatores, *Magistratum autem atrocissima contumelia per latera prædocentium affici*, in programmate Apologiæ existimat Cyrinæus: omnia itaque in Magistratum referent, quæ delirauerint Prædicantes, eoque morbo qui insputari solet, Magistratum Lutheranorum impeti clamabunt. Nihil enim sanctum, nihil immune est, quo non perrumpat superstitionis impulsa malis audacia.

Hactenus rationes audiuimus, Exempla videamus. *In historia Iudicum sæpe leguntur Israelitæ per suos iudices Deo approbante insurrexisse aduersus vicinos tyrannos, à quibus crudeliter tractabantur, ergo Magistratus minor, potest occidere maiorem, quia tyranni domestici magis sunt reprimendi, quia periuri & nocentiores.* Audire videor consistorij latrocinantis effatum. Vnus iudex occidit regem Israelitas crudeliter tractantem, vnus Satrapas occidat Principem Lutheranum, Caluinianas cæremonias exterminantem.

Pareus exemplis sancit supplicia principũ.

Ezechias rebellauit Assyrio Regi, Minor ergo Magistratus pugnare potest contra maiorem. si is *sceleratam scalam Antichristi sustentet, & Antichristiano actus spiritu*, id sibimet arroget, *vt Pastorum Pastor*, hoc est, *caput Ecclesiæ habeatur.*

Centuriones occiderunt Athaliam, Prætor ergo Principem occidere iure poteſt: Thraſybulus 30. tyrannos eiecit, Romani Reges expulerunt, Conſules ſe abdicare coegerunt. Neronem, & Maximinum ſuſtulerunt, cur non igitur Caluiniani Lutheranos Principes. *Vbiquitarios, criminibus grauiſsimis, nulli Chriſtiano homini tolerandis obnoxios, medios diuident?* atque in illorum patrimonia, ditionemque pios, & ſuæ mentis dominatores immittent?

Wenceslaus ob ignauiam eſt exutus imperio. Minor ergo Magiſtratus maiori abrogare imperium poterit. Quid igitur? Si Princeps Caluinianus parum acriter Lutheraniſmum expugnet? Si clementiora edicta pro Lutheranis euulget? Si in cauſam ſectariorum hoc eſt mollium, vt ordines faciunt, videatur eſſe propenſior? Si regia monitio lentitudinem non excitarit? Par ſcilicet periculum illi imminet, quod Papæ, quod Lutherano, duplici Papiſtæ, quod Epiſcopis Angliæ *ſceleratam Antichriſti ſcalam conſcendentibus, vt ſint paſtores paſtorum.*

Verum quid opus eſt pluribus? Teſtimonium Parei in auctorem ipſum produco. Negat ille Lutheranos tolerandos. *Magiſtratus Chriſtianus,* inquit, in Rom. 13. *non debet confuſionem in religione permittere, ſed ſolam veram religionem tueri, atq; defendere.* At ſolus Caluiniſmus rigidus ex mente Parei eſt vera religio, eam ergo ſolam tueri debet, atque defendere. Et Prop. 4. *Principes Chriſtiani debēt edictis, & pœnis impedire blaſphemias, hæreſes, idola, ſacrilegia &c. Quia bonum & ſalutem ſubditorum impediunt, ideo iure Papatum exterminant. Quia ſunt opera mala, debent ergo illis eſſe terrori.* Nolo diffidat hic Princeps Lutheranus, niſi Pareus dicat, Lutheranorum eſſe blaſphemias, hæreſes, idola, ſacrilegia. C. enim 28. *Paradoxa & dogmata longe horribiliora & falſiora ex ipſorum libris colligi poſſe, quam ſint illa quæ Caluiniſtis exprobrant. Appellatos à ſuis Lutheranos,*

Caluiniſta non poteſt permittere religionem Lutheranam.

Marcionitas, Manichæos, Nestorianos, Eutychianos, Capernaitas, Creophagos, Vbiquitarios, Flaccianos. Nonne Marcionitæ blasphemi? Manichæi plusquam hæretici? Capernaitæ, & Creophagi, idololatræ, siue vt Zwingliani vocare consueuerunt ἀρτολάτραι; nonne Flacciani Sacrilegi? & vel maxime Nestoriani, & Eutychiani? imo nonne omnes illi hæc omnia? Pœnis ergo eos coercere Princeps debet. Hoc igitur cum primum facultas erit, efficient. Quisquis enim consistorio obstiterit, gladio cadet.

Seditiosi multos habent defensores, quia multis pro sunt turbæ.

Hæc adeo clara sunt, vt negare Pareus non possit, adeo turbulenta & seditiosa, vt defendere non tentarit. Inuentus est tamen homo lingua Germanus, animo cretensis, qui non modo periculosa illa propugnet, sed etiam, quod moris est desperatæ malitiæ, me vltro accuset. Nomen suum subticuit, mores prodidit, & quamuis alios petit, me tamen insequitur. Tuum Lector iudicium est.

Widerlegung contra **Friedlieb & Vngersdurff.**

Non potest inter tot dissidentes concordia esse.

Primo. Pareus Irenici pag 316. ita loquitur. *Id vero est, de quo non nos modo laboramus, sed procul dubio pij & cordati omnes in hoc negocio potissimum laborandum esse intelligunt, vt omnium quotquot sunt, intra vel extra Imperium Romanum, Euangelicorum Ordinum atque Theologorum pia veraque coitione tandem aliquando facta, horribile schisma, atq; exitialis discordia tollatur, cursus Euangelij Euangelicorum culpa diutius non impediatur, sed vbiq; locorum tantò expeditius promoueatur, calumnia Papistarum de BELLO quinti EVANGELII (qualibus chartas suas famosas integrosque libros complent) ipsa veritate retundantur: denique tyrannidi AntiChristi Romani, cuius potentia hactenus nulla re magis, quam nostra discordia creuit, indiesque crescit in Imperio Romano, vbi videmus modò hanc, modò illam ciuitatem, ditionem, prouinciam dolo & armis, nullo habito discrimine, Lutherani an Caluiniani ibi*

ni ibi fuerint, sub iugum eius iterum cogi (cuius rei Francia Orientalis, Austria, Stiria, Carinthia, Vngaria, Troppauia, Donavverda &c. documento omnibus esse possunt) coniunctis votis, consiliis, actibusque tantò fortius atque temporius obuiari queat.

Caluinistæ prius desinãt pellere Lutheranos.

Hic ego questus sum primo. Pareum Lutheranos pro fungis habere, vt qui nominando paucas regiones, quæ ad veterem fidem redierunt, non existimaret illis in mentem venire posse, tot principatuum, qui ad Caluinismum ex Lutheranismo defecerunt.

Pareus ludibrio habet Lutheranos.

Secundo, Quod *dolis & armis sub tyrannidem Antichristi coactas esse dicit*; criminationem esse probaui, & ante me probauit contra Vtzinger P. Schererus noster. Hic respondet Anonymus: *An absque dolis & armis mutatio illa facta sit, ex historia colligendum.* At vero iam historia docuit, nec Iulium in Francia Orientali, nec cæteros principes dolis, aut armis vsos esse. Insignis defensio. Pareus, *dolis & armis prouincias ait sub iugum coactas*, Parei Hyperaspistes ait; *consulendas historias, vt sciatur*; an Pareus mentiatur. Ego si aperte loqui vellem, mentiri dicerem. Sed malo male ominatis parcere verbis.

Contra historiã accusat optimos principes Pareus.

Tertio, dixi has tribunicias esse conciones, & seditiosas. Respondet ille, cui quidlibet dicere est respondere. *Irenici mentem non esse Catholicorum molimina describere, sed monere vnionis hanc esse causam, vt ne Catholici illis bellum quinti Euangelij obijciant, non vt vlli statui noceatur.*

Euertere Catholicos statuunt.

Protrahenda est in apertum tam contorte loquens astutia. Verba Parei & de quinti Euangelij bello queruntur, & deinde bellum intentant Catholicis. Denique, inquit, *tyrannidi Antichristi Romani, &c. coniunctis votis, consiliis, actibus tanto fortius, & temporius obuiari queat.*

Sic

Obuiare tyrannidi, quid sit Pareo.

Sic obuiare tyrannidi, non eſt duntaxat ſermonibus de bello quinti Euangelij obſiſtere, ſed alia quædam agere. Francia Orientalis reformata eſt, hoc pontificiæ tyrannidos exemplum Pareus ſtatuit, hanc ſub iugum coactam queritur, huic tyrannidi per Iulium Epiſcopum optimum exercitæ obuiandum docet. Itane impediendus fuit? & pax religionis violanda? Quid tu hoc Lutheranis ſuades? Regnum Sueciæ, Palatinatus, Marchionatus Electoralis, Langrauiatus, aliæque ditiones à Lutheraniſmo defecerunt, & non ibunt obuiam Lutherani? Caluiniſmum ſeptuplo Papiſmo deteriorem recipient?

Belli tuba Pareus.

Quarto. Dixi, *coniunctis votis, conſiliis, actibus, ſeditioſum eſſe, & ſi principes Parei conſilium ſequantur, breui Germaniam ſanguine inundaturam.*

Reſpondet defenſor. Coniunctis votis, conſilijs, & actibus Eccleſiaſticis concionum, diſputationum, ſcriptionum Theologicarum. addit: Manifeſtum eſt itaque, verbum *Actibus, ab vtroque calumniatore, ſicut etiam à Contzen Ieſuita Moguntino, omnino contra Chriſtianam ſinceritatem ad politicos, rebelleſque actus torqueri &c.* Non torquentur eo, ſed recto tramite feruntur. Nam primo. *Votis, conſiliis, actibus*, ſeu, mit rath vnd that/ hanc ſignificationem habet, vt vota & conſilia præcedant, & facta ſequantur. Deinde Conciones, ſcriptioneſque ſunt conſilia, potius quam actus; alij igitur actus quærendi. Tertio non Theologorum modo, ſed omnium ordinum coitionem requirit. Ordinum autem Euangelicorum actus non ſunt conciones, diſputationes, ſcriptiones; ſed bella etiam, & bellorum minæ. Quarto. Pareus non hic de concordia Euangelicorum, ſed ſyncretiſmo, vti cœpit à cap. 12. tractat. Ita enim ait. *Quod dum Synodus & concordia plena concilietur, interim pio ſyncretiſmo mutuaque tolerantia coire, & contra*

Vota, conſilia, actus quid ſint docet Boëmia.

Propter cõciones non eſt inſtituta vnio Euangelicorum.

contra Papatum simul stare debeant Euangelici; Ad Syncretismum vero non concionibus, disputationibus, scriptionibus, sed dissimulatione & silentio opus est. Nam actibus Syncretismus impeditur, non conciliatur. Quinto. Consilijs obuiandum tyrannidi ait. Quorum vero Consilijs? Non modo Theologorum, sed etiam ordinum. Consilia vero ordinum Euangelicorum non videntur esse de solis Theologorum contentionibus, sed fœderibus, sumptu, bello inuadendo &c. Intra paucos annos principum confœderatorum plures conuentus fuere, varia consilia agitata, vt obuiam iretur Pontificijs; Nunc quæro an eorum consiliorum obiecta fuerint actus, seu media ad finem exquisita? si respondeat Pareus, *actus esse*; quæram qualesnam actus? an ibi disputatum, aut constitutum sit, de concionibus, scriptionibus, disputationibus Theologorum duntaxat, an vero etiam alijs de rebus? Et an res eas etiam complexus sit Pareus, cum dixit; Consilijs, actibus? De solis actibus Ecclesiasticis inter eos tractatum esse, etsi tam impudens esse possit Pareus vt dicat; non tamen id sinent agnati, ne contra omnium ordinum conscientiam mentiens, fiat intestabilis. Actus vero ordinum non Ecclesiasticos Euangelicorum Pareus approbauit, & hoc loco intellexit, qui *fœdus principum* tanquam sanctum commendat. Deinde motiua quarta, negant Saxonici coniunctionem cum Caluinianis faciendam, *vt Papistis fortius resisti posit.* Idque probant 2. Par. 19. 2. Et Pareus queritur responsione ad motiuam 16. *Lutheranos suos Principes à consortio Caluinistarum non modo dehortari, sed palam editis scriptis consulere, in comitijs, & tractatibus publicis Papistarum familiaritatem sectandam, Orthodoxorum vero* (Caluinianorum) *Principum conuersationem vitandam eis esse.* Hos ille oppugnat; & vult in comitijs & tractatibus publicis adhærere Caluinianis Lutheranos, & sine

Actus ordinum confœderatorum non sunt tantum Ecclesiastici.

Pareus in præf. de Eucharistia. Coniunctis viribus & armis pugnatiū, inquit.

dubio in decretis consentire, & quæ visa sunt exequi, Actus igitur ad omnia illa extendit. Et si consilium eius sequantur principes, breui natabit Europa sanguine. Nec enim intra verba lis illa consistet, aut libellos.

Alter locus est in Oseam, vbi Illustrissimum Landgrauium Hassiæ pellentem Lutheranos sic alloquitur. *Macte heros diuine, age opus Domini, quod agis, fidenter.* Hic ego nec contra Landgrauium Illustrissimum, nec pro Lutheranis quicquam dixi. Tantum monui cohortationem illam vetuli adulatoris Irenico non esse consentaneam. Quid enim tu pacem, tu Syncretismum, tu Tolerantiam suades? Lutheranis blandiris, & principem eos omnibus officijs exuentem canonizas? vt pulsis Lutheranis, sit & heros? & heros diuinus? & agat opus Domini? dextrè pulsi sunt, sed ne tumultus oreretur. Respondent; *In illa reformatione tria duntaxat puncta fuisse.* Tria nominantur, sed in illis tribus, & per illa tria Caluinismus inductus est, pulsus Lutheranismus.

Lutheranos pellere fidenter, est opus Domini.

Tria illa sunt omnia.

Deinde aiunt tres quatuorue Theologos cum gratia dimissos. Audio; *tres quatuorue.* Vbi igitur tot ministrorum centuriæ, qui ante erant Lutherani? Quo in angulo Prædicans Lutheranus, nisi recepto Caluinismo latere permissus est? Vbi exercitium Lutheranum? Quid opus verbis? res ipsa, hoc est, templa, & vrbes clamant.

Tertius locus est in Commentario ad Roman. 13. 1. Vbi docet *subditis non priuatis licere armis se defendere contra magistratum.* Hic primo respondet tenebris abditus defensor. *Quamuis hic error esset, non debere toti corpori Caluinismi imputari*; quod verum est, nisi toto corpore defendatur. Secundo, *hæc anno 1604. in Scholis dictata esse, cum nondum essent in imperio illæ commotiones.* Ita sit sane. Non erant, sed ex illis ortæ sunt. Etiam in pace verba seditionum periculosa sunt. Tertio ait, *hanc defensionem*

con-

contra Papæ tyrannidem permitti tantum, non trahendam ad statuѕ imperij. Hoc vero contra Pareum est; *nam in Francia, in Bauaria, in Austria, dolo & armis coactas prouincias calumniatur, & tyrannidi Pontificiæ obuiandum*; quæ tamen si tyrannis fuisset, per Imperij principes fuisset exercita; ideo illis resistendum fuisset, Satrapas igitur Catholicorum in suos principes concitat. Quamuis igitur nominetur Antichristus Romanus solus, omnes tamen Pontificis amici, & clientes intelliguntur, quos Antichristi satellites, calumniose, seditioseque appellare solent. Quarto. Affirmat principes reformatæ religionis non velle ex alienis ditionibus religionem papisticam exigi, cum de illis ratio ipsis non incumbat. Respondeo. Hoc seruent, & causa dissensionum sublata fuerit.

Ex Scholis Caluinianis imperij commotiones oriuntur.

Respondeant liberæ ciuitates, in quas sensim migrant Caluinistæ.

Quartus locus est. Christiani reges & principes debent resistere tyrannidi pontificiæ etiam gladio, & vi eam impediendo & frangendo, idola tollendo, & Ecclesiam libertati suæ restituendo.

Hic clare, & plenis tubis classicum cani verissime affirmaui. Eodem modo cum dixit: *Principes esse debere terrori operibus malis.*

Hanc pugnam Parei defensor restringit ad terras subditas, non enim Hispanus in Polonia, aut Francus in Germania terrori est malis operibus; alioqui horribiles orerentur confusiones.*

Optima ac saluberrima interpretatio, sed contraria Pareo. Ille enim monet, *vt coniunctis votis, consiliis, actibus obuiam eant tyrannidi Antichristi, quæ dolis & armis Franciã, Bauariam, Styriam sub iugum cogit*, ergo in principes exteros gladium stringere docet. Deinde ratione tertia dicit: Quia prædicitur futurum, vt reges & principes Christiani odio persequantur meretricem, & solam reddant eam & nudam, & carnes eius comedant, & ipsam

Bellum in exteros vrget Pareus

igne exurant. At prædictio habet vim præcepti vt hoc faciant.

An non opus est egredi in aliena, ad illã visceratio nem.

An exspectandum dum Pontifex veniat Haidelbergam mactandus?

Iudicat igitur omnibus regibus præceptum esse, vt Papam mactent, deuorentque, igitur omnibus in Papam ius datum esse censet, & Papam omnium gladijs quasi proscriptum obijcit. Ideo & Plessæus ad iter Italicũ hortatur Serenissimum Angliæ regem. Falsa est igitur, & impostoria illa defensio, quam Pareus nunquam admittet; potius ipse tremula manu tentabit ensem, & sine grandi vulnere imbelle telum mittet. *Sicut Ehud mandatum habuit in regem suum, ita omnes principes habere ait in Papam*; si in Papam, ergo in carnes eius, hoc est Ecclesiasticos, & ossa, hoc est, sæculares Papistas Principes, Duces, Reges, Cæsares, si enim in Papam datum est plenum ius sæuiendi, si iustum bellum, si mandatum cœlitus prœlium, ergo in omnes qui Papæ defensionem suscipiunt, qui festinantibus ad illam visceratione obsistunt. Si enim tibi à Deo imperatur cædes in Regem, etiam mandatur bellum in eius militem. Adeo late patet illa rerum confusio, vt nemo prædicantum dubitet, quemlibet esse Papæ, & eius propugnatorum legitimum carnificem.

Bellum in Papam decretum omnes Catholicos inuoluit.

Tanta vero insania est defensoris, vt excusari Pareum putet ea re, qua maxime accusatur. *De nostris principibus* (Euangelicis) *nullo verbo fit mentio, sed in thesi de Christianis Regibus, Principibus, Magistratibus, inter quos sane Cæsar, Hispanus, & omnes Papisticæ ciuitates imperiales sunt, qui omnes non minus quam alij parati essent, in suis ditionibus Papæ resistere, si scirent esse Antichristum.* Itaque iustum arbitratur omnes resistere Papæ, quem putant in omnium ditionibus grassari. Nec in suis tantum ditionibus; nam Aod regem Eglon in regio cœnaculo occidit, *tale mandatum habere omnes principes* ait Pareus, itaque

Pontifex nõ nisi per latera Catholicorũ principũ confodi potest.

itaque debent etiam cum Plesseo petere Italiam, atque in ipso Laterano Pontificem confodere. Si Cæsar, si Hispanus, si Archiduces, si Bauarus, si Lotharingus obstabit, per eorum latera cædendus erit. Imo multi ex illis in religione vera promouenda, erroribusque exstirpandis sunt ipsis pontificibus non indiligentiores.

Locus quintus. *Nec præcipitur iniustitia: cum duplum ei reddendum præcipitur: sed nullum vltionis genus aduersus Papam iniustum aut nimium esse posse significatur. Et duplum intelligitur non eius pœna, quam sit meritus, sed eorum malorum, quæ ipse prius inflixit pijs, & quibus Ecclesiam affecit.*

Hanc crudelitatem ad omnes Catholicos Papæ defensores pertinere dixi. Defensor negat; *sed tantum ad Babylonem,* hoc est, *Romanam Ecclesiam, & Papam caput eius Ecclesiæ.* Ac primo quidem nimium est, *in Romanam Ecclesiam,* hoc est in Romanæ Ecclesiæ membra tantum licere. Si nomine Romanæ Ecclesiæ tantum eius vrbis Episcopatum intelligit, minus late patet crudelitas eius, quam totam Romanam Ecclesiam; hoc est; omnes Catholicos Sed ostendendum est ad omnem Ecclesiam quæ sub Romana est, pertinere immanitatem sanguinarij senis. *Imperatur,* (inquit in Apocalypsin) *hic vindicta non priuata priuatis, sed publica Regibus & Principibus pijs, quibus Dominus Deus hoc dabit in corda ipsorum & quorum opera vti volet ad euertendam Babylonem: Ad hos proinde & ad copias eorum militares ista hortationis pars præcipue pertinet: & modus exponitur, quo illud dederit Deus in corda eorum, quia videlicet expresso mandato hanc eis vindictam imperauit.*

Iudicio Parei Deus expresso mandato regibus vindictam imperauit.

Expresse ergo Reges & Principes Euangelici mandatum de vindicta sumẽda acceperunt. Non de sola Roma; nam multi sunt magis iuncti Papæ, multi plus damnorum

nouatoribus intulerũt, quam Romani. Sane deterior erit conditio Societatis nostræ, omnium religiosorũ, ac in primis Ecclesiarum collegiatarum, quam ciuium Romanorum; itaq; generale hoc est Caluinismi præceptum, & cõtra omnes Catholicos. Babylon vero Caluinianis, quanquam inter se, & à seipsis diffidentibus, est non singularis Ecclesia quæ Romæ est, & in regione suburbicaria; sed totus toto orbe diffusus Papatus. Ita Pareus in Com. in 17. Apoc. v. 4. cũ interpretatur illa verba. *Exite ex ea popul⁹ meus.* Omnes enim Sectarij vrgent, vt non modo ex vrbe, sed etiam ex Papatu exeant. Et in primis Pareus. *Moneri*, ait, *omnes fideles, nõ modo qui intra vrbis mœnia, sed intra iurisdictionis Romanæ pomœria sunt.* Et deinde: *Quoties igitur quærunt Papistæ, vbi fuerit Ecclesia ante Lutherum, si Papatus non fuit: quæramus nos vicissim, vbi fuerit Ecclesia Dei tempore captiuitatis Babylonicæ, si Babylon non fuit. Fuit, inquam, illa in Babylone, sed captiuitate oppressa: Ita hæc fuit in Papatu captiua, oppressa.*

Quo quis Romanæ Ecclesiæ iunctior, eo grauius affligetur.

Babylon Caluinistis est Papatus.

Exite ex ea) *Vetus populus iubebatur exire Babylone primum corde, fugiendo idola & abominationes eius: post annos* LXX. *etiam corpore, redeundo in Iudæam sub Cyro. Vterque egressus ex Babylone noua, etiam nobis imperatur, vt tum corde idola & abominationes eius fugiamus ac detestemur: tum etiam corporibus, quantum datur, Roma excedamus, iugo Babylonicæ tyrannidis excusso, vigore mandati: Exite ab ea.*

Quos deuorare cupiat Pareus.

Parei igitur sententia Babylon est Papatus. Igitur cum reddere Babyloni duplũ iubentur, cum eam exurere, carnes manducare, de vniuerso Papatu intelligunt. Non de Papatu in abstracto, ergo de Papistis in concreto, de illo Papatu qui ignibus vstulari, in cibum victoris assari, ense diuidi, cruore suo arentia carnificum guttura rigare potest. falsum est igitur, Pareum non intelligendum de Papistis,

ſtis, Epiſcopis, Principibus, Cæſare; omnes vnum iugulum optat habere, vt cito ſine periculo ferientis cadant, quamuis forte viuaces eſſe cupiat, vt extendenda per ſæuitiem morte, crudeli voluptate fruatur. Omnes enim membra meretricis eſſe iudicat, qui meretricem Papatum eſſe fingit. Verum Pareo ſuccurrit Graſerus, quem, ô frontem, ô durum os, excuſare conatur Hyperaſpiſtes Parei. *Negat Cæſarem, & principes Catholicos ſæculares dici à Graſero oſſa Antichriſti, & Clerum dici carnem; quiq; hoc Graſero imponūt, eſſe calumniatores.* Imo Graſerum cōtrarium docere: nempe Robuſtos ab Antichriſto perdendos. Ex Dan. 8. 24. *habetur, & perdet robuſtos, & populum ſanctorum.* Hic mihi probandum eſt ex ſententia Graſeri, oſſa eſſe ſæculares, carnem vero Clerum. *Graſeri impia doctrina palliari nō poteſt.*

Primo fol. 54. *Adhuc ergo exiſtimo: Eum* (Danielem) *hoc toto loco* (c. 8. 24.) *magis ad biſidam illam Antichriſti familiam reſpexiſſe, cuius hiſtoriam explicabimus.*

Secundo explicat his verbis. *Audi ergo. Radix* עצם, *à qua vox hæc deſcendit, ſignificat Robore præditus fuit. Quod de huiuſmodi robore tibi intelligendum, quod ſoliditatis ſuæ vim in ſe habet & citra alterius adminiculū ſubſiſtit. Vnde nomen* עצם *Os oſſis, ſic dictum Hebræis, quod ſolum in corpore ſua ſoliditate ſubſiſtat, & reliquas partes ſuſtentet. Latini hinc ſuum priſcum Oſſum videntur habuiſſe. Rabini etiam prædicamentum Subſtantiæ* עצם *appellant, vt vocem* עצומים *aliquis ex hac ſignificatione, Subſtantiales, Eſſentiales, aut ſaltem Oſſeas interpretari poſſet. Sic igitur ratiocinabar, per hos* עצומים *Seculares indicari, quatenus illi in quartæ Beſtiæ pedibus ſunt de plantario Ferri, & ſub regno Antichriſti ſuo proprio robore ſubſiſtunt, ſed ita, vt hoc oſſeum robur Beſtiæ vſibus eatenus commodent, vt ſtatum ſimul ſpiritualem, tanquam ſucculentam Papatus carnem, ſuſtentent.* *Seculares oſſa Papatus, ſpirituales caro.*

Tertio, Antichriſti vires omnes in his oſſibus eſſe putat.

Is ſane,

Is ſane, inquit, *eodem verſu de Regis huius regno mirabiliter coaleſcente ſic loquitur* עצמ כחי ולא בכחו. *Conſolideſcet quidem potentia eius, ſed non ipſius proprio robore. Hanc phraſin tu alias nuſquam in Canone vſurpatam inuenies: Propheta autē noſter hoc loco alterum priori non minus Antichriſti myſterium per eam deſignat: quod ipſius regno ita proprium eſt & peculiare: vt extra illud nec Antiocho (quodcunq; interim de typo fiat) proprie nec cuiquā alteri mūdano regno queat applicari. Dic enim tu mihi, de quo regno, Rege aut Imperio verè dici potuerit, quod eius potentia non proprijs ſed alienis, & quaſi mutuaticijs viribus conſtiterit.*

Papæ regnum ſæcularium potentia, vt oßibus nititur.

Quarto: *Ait, ſæculares vnum conſilium habere, vireſq; & potentiam beſtiæ tradere.*

Quinto. Hoc malis artibus Papam conſecutum. Verba eius ſunt. *Hoc Daniel in allegatis verbis explicat, dicens: Mirabiliter corrumpendo perdet, & proſperos in eo ſucceſſus habebit: hæc enim propria vis eſt verbi* הצליח *quod noſter hic ita interpretatur. Deus enim dedit in cor eorū, vt exequantur ſententiam eius, & vt conſentiant dentq; regnū ſuū Beſtiæ Apoc.* 17. 17. *hæc nempe tantorū ſucceſſuū cauſa erit. Alias verborū Prophetæ hic ſenſus eſt: Tam occultū, ſubtile, & efficax corrumpendi artificiū callebit, vt miris præſtigijs & ipſos* Robuſtos, *quos nulla vi ſuperare potuiſſet, quaſi de gradu deijciat: Et ipſum præterea* Populū Sanctorum, *qui eius fraudem obſeruare, alijſque indicare, & ſic populi Dei libertatem tueri debebant, decipiat.*

Sexto. *Robuſtos* ait *opponi carnoſæ mollitiei.* fol. 55. *Si hos Robuſtos à militari fortitudine, quatenus illa ſub virtute cenſetur, commendare voluiſſet, voce* גבורים *ei fuiſſet vtendum, cuius hæc propria ſignificatio eſt. Sin huius exceſſum in eadem gente voluiſſet perſtringere, tyrannicā nempè ferociā, voce* ערוצים *vſus eſſet, cuius hæc valde euidēs notio eſt. Nunc vero omiſſis illis, quorum reſpiciendorum nulla ſatis prægnans cauſa ſupererat, huiuſmodi voce vtitur, per quam ſimpliciter illud brutum robur indi-*

indicatur, cuius respectu gens hæc comparium suorum (Locustarum) carnosæ mollitiei opponitur. Cumq; Daniel in eodem versu radice hac verbaliter de externa potentia nervis vtatur, ecquid hæsitamus, aut quam nobis obscuritatem imaginamur? *Robustos opponit carnosæ mollitiei.*

Denique hos robustos Babylonis artus & membra vocat. fol. 56. *Est profecto, & quidem haud contemnendum, cuius tamen fermè oblitus eram: Quod videlicet Propheta noster Cap. 19. 18. in historia ruinæ Babylonis inter eiusdem rudera, hos Robustos, hos etiam Equos, Equorumque sessores, ceu Bestiæ truncatæ artus & membra, deprehendit sic loquens: Adeste aues cæli & cōgregamini ad Cœnam magnam Dei, vt edatis carnes* Regum *& Carnes* Tribunorum, *& Carnes* Robustorū, *& Carnes* Equorum, *corumque, qui ipsis* Insident. *Hæc sunt principalia membra, ex quibus Bestiæ regnum constitit, in quæ etiā tandem resoluitur. Inter quæ Robustorum illa mentio tanto plus admirationis habet, quòd eorum per vniuersum Prophetiæ contextum antehac nusquam sub hac nomenclatura meminit. Capite quidem 6. 15. mentio fit potentum, sed illos ibi* δυνάτυς *vocat, cū hic voce* ἰσχυρὺς *vtatur, per quam Septuaginta apud Danielem, Hebræum reddunt.* *Reges Catholici artus Babylonis vocat Graserus.*

Nunc te per ipsam iustitiam lector rogo, iudicare digneris. An calumniator sit, qui Graseri sententia dixerit: Principes sæculares vocari, Babylonis ossa, artus, membra, membra principalia bestiæ ex quibus regnum eius constat, & in quę etiam resoluitur: Quid hinc Cæsari, Regibus Hispaniarū & Galliarum, cæterisq; Catholicis intētet Pareus, nemo non intelligit nisi qui ignorat, Babylonē non posse exuri, & vorari, nisi ossa, artus, membra eius trūcentur, assentur, Cyclopico ore mandētur. Ecce tibi certamē inter duos socios, quorū alter cōtumeliosissime, dirissimeq; principes Catholicos proscindit, alter impudētissime negat cū dixisse, quæ omniū oculis patet esse dicta.

Hinc patet Babylonem secundum Graserum, & Pareū

Yyy esse

Extrema impudẽtia est manifesta negare.

esse etiam in Germania, quia principalia eius membra in Germania esse fingũtur, & Anonymum calumniatorem, frustra aliorsũ torquere verba Parei, & Graseri. Locus 7. *Reges decem cum agno pugnant, qui tamen meretricem exurent, non igitur hoc de suis principibus dicere possunt Caluiniani*, nisi fateantur eos bestiæ dedisse potentiam suam. Nam recténe fecerint apud Caluinistas dubium, vt constat ex postrema quæstione Parei in cap. 17. Apoc. Sane Aretius refert illos puniuisse mulierem, à Deo flexos in sui obsequium, sic Attila dicebat se flagellum Dei, sic Alexander diuinitus vocatus in Asiam &c. An igitur suos volunt principes esse, sicut vnũ ex illis? Nicolaus Collado in sua methodo in Apocalypsin hos reges minime conuersos, & recte animo fecisse arbitratur. Deinde ipse totum Papatum intelligit.

Suos principes infamant.

Verum quid opus est nostro contra aduersarios labore? Christophorus Iungnitius Professor Heidelbergẽsis omnia illa satis refutat, qui etsi veritatem nõdum attigit, falsitatem tamen redarguit. Qui non concedet Imperatores Christianos, & reges pugnare cum agno, & bestias esse. Ex his concludo cum Caluiniani ipsi doceant, reges illos impios esse, non esse me accusandum, si idem dicam, quod Ioannes clare asserit, & ipsi confitentur.

Moderatiores suorum collegarũ procaciam merito castigant.

Omnia, quæ in nocte opaca larua illa tenebrarum defensatrix proponit, tolerari possunt, quę vero in Aretij excusationẽ adfert, nec ipsi Aretio placere possũt. Ille enim Bernæ residens inimicus Orthodoxiæ, perduellis imperij, ea dixit, & scripsit, quę Heluetij imperio fœderati improbauere.

Aretius nullo modo defendi potest.

Primo in c. 13. Apoc. v. 1. *Bestia autem rectè dicitur propter Diabolũ, qui truculentia omnem superat bestiam, cuius mores in Romano Imperio adhuc probè exprimũtur, vt rectè à lupa se ortos & nutritos ipsimet fateantur. Bestia igitur est Romanum Imperium, quemadmodum Babylonicum Persicum & Macedonicum*

Quis exprimit Diaboli truculentiam, an principes?

cum in Daniele. Ascendit autem ex mari, hoc è gentium omnium confusione, nam ex alijs imperijs concussis natum est Romanum. Vt enim mare commune est omnium aquarum receptaculum, & sordium quædā sentina: sic in Romanum omnium nationū vitia congesta sunt, vt maris dominium adepti facile Romani alias nationes debellarunt. Notabis: *adhuc in imperio Diaboli mores probe exprimuntur.*

Secundo: *Habet capita septem, hoc est, consilio & prudentia singulariter pollet: caput enim domicilium est rationis, & septenarius numerus perfectionis & absolutionis est.*

Tertio: *Nunc Spiritum agentem in hac bestia exprimit, propositis eisdem ornamentis, quibus bestiam hanc exornauit. Draco indubiè est Diabolus. Is igitur dat bestiæ, hoc est, Romano imperio sua quædam ornamenta. Ac diligenter obseruandum est, draconem non cōdere bestiam, sed ortam saltem exornat donarijs suis, quod eo facit, ne Diabolum putemus Autorem imperiorum. Sed sciamus eorundem esse corruptorem: magistratus enim à Deo est, vitia autem magistratuum à dracone illo proficiscuntur.* *Diabolus ornat imperium.*

Quarto: *Stultitiam mortalium describit, qui fortunam imperij admirantes, illud plusquā par est, extollunt & adorant, tota terra admirata post bestiam, hoc est, in bestiæ admirationem est rapta tota quanta quanta est. Admirationis causa pēdet ex superiori fortuna, quod mirabiliter curata est plaga tam lethalis.* *Mirari nimium imperium est colere Diabolū.*

Quinto: *Illud est imperij successum & felicitatem admirari, augustum, Sanctum, sacrosanctū, immortale illud prædicantes.*

Sexto: *Adorarunt draconem, qui dedit potestatem bestiæ, hoc est, Diabolum in illius persona colunt & adorāt: draco enim Diabolus est, qui sua ornamenta affingit imperio. Vide quid sit colere diabolum, hoc est, admirari nimium maiestatem & felicitatem Imperij Romani.*

Septimo: *Post receptam autem Christi doctrinam, mox impij hypocritæ titulum Ecclesiæ ad se rapuerunt, & vera Christi mandata persecuti sunt, quam causam adhuc hodie strenue defendunt sedis imperij possessores.* *Quid mirum ex his rebelliones oriri.*

Quid superest, nisi arma in persecutores.

Octauo. *Datur bestiæ potestas debellandi & vincendi Sanctos, hoc est, vt hypocritarum conditio semper meliori loco sit, quam piorum, id omnium temporum historiæ testantur, vt hodie luce clarius verum esse deprehendatur. Quam latè enim Romanum nomen patet, tam latè pij persecutiones patiuntur, in omnibus tribubus, linguis & gentibus.*

Nono. v. 8. Et adorabant eam.

Calumnia est, non adoratur Imperator.

Reformati imperij mores describit, bestia etiam tum adorari volet, q. d. blasphemia illa non desinet, vsq; ad finem mundi, vt adorata est curata illius plaga, sic adorabitur data ei potestate debellandi Sanctos Dei. Itaq; eadem manet impietas ex eorum rerum successu, admirantur enim homines principum successum, hinc in eorum partes transeunt.

Decimo. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum fides nostra. Consolemur igitur nos in his mūdi pœnis, ne fingamus nobis peculiarem fortunam. Hæc vocatio est nostra, per ærumnas & afflictiones ingredi in regnum Dei, imprimis sub hac imperij Romani senecta. Porrò imperij præsides aliam fidem requirunt à suis & commendant in comitiis magistratuum, quæ nihil ad Sanctos Dei, de quibus hic loquitur Ioannes.*

Vndecimo. *Deinde cogit (Pontifex) etiam homines adorare priorem bestiam, hoc est Romani imperij titulum, & nomen non minus vult haberi sacrosanctum, quam olim sub Imperatoribus Augustum erat & venerabile nomen Imperij: sub Papis mansit Romæ eadem veneratio, vt Sancta habeatur Romana Ecclesia, & Catholica & adoranda, quæ si quis neget, hæreticus sit oportet.*

Duodecimo. *Pontifex retinet imperij nomen vmbratile.*

Ita & illi, qui aquilā implumē, aliaq; infanda finxerunt.

Tertio decimo in cap. 17. 13. *Draconem habere septem capita ait, quia ad plenum sibi prudens videtur astutus, & callidus: Caput enim prudentiæ & rationis est sedes. Infra septem colles ei tribuuntur, vnde non male Papæ idea est, quia alias septem capita, hoc est regna tenuit. Et septemuiratum Romani*

Septē capita septemuiratus.

Impe-

Imperij suo iudicio subiecit. Quibus verbis non obscure draconis septem capitibus, septem electores quasi alterius bestiæ; hoc est Papæ capita designari ostendit. A Flacco Illyrico maledicentiam illam in Principes sumpsit. Ille in c.12. v.3. ita commentatur. *Aliqui hoc applicant potius ad Romam & eius imperium: quia illa fuit extructa super septem colles. Habuit etiam sub se septem primaria mundi regna, Africanum, Ægyptium, Asiaticum, Græcum, Germanicum, Hispanicum, Italicum: sicut & recentioribus temporibus, ac etiamnum habuit, & habet adhuc aliquo modo totidem regna sub se: habet etiam septem præcipuos principes. Omnino videtur hic Spiritus Domini respexisse ad Prophetiam Daniel. 7. vbi etiam quarta bestia, nempe Imperium Romanum cum decem cornibus, hoc est, regnis, aut potestatibus pingitur: vt non possit esse dubium, hic sub nomine draconis, pingi etiam ipsam mundi potentiam, ipsi contra Christum, eiusque Ecclesiam famulantem.*

Hæc illi rotundo & blasphemo ore contra imperium edisserunt.

Altera Parei Propositio, *Christianos principes oportere publicis mandatis, & pœnis, blasphemias, hæreses &c. impedire.* Item non permittendam in religione mistionem, aut confusionem, sed solam veram religionem tueri. Hanc dico esse ensem quo & Catholici, & Lutherani iugulentur, quia eo Caluiniani abutuntur. Nam blasphemias vocant, quæ pietas est, hæresin putant priscam fidem. Quod si dubitas lege Parei defensorem, sacrificium missæ similiaque idololatriam vocat. Tu lector consistorium Caluinianum ingredere; non ages causam pro vllo veterum sanctorum tam accurate, quin atro calculo damnatus abscedat. Quem enim tutum putas. Ignatium Martyrem? sacrificium missæ agnouit Ep. ad Smyrn. ita Theod. dial. 3. & ad Rom. Martialis Cyprianus, Augustinus in eadem culpa sunt: hic vero & pro matre defuncta missam fecit.

Caluiniani non possunt aliā religionē ferre.

Iustinum, Irenæum? illi veritatem corporis Christi in Eucharistia docuerunt. Chrysostomum? Ille liberum arbitrium asseruit. Hieronymum? Ille virginitatem matrimonio prætulit. Basilium Magnum? At ille monachorum Patriarcha est. Pontifices Romanos triginta tres martyres? at illi de alijs Episcopis iudicarunt. Athanasium, aut Hilarium? Sanctos illi inuocarunt. Gregorium Nyssenum, Nazianzenum, aut Magnum? At reliquias illi venerati sunt. Ephræmum, Cyrillum, Ambrosium? Solam fidem iustificare negarunt. Et quid pluribus? omnes hi sancti, & alij omnia illa fecerunt, quæ vocant opera mala ministri Caluiniani; omnibus igitur illis parata pœna; iam dicta sententia est. Nullam enim ob causam in nos sæuiunt, quæ non sit nobis cum sanctis communis.

In Principem male agentem permittit vindictā.

Locus octauus. *Cum superior magistratus degenerat in tyrannum, inferiori coercitionem concedit.* Sed tyrannidem pro suis affectibus interpretantur Caluiniani; eo modo quo ille dixerat. *Si male agant.* Huius rei iam fructum carpunt, qui Pareo obsecuti sunt. Imo multas causas adfert contra Principes, vt nunquam possit deesse causa eos deijciendi. Si eorum impediat cupiditates, mox audiet. *In tyranno cessat relatio magistratus.* At si quis Catholicus Princeps ditiones suas reformet, mox audit tyrannus, legatur seditiosissimus Vtzingeri contra Iulium Principem Herbipolensem libellus. Itaque ille ex Parei sententia nomen, & potestatem amisit, cum suos ad veram religionem adduceret, à suis igitur Satrapis occidi, eius ministri præcipitari potuerunt.

In Catholicos Principes semper arma parata sunt.

Cætera exempla quæ Pareus adfert, eo seruiunt, vt nulli Principi Catholico securo esse liceat, vt in libro de pace docui, quia omnes Principes Catholici sunt illis scortatores

ctitores cum meretrice magna, sunt illius scorti membra & artus, sunt persecutores, sunt illis tales, quales depinxit Aretius.

Cum igitur Pareus, Aretius, Graserus, alij doceant.

1. Imperium esse à diabolo ornatum. *Synopsis doctrinæ sectariæ de Principibus.*

2. Mirari & adorare bestiam, adorare diabolum, esse imperium mirari nimium, augustum vocare, &c.

3. In imperio esse persecutiones quam late patet.

4. Diaboli mores hodie in Imperio probe exprimi.

5. In imperio singularem adhuc regnare hypocrisin.

6. Draconem esse Spiritum agentem in bestia.

7. Draconem inspirare ingenium malignum Imperio.

8. Spiritum malignum esse σύνεργον, & efficaciter regnare in Imperio.

9. Stultos esse, qui Imperij successum admirantur.

10. Triplicem impietatem esse in Imperio Romano, rem ipsam loqui.

11. Causam hypocritarum strenue defendere Imperij possessores.

12. Adhuc reformati Imperij bestiam adorari velle.

13. Manere impietatem ex Principum successu, ideo ad eorum partes transire homines.

14. Bestiæ huius, id est, Imperij cultores, ab æterno vasa iræ esse.

15. Cum Lutheranos in Catholicos reformatores Principes concitent.

16. Cum

16. Cum conuersos ad priscam martyrum fidem, tyrannide Antichristi sub iugum coactos mentiuntur.

17. Cum id dolis & armis principum Catholicorum factum dicant.

18. Suos principes hortentur, vt votis, consilijs, actibus obuiam illis reformationibus eant.

19. Cum actus illi non sint tantum conciones, & scriptiones prædicantium, sed consultationes, tractatusque conuentuum, & comitiorum, & decretorum executiones.

20. Cum caput actuum & consiliorum Pareanorum sit Syncretismus contra Papatum.

21. Cum in illis consilijs de concionibus minima sit cogitatio.

22. Cum doleat Pareus Lutheranos adhærere Catholicis.

23. Cum pellere Lutheranos, vocent opus Domini.

24. Cum subditis magistratibus det arma, vt sint terrori Domino maiori.

25. Cum omnibus principibus mandatum dicat; vt exurant Babylonem, hoc est Papatum, carnes eius comedant.

26. Cum hoc mandato iurisdictionem in Papam, & Papæ asseclas, velut Antichristi, seu Babylonis membra datam asseueret.

27. Cum omnes Catholicos blasphemos, idololatrasque iudicet, & suis magistratibus publice mandatum affirmet, vt resistat eorum operibus malis. Cum hæc inquam doceant.

28. Ex his consequitur, Catholicos seu Ecclesiasticos, seu principes sæculares vel vnam horam securos non esse, si Parei consilium placeat Principibus Euangelicis.

gelicis. Imo neque Lutheranos, si illi qui se Reformatos appellant, zelum Pareanum induunt. Neque Reformatis, si scalam sceleratam Antichristi erigant, vt regem Angliæ facere clamant Puritani. Neque Arminianis, si aduocatos & syndicos in custodiam compingant Gommariani.

Hæc summa est, periit non modo fiducia, sed etiam mentio pacis, si latrocinantium theologorum Parei machinationes & fratrum eius, Principum animos occupent.

CAPVT LVI.

An tot discordiis remedium reperire possint Nouatores?



ERTVM est eâ prouidentia, & αὐταρκείᾳ Rempublicam Ecclesiasticam à Deo constitutam, vt in ea veritatis agnoscendæ, errorumque deprehendendorum infallibilem normam collocarit, iudicemque litium ac controuersiarum finiendarum dederit. Neque enim vllo modo Reipublicæ nomine digna est illa ciuitas, in qua ita de iure manum conferunt incolæ, vt post multas expensas, & longa litigia, de causa sua maneant incerti. In qua nullus est, qui ita sententiam pronunciet, vt altera pars victricem, altera se victam cognoscere possit. At vero tales Respublicæ sunt omnes cœtus Nouatorum, sine normâ, sine iudice veri. Non sunt igitur Ecclesiæ Christi.

Omnis Respublica bene cõstituta potest lites finere.

Scripturam omnes iactarunt, sed omnes pro se contra aduersam partẽ vsurparunt. Et iam nunc fatentur Gommaristæ seu Rigidi in Hollandia non posse rem ex scripturis solis componi. Non enim illa hactenus inter litigantes eo modo sententiam dixit, vt vlla pars se causa cecidisse fateretur.

Nullus in Belgio se victum agnouit.

Superest vt Synodo concordiam sanciant; Verum nec

Dudlæus orator Britanniæ Belgas oppugnat.

hanc viam esse tollendis controuersiis, odiisq; idoneam ipsi satis fatentur. Quanquam enim Dudlæus *Charleton* Regis Britanniæ apud ordines orator, Synodum nomine sui regis suadeat, ostendatq; iudicem non esse, nisi Synodum, non persuasit tamen Arminianis.

Ego quidem in thesi ostendi *Synodum* esse non posse, libro *de Synodo Euangelicorum syncretismo, & pace Germaniæ*, sperare tamen se fingunt Rigidi, idcirco ex *Germania, Britannia, Heluetia* sui commatis demagogos euocarunt, vt Arminianos obruerent.

Verum contra excipiunt *Arminiani* esse non posse, nec vtilem esse. Quorum ego sententiam verissimam esse facile ostendam, & multis rationibus demonstrabo, & tu lector plures à nostro. P. *Maximiliano Sandæo petes.*

Vbi multa sunt capita, nulli vni concessa est potestas in omnia.

Prima ratio est, Non habent, qui legitime Synodum conuocent, non ergo legitima Synodus esse potest. Nisi enim auctoritate, & potestate magistratus cœtus congregatus sit, turba est, in qua nec ordo, nec iurisdictio, nec auctoritas vlla esse potest. Clara igitur est consequentia. Antecedens fatentur ipsæ Prouinciæ Belgicæ, neque enim Rex quispiam, neque Generales status indicere possunt Synodum, prouinciæ autem nolunt. non erit igitur Synodus. Non potest *Rex* vllus, quia nullum agnoscunt ordines. Non possunt ipsi *Ordines*: Nam singulæ prouinciæ eam libertatem religionis obtinent, vt penes ipsas, non penes generales status ius sit statuendi. Hoc probat ille qui eâ de re scripsit accuratè, & oratoris Britannici errorem demonstrauit §. 51. *Quia secundum Libertatem & patriæ Prouinciarumque priuilegia nulla omnino prouincia alteri, aut omnes vni, in rebus Religionis leges ponere vlla potestate aut iure possunt, nec suffragijs inuicem opprimere, tametsi vel vnica ab alijs omnibus dissentiret : sed necesse est singulas viritim, in id quod agitur liberè consentire. Nemo enim (nisi*

VVtegscha el. pag. 53.

in Bel-

in Belgicis rebus planè hospes sit) nescit, Prouinciarum quamlibet absolutam habere iurisdictionem, & vnam alteri non magis esse subditam, quam aut Imperatori aut regi cuicumque extraneo, idque in omnibus, ad quæ ex vi pacificationis seu postremæ vnionis, non obligantur. Qua sanè pacificatione nullatenus dominium suum & absolutam iurisdictionem abdicarunt; sed quælibet suam retinuit, tam in gubernatione reipub. quam in iustitiæ administratione, ac speciatim religionis cura. Imo tantum abest vt per hæc pacta conuenta Prouinciæ suis Priuilegiis, & ex iis consequo absoluto Dominio renuntiarint, aut sibi inuicem in respectiuis specialibus ac particularibus priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, iuribus, statutis, laudabilibus & probatis consuetudinibus, aliisque iuribus præiudicare, aut impedimento esse voluerint: quin potius è contrario idcirco sese coniunxerunt, vt se mutuo modis omnibus, quoad possent, adiuuarent, stabilirent, atque defenderent contra omnes, quicunque ii forent, qui prædicta illarum priuilegia & iura de facto quomodolibet violare attentarent. Quo igitur fundamento nunc sub prætextu religionis, (quod ipsum etiam olim ab Hispanis tentatum) aliis prouinciis autoritas sua diminuitur? Qua specie rationis seu æquitatis, post alias, prouinciarum potentissima Hollandia (quæ durante bello maiora reliquis grauamina sustinuit, easq; magnis pecuniis collatis defendit) Dominationi aliorum ac veluti tutelæ subiiciatur, idque ab iis qui maximis ab ea commodis affecti sunt? Recte dictum à Lipsio, factiones vt plurimum ex ambitione pullulare, cum vnus alterum loco mouere, eiusque sedem inuadere nititur. Deus nouit, & ego cuiusque conscientiæ relinquo, an non & nostra calamitas eodem ex fonte ducat originem.

Vide Emanuelem à Meteren lib. 20. fol. 422. A. & 423. B.

Videatur Articulus 1. vnionis vltraiectinæ posterioris.

Polit. lib. 6. cap. 3.

Prouincias autem nolle omnes, & ipsæ profitentur, cogi autem non possunt. Quia illorum libertati iuramento cautum est.

Secunda ratio. Altera pars, scilicet Remonstrantes, nimium tribuunt magistratui. Quos accusat Charleton, *sæculari potestati hanc authoritatem deferre dando Cæsari quod*

Dudlæus negat ad magistratum pertinere agere de Synodo.

cæsaris est, nimium in alteram partem declinare est. Et Deo auferre, quod est Dei. Nam Remonstrantes à Classibus, & fratribus suis Rigidis immitissime agitati ad auxilium Magistratus confugerunt, quod orator illis exprobrat. Magistratum igitur iudicem illi volunt, non Synodum, ideoq; Synodus esse non potest, quæ sine auctoritate futura est. Prius igitur statuendum est: sit ne decidendi facultas penes Magistratum, an penes Synodum? Quæ controuersia finiri inter eos non potest. Quia nec à Synodo nec à Magistratu. Quia partes non sunt iudices idonei. Ideo non possunt pro se iudicare contra aduersarios, nec enim ministri Bataui sunt tota Ecclesia: nec ordinum potestas est vniuersalis in omnes ministros. Deinde tandem causa cadent prædicantes, & ius erit penes eos qui plus poterunt. Rem enim contra famulum suum iudicauit serenissimus rex Britanniæ magnæ; vti patet ex *Summa conferentiæ* Anni 1603. in Camera Majestatis suæ peractæ, & à *VVilhelmo Barloun* Theologiæ Doctore & Chestriæ decano editæ, & deinde Leidæ lingua Belgica excusæ pag. 38.30. cum enim contingeret *Raynoldum* mentionem facere instituendæ *Synodi*, in qua Episcopus cum Senioribus suis puncta controuersa determinaret, quæ antea decidi non potuerant, commota Majestas Regia est, existimans *illos Schoticam Senioritatem* (sit venia verbo) *intendere, aut id conari, quod tam cum Monarchia concordat* (vt ipse Rex loquitur) *quam cum dæmone* DEVS. *Ibi*, inquit idem, *Petrus & Paulus, Thomas & Matthias conuenient, & ex arbitrio suo me & consilium meum, omnesque processus nostros suæ subiicient censuræ: Ibi surget Petrus dicetque*, Ita erit: *& respondebit Paulus*, Non ita volumus, sed hoc modo erit; *ac propterea quod antea dixi repeto*, Le Roy S'avisera [Rex ipse deliberabit] *Amabo vos expectate etiamnum septem annos priusquam tale quid à me petatis; & si tunc asthmaticum me &*

Rex Britanniæ aliter sentit, quam eius orator.

VVegsibaeld 50. &c.

præ-

propinquem inueniatis & ventosis tubis obturatum, fortassis audientiā dabo. Qui certus sum, si vel semel iste regendi modus inualuerit, mihi tunc obturatum os iri. Vnde etiam patet Regiam M. non ad Synodum confugisse, sed ad Secretam suam cameram in Hampton Court.

Hæc igitur lis cum vtrinque magnis conatibus litigetur, ἄπειρος erit, & risum hostibus, commiserationem Catholicis exhibebit.

Tertia ratio. Huc pertinet difficultas Synodorum Prouincialium, Geldriæ, Zutphaniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Vltraiecti, Frisiæ, Transisulaniæ, Groningæ: Forsitan & speciatim Amstelodami: eorum ministri incentores, & approbatores fuere publicè f ctæ direptionis Arminianorum, quæ crudelitas operosa disputatione pallianda est, ne cœteris nō probetur: At Synodi præparatoriæ impedient generalem omnium prouinciarum; primo quidem quia diuersa sentient: Deinde quia ipsæ Synodi inter se diuisæ sunt. Synodus prouincialis Hollandiæ definire nihil poterit, quia Arminiani nihil nisi quod ipsi sentiunt, rectum iudicant, Gommaristæ nullum nisi Rigidum ablegabunt. Itaque altera pars contra alteram protestabitur, & tandem nemo tam stolide se aduersariorum odiis exponet, vt se cum semiplena, hoc est litigiosissima commissione sine spe det in periculum.

Synodi præparatoria nō recte peragentur.

VVeg. 53.

Quarta ratio. Synodalis ille consessus, & disceptatio, contra sententiam Caluinianorum ingens miraculum statuit, sine quo esse non potest. At Ecclesiæ conuentus, & disputationes miraculis nequaquam nituntur. Cur enim non potius angelum cœlo poscunt, quam Synodum moliuntur, quæ sine miraculo esse nulla potest? Miraculum vero in eo est, quod homines sibi infensissimos, diuturnis, pertinacibusque odiis exasperatos, ira, pudore, æmulatione, mendaciis plenos, subita metamorphosi,

Synodus Belgica sine miraculo colligi non potest.

Subita metamorphosis in multis fieri non solet.

mites, placidosque fore arbitrantur: Et cum infestos præsentia incendat, armetq;, hi mox vt se mutuo cōspexerint, omnia vitia exuturos opinantur. Quasi vero Atreus, cum fratris aspectu stupefactus hæsit, feritatem posuerit, aut Thyestes regiis opibus non anteposuerit siluestres fugas, quia *videndus erat & frater*. Hoc igitur assero sine manifesto miraculo non fore, sine irâ, iurgio, odio, maledictis, cōtentione, inuidia, mendaciis disputationē, si enim hactenus, vt de se mutuo testantur, omnia mendaciis impleuerūt, cur nunc subito vereātur fallere, q̄ hactenus didicerunt? Perinde igitur faciunt, ac si quis montanos latrones in teneram aliquā regionem immitteret, & datâ occasione putaret continuo bonos colonos, virosq; euasuro .

Norma fidei deest Belgis.

Quinta ratio. Nulla est regula & norma, ad quam dirigere disputationes fidemq; possint, temere igitur in vasto controuersiarum oceano nauigent, & quo opinionis alicuius impetus egerit ferantur necesse est. Non est scriptura, non traditio, non Conciliorum, non patrum, non Ecclesiæ auctoritas. De primo probandū est, nam de cæteris sponte fatentur.

Scriptura vti nō possunt.

Scripturam non posse esse illorum normam, & iudicem tam facile patet, vt negare ipsi non possint; vt supra ostensum est in Dordracensibus. Deinde scripturam singuli pro opinionis suæ analogia interpretantur, ex quo oritur, vt ea legenda anticipatas sententias vnusquisque confirmet.

Siue mutent Synodales sententiam, seu teneant maior erit discordia.

Sexta ratio. Eorum qui à prouinciis ad Synodum mittentur, duplex conditio fingi potest: Vel enim aduenient cum liberis mandatis, vt quod visum est in Synodo statuant. Aut sane in suarum prouinciarum sententiam iurati aduenient. Si libertas dabitur, non tamen ipsi legati facile sententiam mutabunt. Aut si mutent, non ideo sua transgressione totam prouinciam suam trahent. Imo maior hac

ior hac ex re discordia orietur. Fieri enim potest, vt Arminianarum vrbium legati pedibus in sententiam Gommaristarum transeant, & Gommaristicarum deputati Arminianas opiniones amplectantur: quod si fieret, dissensiones omnes in duplum augerentur. Variæque Rerumpublicarum motiones consurgerent.

Septima ratio. Prouinciarum ministri, magistratus, populusque, quo iure viuet, durante Synodo? An omnia solita confidentiloquentia docebunt? an vero ex futuro iudicii decreto omnia pendebunt? Si docere pergent, vtrinque nihil iuuabit Synodalis definitio, cum sit paucorum, & quos errare facilimum sit. Si dubitare iubeantur, cœlum, & terram miscebunt: cum hactenus tam confidenter, tam furiose sua dogmata propugnarint. Itaque si quid in fide mutarint illi, qui deputati fuerunt, ad suos nequaquam reditus permittetur. *Omnia Synodus instituta confundet.*

Octaua ratio. Palinodiam, & reuocationem opinionum impediet magnopere, is qui in Republica est, honoris, & famæ respectus. Cum enim alii alios non modo vt hæreticos, sed etiam vt infames, mendaces, calumniatoresque traduxerint, non possunt redire in gratiam, nisi se tales fuisse agnoscant. Quam rem illis perpetuo amici, inimici, atque nati, & nati natorum exprobrabunt. *Palinodiæ ministros reddet infames.*

Nona ratio. Ordo Synodi nullus omnino futurus est. Nam vel præsidebunt Magistratus, vel Prædicantes. Non magistratus: olim magistratum Prædicantes non agnoscebant. Anno 1586. *Prædicantes multi*, inquit Olde-Barneuelt in Apologia, *iam status vltra non agnoscebant. Postulabant (insciis statibus) à comite Licestrio indictionem Synodi, quam nationalē appellabant.* Deinde orator Charleton id negat faciendū esse. Non prædicantes: nam eorū olim *Prædicātes magistratibus infesti.*

decretis

decretis obstiterunt status, & dissimulare tamen sunt coacti. Ita pag. 7. Olden-Barneueltius. *Diuulgantur decreta prætensæ Synodi Nationalis. Generales status difficultatem fecere in iis approbandis sine consensu statuum respectiuarum prouinciarum, à quibus ipsi delegati, quo facto summam contraxerunt inuidiam, & offenderunt plurimum. Actum est contra illos scriptis, conatibus, publicis in templis concionibus. Status Hollandici nonnihil tempori cessere, bonum factum rati, si ad tempus decreta acceptarent: dummodo interea Status, Nobiles, & ciuitates suum quique ius retinerent Ecclesiæ ministros constituendi, amouendique.*

Cedunt status ministeriis, sed ius tamen suum recuperant.

Quod si tamen conueniant: parine iure, & merito dicent suffragia? Quis pares numero, & odio conciliabit?

Decima ratio. Quis numerus Synodalium constituetur? sint sane ducenti, si centenos Arminianos totidem Gommaristis paria componendo ex aduerso loces: deinde æquale suffragiorum ius vtrique parti conferas, centũ opiniones aliis centum contrarias experiêre. Si vni Sectæ plures attribuas, de iniquitate querentur cæteri: Impari enim numero qui erunt, se multitudine opprimi dicent: sua suffragia etsi minora, tamen saniora esse iactabunt.

Ratio vndecima. Multi ex deputatis sententiam suam publicis scriptis explicuerunt, alios damnarunt: Non refutabunt illi sua decreta: non enim errasse se duntaxat, fateri oportebit, quod humanum est, sed mentitos etiam, quod est impostorum.

Synodus acta publica rescindet, exules reducet.

Decima tertia ratio. Respublicæ, & ciuitates plurimæ carcere, exilio, mulctis, aduersæ religionis homines vexarunt: Amstelodamenses concursu facto publice expilari Arminianos viderunt: His non sufficit erroris agnitio, sed necessaria est damnorum, & contumeliarum compensatio, quam præstare & luere oportebit prædicantes,

tes, quorum turbulentis concionibus patria concussa est.

Decima quarta ratio. Ecclesia eorum est inuisibilis, omnes qui eam constituunt inuisibiles; Synodum igitur etiam inuisibilem esse oportet. Qualis Ecclesia, talis Synodus. Quid enim si in ea Synodo spiritum Dei, fidemque nullus habeat? Esse igitur Synodus non potest. Quis enim conuocabit Ecclesiam, quam videre, audire, cognoscere non potest? Synodus pars Ecclesiæ est; & quidem nobilissima pars, non formalis, sed integralis, itaque totius recōditi, & inaspectabilis pars etiam inaspectabilis erit. Non igitur Synodus eorum Ecclesia dici potest.

Ecclesia inuisibilis Synodus inuisibilis erit.

Decima quinta hinc consequitur Concilij decreto nullius conscientiam stringi, nescitur enim an illa sit pars Ecclesiæ inuisibilis; atque adeo an sit Ecclesiæ quam proferunt sententia, an vero infidelium, atq; Ethnicorum.

Sententia non obligat, nisi constet esse à vero iudice dictā.

Decima sexta ratio. Synodo impedimentum ex aduenarum multitudine, & varietate maximum obijcietur. Si enim suffragij iure Galli, Germani, atque Angli donandi sunt, non potest id iudicio Arminianorum aliter fieri, quā vt ex vtraque parte pari numero sententiarum partes iuuentur, quæ res non modo litem non sedabit, sed in peregrinas regiones etiam disperget. Quanquam nunc quoq; satis controuersiarum habeat tam Gallia, quam Anglia.

Lites ex peregrinis augescent.

Decima septima ratio. Exterarum gentium Theologi, suorum cœtuum, Principum, ac Regum opinionibus obnoxij sunt, nec aliter sentire, aut loqui poterunt, quam illi à quibus mittuntur. Nec si aliter faciant, ab cœtibus & principibus suis recipientur vnquam. Si enim Auraicus princeps iam olim de his ordinabat, quid nunc reges facient? *De ordine*, inquit Barneuelt pag. 43. *iam inde ab anno 74. quæstiones in his prouinciis motæ sunt: Asseuerantibus Domino meo Principe Auraico, piæ m. & Dominis statibus, sui muneris*

Principū exterorū sententias ferunt peregrini.

neris esse leges & ordinationes Ecclesiasticas condere, vtpote penes quos legitima superioritas resideret; conformiter viui in omnibus Regnis, Prouinciis, Rebuspublicis, Ciuitatibus, recepto, quæ Reformationem aduersus Idololatriam, hæresin & tyrannidem Papatus susceperunt.

Ex alijs igitur partibus nō nisi rigidus Zwinglianismus, aut Socinianismus, aut Lutheranismus erit exspectādus. Cur enim nō in subsidium Lutheranos, & Catholicos vocent Arminiani, si Gommaristæ trahant Zwinglianos?

Decima octaua ratio. Ne locum quidem ex æquitate constituerunt, qui Synodum quærunt.

Locus Synodo non conuenit. Dordracum nominarunt. Qua in re non pauca incommode accident. Primo ciuitas illa remota est à Phrisiis, Transisulanis, vt difficilius venturi sint, & non nisi tædio mansuri. Secundo, Insula est; ideoque minus liber, & pro arbitrio discessus. Tertio. Dordracum antiquam cū Hollandia, cui se crebro opposuit, æmulationem exercet, itaque nihil moderabile ea in vrbe possunt exspectare, quos præter gentis odium commune, etiam religionis causa persequuntur. Quarto. Nec tutos puto futuros; Nam quamuis tumultum populi nondum in Arminianos conciuerint Dordracenses, nec more Ambstelodamensiū miseros diripuerint; non tamen defuerunt Ministri eorum, qui publicitus acerbissime contra eos scripserunt, idque egerunt, vt Dordracensium Arminiani latere, quam expilari maluerint. Quinto, Forte timorem nonnullis incutient priscæ clades eluuionum, nam cum à continente auelleretur, centum millia perierūt, vnius id hominis maleficium fuit. Sexto. Vino probando ea ciuitas aptior est, quam censendis dogmatibus; ideoque τὸ δοκίμιον τοῦ οἴνου, non autem τῶν πνευμάτων ibi collocarunt maiores, quod tamen ipsum non sine lite tenuerunt, multis enim contra Geldros, & Transisulanos contentionibus ius illud tenuerunt.

Stapula vini.

runt. Septimo. Suſpecta eſt etiam Brabantiæ, & Hiſpanorum vicinitas, quæ hiſce litigijs excitata, de bello Quinti & ſexti Euangelij claſſicum canet. Octauo. Dordracum plenum eſt Gallis, alijſque exteris, ideoque ciuitas magno ſtrepitu perſonat, non poterunt tuti eſſe Arminiani. Quod ſi inſidiæ nullæ ſtruuntur, cur non Leida, Harlemium imo ipſa Haga conceditur.

An hoc agitur vt captiui Hiſpanis tradantur?

Decima nona ratio. Nimia Synodi indicendæ contentio, magno prouinciarum aliter ſentientium præiudicio vrgetur; Cur n. legem Hollandorum pars, & Zelandorũ præſcribunt? cur Magiſtratus Arminianos in ordinem redigunt? cur alias prouincias quaſi victas & ſeruas occultis molitionibus exarmant? deinde pręſidijs premunt? Omnium horum cauſa eſt religio, pro cuius libertate ſe pugnaſſe putant Arminiani, & nunc grauiſſimas exactiones pendere, non vt conſcientijs conſulant, ſed vt abominatiſſimis Borboritarum, & Manichæorum inſanijs ſubſcribant. Si igitur poſt tot contumelias etiam publico decreto Synodi condemnentur, cum ſint doctior, & honeſtior Hollandiæ, Belgiciq; pars, quis dubitare poterit, patientiam tam indigne læſam in furores abituram, inde arma in promptu fore?

Synodus alias vrbes aliis ſubijcit.

Viceſima ratio. Gommarianiſmus ſine armis induci nõ põt, ciuitates igitur præſidio firmandæ ſunt, vt Rigidorũ opinionibus obſecundent, aut ſi credere nolint, obſidione cingendę. Atq; hac ratione verſis in mutua viſcera gladijs, ſemineccem patriam tradent illis, quorum imperiũ fugiẽdo in miſerrimã ſeruitutem ſpecie libertatis deciderunt. Quæ n. facies illius patriæ futura eſt, in qua vnica ſecta dominatur, cæteri opprimũtur? Aut quomodo pro aris, & focis, pro religione pugnabũt, qui ꝑpter religionẽ ſeruire coguntur? Quia ea ſolũ cauſa, q̃a Zwinglianiſmo Rigido

Nimia libertas duplex eſt ſeruitus.

non credunt, cum infamiæ nota dignitate sua deijciuntur? cum ex vinculis apud inimicos causam dicunt.

Nunc superest aliqua spes, ideo nondum extrema tentantur, quod si Synodalis violentia in desperationem eos egerit qui nolunt esse Borboritis, & Manichæis magis insani, non poterunt se continere, quin quidlibet malint, quam ad horridas illas opiniones accedere. Quod si sub idem tempus induciæ soluantur, qua concordia resistere poterunt?

Vicesima prima ratio. Synodi decretum quale futurum sit, iã ante prædixerunt Arminiani, & nunc præparatoriæ ostendunt. Nempe quo damnẽtur Arminiani, probentur Gommaristæ. Itaque non opus est tam operosa, tam sumptuosa conuocatione, cum iam ante Synodum executio synodalis sententiæ vigeat. In hunc enim finem Arminiani in patria, & ad Tribunal magnæ Britãniæ accusati sunt, præsidia vrbibus Arminianis imposita, magistratus Arminiani in ordinem redacti, prædicantes coerciti fugatiq;, templa restituta Gommaristis. Quæ cum vehemẽter animos offendant, si illa eadem publica Synodi nationalis sententia comprobentur, omnes qui causa cadent, experientur hac re Amstelodamensibus, alijsque rigidis dominationem quæri.

Exspectata Synodus sæuit, quid faciet regnãs?

Turbas igitur & tumultus ciebit Synodus; Eos enim qui iure æquales sunt, & in speciem hactenus ęquales fuere, inæquales faciet; quod in libero populo sine magna cõmotione nunquam est factum, nunquam est futurum.

Vicesima secunda ratio. Vindicta à Rigidis quæretur, qui enim grauiter se læsos arbitrantur, quique verentur, ne maioribus incommodis afficiantur, illi vbi potentiam, & auctoritatem nacti fuerint, sæuius grassantur. at vero Rigidi de summis mollium iniurijs iudicio queruntur, & integros libros conscribunt; nemo itaq; sperare potest in

ira

ira quam iustissimam existimāt, tam lentos fore, vt non vtantur præsidio Synodi, qui ante Synodum hostilia omnia fecerunt. Coloniæ est impressa Epistola Hagensis, quæ Hollandiæ statum exponit. Initium est: Decimo quarto die Iunij è Phrisia secundo cursu huc appulit comes Wilhelmus.

Neque sperari potest rigidos victores fore mitiores, quam fuerint molles; nam & natura sunt ferociores, & sectæ suæ decretis ad crudelitatē, quam etiam Deo tribuūt, incitantur, accedit dolor, & ira, quod iniuriam se passos arbitrantur. Denique illis, per quos vicerunt, hoc est, ministris rigidis obsequendum erit.

Vicesima tertia ratio. Ne sumptuum quidem ratio Synodum permittit. Nā primo multos esse oportet, alioqui auctoritas aberit, cum enim omnes hactenus sint æquales, pauculorum conciliabulum cæteris præiudicare non poterit. Deinde vocantur è Gallia, Anglia, Germania Coryphæi prædicantium, sine illis enim parum firma decreta opinantur, impensas igitur numeroso hospitum exercitu crescere est necesse. Tertio, non soli conuenient ministri, familiam, vxoresq; trahant, oportet. Cur enim cum dono castitatis careant, ad Synodalem cœlibatum adigantur? Prima igitur sessione sancient de adducendis, aut retinēdis familijs. Quarto, Diuturna erit Synodus, nam supra quinquaginta articulos cōtrouersos enumerāt, cum autē hactenus ne vnum quidem decennio definierint, multos annos tam multis impēdent. Sint igitur ministri Arminiani quingenti, totidem Gommaristæ, exteri ducēti, in vniuersum 1200 sint octingenti politici, & legati Prouinciarum, nam & illi sententiā dicent, ne ministri superent. Verum malo pauciores ponere, sint sane trecenti. Vt totus numerus Synodalis sit mille quingentorum adde, totidē vxores, famulos, & ancillas, filios, & filias facile octona,

In multitudine nimius sumptus, in paucitate nulla auctoritas.

vel nouena millia inuenies. His de hospotio victu, vestitu prospiciendum est; verum ita numerum contrahamus, quatuor duntaxat millia ministri cum suis familijs efficiant. Sumptu tamen magno patriam grauabunt, faciliusque erit dena peditum armatorum millia alere, quam ministrorum præsertim exterorum, & vxorum lautitias instruere. Militum victus facili commeat via, doctores illi sericati, delicijs assueti, alias dapes exposcunt. Nec decet Synodales, & omnium ministrorum primos pilos nimia frugalitate castigari.

Sumptu in Synodū expendendo exercitus ali poterit.

Sumptum vero illum grauem esse prouincijs fœderatis nemo dubitabit, qui penitius rationes eorum considerarit, omnia enim hactenus conturbata fuerunt. Docet hoc Apologia Barneueltij, qui refert, *cum ipse ad officium aduocati vocaretur, Collegia Magni, & prouincialis consily, rationum præfectos, & Magistratus Hagæ eo fuisse erga status animo, vt voce ac scriptis in dubium vocarent, essetne etiamnum statuum Hollandiæ, & VVestphrisiæ reliqua tanta autoritas, vt censuum, & contributionum impositarum executionem facere possent.* Pro mutuo accepto necesse fuisse quotannis duodecim pensionis loco, & duos pro proxeneticis pendere addit: Maiora multo erant reditibus grauamina. Quam vero maiora fuerint docet idem pag. 14. *Ex quo tempore Rex Galliæ cum rege Britannico, ac porro cum Hispano atque Archiducibus pacem inijt, nouem postremis belli annis excreuerant debitorum & expensarum grauamina, vt omne censuum ac contributionum pondus (tametsi non mediocriter auctæ essent) 26. milionibus florenorum excederent: vltimi etiam duo anni parua admodum gloria, magnoq; cum detrimento decurrerant, quin & maioris periculi restabat metus (duabus interim expeditionibus hostium vigilanti studio amolitis) eo, quod per idem tempus exterorum subsidia, & minus certa, & cum maiore patriæ onere coniuncta essent, quam antehac fuissent; & quod*

Hollandia ære alieno oppressa.

& quod tantis grauaminibus incrementa sumentibus, status patriæ totius tandem ad desperationem redigendus videretur: quemadmodum triennio ante Senatores, & calculorum præfecti monuerant. Ecce tanta fuere grauamina, illa nunc in pace, assidentibus de Synodo conuocanda ciuitatibus aucta sunt. Dũ aliarũ libertati aliç imminent, aliæ suam libertatem, religionemque ciuilibus armis protegere, & tueri conantur. Interim & illæ vrbes, quæ nunc militem legunt, ne in Synodum conuocandam cõsentire cogantur, multo difficilius ad sumptus præstandos inducẽtur. Nam prædicantium contentiones multo patientius permittẽt, quam nummos pendant. Ne bellum prædicantium geratur, bellum in Republica geritur, nec desunt tamen, qui putent, ciuitates pecuniam non collaturas, vt decertare possint prædicantes, cum omnibus opibus eorum sedare certamina conentur.

Vicesima quarta ratio. Quædam sunt vulnera, quæ vẽtum, auramq; non ferunt, ita & hæc mala reipublicç patefacta medicinam respuunt. Synodus vera illa non modo faciet notoria, sed etiã summo iure, & publice nota. Quo facto pudor nequitiæ amittitur. Recte hoc agnouit callidissimus senex Oldenbarneueltius, qui semper discordias illas celare conatus est. *Ex animo*, inquit pag. 27. Apol.) *Dolui ob orta inter Remonstrantes & Contraremonstrantes dissidia. Semper & omnibus modis laboraui, ne illæ emanarent, aut in publicum erumperent. Procurato primum, vt præsidentibus diuersis Ecclesiasticis personis, causa Arminij intra priuatos parietes examinaretur: quem in finem negotium in domo Domini de Noortvvyck p.m. tanquam Senioris Curatoris vniuersitatis Leydensis, habitum deseruijt, & deinde negotium institutum in summo Consilio inter Gomarum & Arminium Præsidibus Ministris diuersarum Ecclesiarum vtriusque partis. Ego neutram opinionum acceptaui, aut respui: cum intellexerim*

Discordiæ, dum celantur, sanabiles sunt.

xerim (conformiter ad sapientem admodum instructionem & iteratum scriptum Regis Angliæ) vtramq; opinionum sine præiudicio veritatis, in Christiana charitate & vnione tolerari posse. Cauebo etiam, ne, qui harum tragœdiarum autores sint, indicem. Sed malum potissimum ex Synodali quodam Decreto prorupisse arbitror, quo Leydensibus Theologiæ Professoribus, & omnibus Prædicantibus præceptum fuit, vt cum timore Dei aduerterent ad ea, quæ Confessione Batauica & Catechismo Heydelbergensi contenta sunt: & sicubi quippiam dubitarent, id singuli annotatum suas ad Classes transmitterent. Cuius decreti causam dederant omnes priores Ecclesiasticæ differentiæ & controuersiæ, quæ cum Caspare Coolhaes, H. Herbarts, Taco Sybrandts, Cornelio VViggers, & alijs pluribus de intellectu, sensu, & varia interpretatione quorundam punctorum in supradictis duobus scriptis contentorum (præsertim Prædestinationis Diuinæ) originem traxerant: & quod propterea anno 1597. V. Ampl. Pot. intellexerant, Confessionem in Synodali congregatione reuidendam & corrigendam. Nam postquam Commissarij vestri vos de prædicto Synodali Decreto iam certiores fecissent, iudicastis, non expedire, vt dubia Professorum & Prædicantium respectiuis eorum classibus traderentur; metuentes, ne sic inter Theologantes ingens dissensionis flamma suscitaretur. Ex quo manifestissimum, & ordines, & Barneueltium hoc egisse, vt tegerent illa probra, nunc igitur aperiri profundius, & ostentari alienum est ab vtilitate publica.

Vicesima quinta ratio. Nec modo controuersiæ, & errores, sed scelera ipsa nostrorum ministrorum per ora hominum traducentur; exemplo sint Greuinckhouius, & Adrianus Smoutius, qui vel sunt tales, quales se mutuo describunt; hoc est, omnium bipedum nequissimi; vel non sunt tales; & sic necesse est omnium calumniatorum esse pessimos. Quem vero in Synodum vocare poterimus,

de quo

de quo non atrociora dicantur? Quid aliud erit illa Synodus, quam τῶν κερκώπων ἀγορά; hoc eorum hominum, quorum pudere prouinciam merito debeat.

Vicesima sexta ratio. Dubius est Synodicæ disputationis euentus, aut certus. Si certo prædefinitum est, quod definiendum est, si præitum est iudicum sententijs, frustra orbis Caluinianus in se commouetur. Si incertum; cur non timent, ne contra Rigidos, Amstelodamenses, atque excellentissimum Auraicæ Comitem sententia feratur? Quod si fiat, quis non animaduertat, auctoritatem eius deiectum iri: & virum magnanimum contumeliam minime laturum?

Nunquā est Synodi vtilitas, cum ante constat definitio.

Vicesima septima ratio. Peracta feliciter Synodo mox contra eam iudicia, scriptiones, famosi libelli, & in rem & in personas proferentur. Omnes in ea aliquid, multi multa, nonnulli omnia improbabunt. Iracundia partium sic accendetur. Si voces liberæ supprimantur, ex occulto virulentius mordebunt. Exempla sunt in Germania, quæ post colloquia omnia Lutheranorum inter se, & eorundē cum Caluinianis nouo paroxysmo tentata est, & bellum redintegrauit.

Post Synodum bella redintegrantur.

Vicesima octaua ratio. Norma disputandi ex eorum legibus sunt biblia, nulla vero sunt authentica, nisi hebræa in vetere, græca in nouo testamēto. Cœteræ versiones auctoritatem humanam habent, vt illi sentiunt. Sola igitur hebræa & Græca lingua in illa Synodo vsurpanda est, omniaque ad illam normam examinanda. At vnde inter illos tot Hebræi & Græci? Tot, inquam, doctissimi, quibus certo constet, se illas linguas ita percallere, vt interpretandi errorem à se abesse sciant?

Hebrææ & Græcæ linguæ imperitia Synodum impediet.

Vicesima nona ratio. Statuamus tamen in natione Belgica tot Hebraice, Græceque doctissimos esse, quis tamē nobis & alijs persuadebit, veros esse ignoti textus interpretes?

Bbbb

pretes? Quicquid enim agetur, eorum verba non erunt nobis authentica.

Ita blasphemant illi.

Trigesima ratio. Quin nonnulli eorum vt Caluinus, vt Vorstius, in ipsis biblijs hebræis errores, & mendacia inuenerunt. Adeo vt hoc fundamento subruto, tota moles casura sit.

Trigesima prima ratio, venient ex Gallia, vt Scharpius, qui negat, magistratuum leges ad conscientias pertinere. Venient ex Anglia, qui Episcopos reducant, hoc est, vt Puritani iudicãt, sceleratam Antichristi scalam exstruant. Hæc portenta dicent Belgæ.


Trigesima secunda ratio. Si Synodales iuramento, quo suis opinionibus obligati sunt placet solui; idem ius tribuendum est omnibus ministris, alioqui Synodo obtemperare non tenebuntur. Timendum vero, ne ea res ad milites, atque adeo Magistratus etiam perueniat.

Trigesima tertia ratio. Quanquam status Generales, principesq; in Synodo constituenda adlaborent, nihil tamen vnquam inuitis prædicantibus conficietur. Inuitis canibus venari difficile esse nostrates recte dicunt. At inuitis omnibus Arminianis, hoc est, dimidia parte, sed doctiore parte Synodus instituitur; inuiti venient, ideoque tardi, omnia moliẽtur, vt re imperfecta discedant. Et quã hoc facile est. De conditionibus & legibus disputabunt, excipient, protestabũtur. Si ad quæstiones responsio quæratur, dilationes iterum, iterumq; postulabunt, valetudinem alij, occupationes nonnulli prætendent, multi propter nuptias dicent se nõ posse disputare, vt factum refert Greuinckhouius. Summa est, nõ potest esse Synodus, vbi dimidia pars non vult esse Synodum; violentia fortassis adhibebitur, & adesse cogentur. Vim depellere nequibunt, sed inutilis ea fuerit præsentia, nam ad disputãdum, respondendumq; adigi nõ poterunt, nisi volentes, nisi alacres,

cres. Alioqui si pœnis ad officium adigere Arminianos velint, Amstelodamũ, censeo, eos pertrahant, atq; in Gymnasio plagiario verberibus, laboribusq; erudiãt, donec inter se contendere volentes lubentes incipiant. Hoc tamẽ Prouinciæ, quæ eos miserunt, non ferent. Deinde erumpent inde, quicunq; opportunitatem nacti fuerint. Concludo itaque nullam omnino Synodum esse posse, ex ea multo minus concordiam sperandam. Ideoque deesse sectarijs controuersiarum componẽdarum rationem, semperque in nouos, & deteriores errores labi eos, qui semel veritatem abiecerunt.

CAPVT LVII.

Pacis ineundæ ratio, & totius operis conclusio.



BONA pax, ô sincera pax, disputationis meæ finis, Ecclesiæ felicitas, vbi te quæram? Me vas electionis Paulus Rom. 14.19. *Iubet sectari quæ pacis sunt.* Petrus Ecclesiæ petra Epist. 1. cap. 3. v. 11. *inquirere pacem, & sequi eam.* Et ipse Deus *non dissensionis est auctor, sed pacis.* Sed quem de pace compellabo? Imo quem compellant iam dudum mecum Catholici omnes? Non Theologos aduersæ partis; nam ἄσπονδον πόλεμον, æternum sine fœdere bellum nobis indixerunt. Quid illis faciemus? quid ab illis exspectabimus? nuper ex illorum cœtu vnus, Iosephus Hallus Polemicen inchoauit, & primam eius partem, *Romam irreconciliabilem vocauit.* Vbi ait, *necesse esse ipsos & Romam disconuenire,* Sect. 21. & Sect. 22. *Citius Romam nouam crearit Deus, quam reformarit veterem.* Non tamen à pace maledictis arcebimur, si à Theologis reijcimur, ad Politicorum moderationem, principum æquitatem

Pax omnibus optata, sed paucis quæsita.

Omnem agendi occasionem præcidūt, ne vera audire cogantur.

confugiemus. Forte facilius pacem dabunt, qui nunc callido ſtratagemate inducti bellum gerunt.

Principũ opus primarium eſt pax.

Nunc itaque vos ô Reges, & Principes, quamcunque religionem à Romana, Catholica, vetere diuerſam fouetis; conuenio. Vos pacis arbitros, patronos, aduocatoſque ſupplex voco. Magnum eſt; fateor; & difficile; quod doleo. Sed magna tamen à magnatibus peti, fas eſt, & quæ natura ſunt difficilia, potentia largientis efficit facilia.

Ambulatoria voluntas reconciliabilis.

Ex errandi procliuitate facilis venia.

Sperandæ mihi pacis cauſa eſt, quæ & vobis dandæ; humani ingenij imbecillitas; quod vehementer quædam affectat, & eadem perniciter relinquit. Quod abeunte die fixum, ratumque habuit, redeunte damnat, & refigit. Hoc igitur indulgendum infirmitati, & vbi innocentiæ perſeuerantia non fuit, ſit pœnitentia: liceatque eo redire, vt concedatur, quod inconſultè negatum fuit; & abdicetur, quod incaute admiſſum eſt.

Multæ mutationes oſtendũt, aliquas poſſe fieri in melius.

Exempla in manu ſunt, & in archiuiorum veſtrorum actis, intra annos centum centies tentata pax, & inter nos, & veſtros; ſed & in partium veſtrarum varijs partibus. Quæ enim regio, quæ ciuitas tenet eam fidem, quam primam poſt egreſſum è noſtra Eccleſia recepit? Alij à Zvvinglio cœperunt, & ad Lutherum acceſſerunt; plerique poſt multiplices in Lutheriſmo commutationes ad Caluinum diſceſſerunt.

Ecce autem cum hæc ipſa ſcribo anno 1618. calendis nouembribus, noua pax, noua Synodus inter Gommariſtas, & Arminianos agitatur, hoc eſt, inter capitaliſſimos, quos Europa tenet, inimicos. Arminiani Gommariſtas, *Manichæos, Borboritasq;* eſſe proteſtantur, atque Dei loco ipſiſſimum Dæmonem adorare. Gommariſtæ nunc militari manu fortiores in Arminianos eadem linea procurrunt. *Turcis, Iudæis, omnibus hæreticis, atq; ipſis adeo Ieſuitis*

aiunt

aiunt *esse deteriores*, nec de pace tamen desperant, quamuis pacem nunquam consequentur, vtcunque inducias, & syncretismos comminiscantur, quia vtrique pacis stabilimento, hoc est; veritatis fundamento carent. Nec vnquam Deus errorum consensum permittit, quin sinat ex eius natura plures dissensiones fluere.

Consensus errantiū multiplicat errores

Si igitur inter tam infestas iras, inueterata odia, recentia vulnera pax speratur, & tentatur; cur non etiam inter nos & illos, qui in sua opinione vehementes, sed tamen instabiles sunt? Bonus & misericors Deus miseratur errantes, forte dabit, vt illę regiones, quæ ter, quater, quinquies, sexiesque ad aliam religionem mutatę sunt, aliquãdo mutentur ad veram. Quos dudum anfractus viarum in Labyrintho lassarunt, inuenire aliquando verum exitum possunt.

Infelix sane error, qui alio errore, vt fluctus fluctu truditur, nunquam veritate eliditur. Confessio Augustana duodecies mutata est, vt est in Coll. Hertsb. fol. 91. & 92. In conuentu Naumburgensi exemplar sincerum frustra quæsitum est. In Altenburgensi Theologi Ienenses eam Cothurnum appellarunt. Omitto cœtera. Si toties vestri Theologi errarunt, in tot sectiones diuisi sunt, possunt etiam nunc errare, possunt damnata resumere, & ad Catholicam fidem redire. Hoc facile futurum est, si vos ô principes, patrum vestrorum vestigijs insistere velitis, ad nutum enim principum videmus verti populorum opiniones, dum potestati se omnes, (quod nunc in religionis negocio verbum proprium infelicitas temporum fecit) accommodant.

Sich bequemen *est religionem mutare.*

Difficultatis autem causæ sunt innumeræ; quæ difficilem, non tamen impossibilem pacem reddunt. Nam primo, hoc est ingenium erroris, vt stare diu nequeat, nec tamen prius ad veritatem redeant errantes, sed dissipen-

Facilius est aberrare, quam Scopum tangere.

tur; sic Ariani, Macedoniani, in varias sectas abierunt, donec ex omnibus Mahometismus conflatus est, & ille quoque in tam barbara gente, partes habet. Ita in Europa fieri videmus, omnes dissentiunt, omnes Christiani esse volunt, sed quota pars sana est? Causa est, quia cæcitate percutiuntur, qui veritatem reliquerunt. Cœci, si ambulare inceperint, maiora diuortia faciunt, quo progrediuntur longius. Causa cur in nouos errores vestri doctores incidant non vna est; sed præcipua tamen, quod non credant vera esse, quæ vobis tanquam oracula sancti Spiritus diuendunt. Refert Mathesius Conc. 12. de vita Lutheri fol. 147. narratum sibi ab Antonio Musa, cum diceret: *se dolenter Luthero questum esse, quod ipse ea credere non posset, quæ aliis prædicabat.* Respondisse autem Lutherum: *Benedictus sit ergo Deus, cum idem aliis, quod mihi vsu venit; adhuc enim mihi soli vsu venire credidi.* Quia igitur non credunt, quod credi ab alijs volunt, aliud, quod verisimilius apparet, mox eligunt, veritatem ipsam difficulter attingunt. Neque enim vniuersa, quæ credidisse videri volunt, simul reijciunt, ne victi videantur, & nouitatis laude delectantur, hinc tot in Belgio, & in Septentrione nouæ sectæ. Hoc nihilominus in malo bonum est, quod in particulas dissecti sese respiciant, & facilius veritatem amplectantur.

Errori iuncta hypocrisis.

Infestius inter se, quam à nobis dissidēt ministri.

Deinde video eos, qui multo grauius inter se, quam nobiscum digladiantur, pacem moliri. Quid hodie vulgatius est, notiusque, quam Syncretismus prędicatorum vestrorum? Creditis eos inter se dissentire? audite Decanum & Theologos Tubingenses anno 1588. tuba terribili insonantes. *Secundo dicunt, errores Zvvinglianorum, & Caluinistarum, quos vocant, Pontificia idololatria longe horribiliores esse. Tertio dicunt, Zvvinglianos & Caluinistas abutentes doctrina, & professione Euangelij plus damni dare, quam pontificios.*

cios. 1. exemplo Pauli itaque contra eos pugnandum, *2. exemplo Lutheri optantis Zvvinglium mansisse Papistam, 3. post defectionem à Papistis plus damni dedisse, quam dare potuisset, si cum eis mansisset.* Quarto, *Caluinistas humanitate Lutheranorum abuti, & fraternitatem iactare.* Quinto, *Caluinistas nouos errores inducere, Ecclesiæ intolerabiles*, eosque recensent. ita disp. Heydelb. de Syncretismo. Hæc cum dicant, & anno 1588. dixerint, interea nihilominus magna pars Lutheranorum ad Caluinismum migrauit, etiam ipsi ministri vestri, quibus ad eiurandam fidem satis erat principum voluntas. Dicet quispiam hæc dici à Tubingensibus Lutheranis; negari ab Heidelbergensibus Caluinianis. Recte dicunt Lutherani, non recte negant Caluiniani; quamuis enim initio dicant, se à Lutheranis *non nisi in vno eoque non toto articulo dissentire*, hoc tamen in fine reuocant. *Quibus* (Tubingensibus) *nos QVÆ hoc loco, & quam PORTENTOSA, & INDIGNA Theologis vicissim obijcere possemus?* ita Heidelbergenses.

Eiurant fidem ad nutum principum ministri.

Sperari igitur prudenter ex Dei misericordia pax potest; sed de modo, & initio agendum est. Ille quidem verus, & vsitatus est, quem libro de pace Germaniæ proposui, vt Conciliorum priscorum scripturas interpretantium sententia stemus; sed cum nullum dari concilium, quod omnes amplectantur, in tanta dissentientium varietate possit, multa antecedant necesse est, rationesque ineundæ, quas omnes ex recto iudicio comprobare debeant.

Ratio prima concordiæ est: Vt status quæstionis & controuersiæ recte formetur; quem magna pars disputantium, & in pulpitis stentores vestri corrumpunt. Non enim quæritur; an purum putum verbum Dei sit docendum? an ex eo definiendum?

Ratio pacis practica.

dum? An verbum Dei reijciendum? Itaque calumniosè Bucerus in libro de concordia, inter prima dandum censet; *vt verum Dei verbum vbique libere prædicetur*, hoc enim iam olim dedimus. Hæc ergo controuersia est. Constituto in medio Dei verbo, quod omnes sacrosanctum dicimus, vtra pars verum, & genuinum illius intellectum habeat? Nec modo inter nos, & illos; sed inter illorum sectiunculas; verène Lutherani, an Caluiniani, & Arminiani, an Gommaristæ verbum Dei interpretentur? Huius considerationis hæc est vtilitas; primo, quod saltem quibusdam in rebus conueniant, qui pacem facturi sunt, & communia principia habeant. Neq; obstat, quod illi magnam partem agnoscunt solum verbum scriptum, nos scriptum & traditum, siue ἄγραφον. Hoc ipsum enim disputabitur ex verbo scripto; An repugnet ei esse traditiones? An sit traditio; libros illos, quos Ecclesia pro Dei verbo veneratur, esse canonicos? Nam Lutherus ipse fatetur, pædobaptismum ex scriptura euidenter non probari. Ochinus ita argumentatus est. Quicquid in scriptura euidenter non est, non est credendum, damnatio polygamię non est euidenter damnata. Ergo, atque ita ex illo principio, de solo verbo scripto, Polygamiam induxit.

De sensu verbi Dei disputatio tota est.

De traditionibus ex verbo scripto iudicabitur.

Neque iniquum aliquid postulo, cum hūc statum proponendum pronuncio, & flagito. Omnes errantium centuriæ, vna voce ingeminant, *scripturam, verbum Dei, putum putum verbum Dei*. Et de sensu tamen disputant. Non ignoro plurimas disputationes esse inutiles, vt olim notauit Tertullianus; sed ad æquitatem & concordiam aliquā reduci posse cunctos arbitror, si omnes de sensu scripturæ disputemus, isque Scopus vnicus proponatur.

Nulla tam mala causa est, quin legem appellet.

Tu, ô princeps, credis scripturæ? Ego quoque credo, imo pro vno iota aut apice mori sum paratus. Hac igitur in re consensus est. Verum hoc ex initio aliud tu, aliud ego do-

go do-

go deinceps credo. Quia aliud loquitur ſcriptura in meo ſenſu, aliud in tuo; & aliud forte in eorum opinione, quibus tu credis. Hinc igitur oritur altera quæſtio, Tune, & tui, an ego ſenſum verum habeam: propius igitur manus conſerendæ ſunt.

Secunda ratio concordiæ, vt ſimul omnes Deum omnipotentem oremus, vt cum de ſenſu ſit controuerſia, ſuo Deus nos lumine dignetur, vt verum eruamus, in vero confirmemur. Deinde ex idiotiſmis ſcripturæ, analogia, collatione aliorum locorum, euidenti deductione, vſu veteris Eccleſiæ, Conciliorum, & patrum de vero ſenſu diſceptemus. Multa commoda habet modus ille collationis, ſi inter humanos, & cum modeſtia fiat. Primo. Nemo nos apud ignotos, quaſi ſcripturæ contemptores ſimus, reddet odioſos. Secundo. Apparebit continuo detecto fuco morbus eorum, qui ad omnia, & nobis, & ſibi mutuo ſcripturas opponunt. Tertio. Minus erit contentionum, cum omnes in ſcripturæ inueſtigatione verſentur; non in mutua pugna, in qua ad leuem tactum exardeſcunt, imo vt arthritici ad ſuſpicionem tactus exclamant. Quarto. Cum duplices ſint miniſtri, alij clamoſi, eriſticique, qui omnia ad opinionem ſuam anticipatam referunt, alij pacatiores, doctioreſque, horum commentarij magnam occaſionem, facultatemque præſtant, ſtentorum proteruiæ retundendæ. Quinto. Miniſtri non cogentur agere impotenter, & iracundè, quia ſcripturam interpretantur; nam in diſputatione eriſtica, niſi tota bile ſe proluant, cecidiſſe cauſa videntur, & patiens diſputator pro præuaricatore habetur. Sexto. Quamuis autem non vincatur euidenter, hoc tamen aduertet, ſcripturam à ſe non facere, verebitur etiam agmen

Verus ſenſus non priuato iudicio æſtimandus.

Expoſitio ſcripturæ pacatior eſt.

Cccc mul-

multorum, & magnorum in altera parte. Nec me damnare poterit, quem ex suo principio non vicit.

Exemplo rem demonstrabo. Prouerbiorum 16. dicitur. *Omnia propter semetipsum fecit Deus, impium quoque ad diem malum.* Hunc locum ita interpretantur Gomaristæ in Belgio, & qui eos sequuntur, rigidi, vt dicant. *Deum creare impios, vt in eorum pœna ipsius iustitia reluceat.* Videantur Piscatoris thesis 6.7.9. & disput. contra Vorstium. Theses sic habent.

Modus collationis ex scriptura.

1. Peccata fiunt Deo procurante, & fiunt eodem volente, imo omnino sic volente. Sect. 17. Item 6. & 64. & passim.

2. Vult Deus iniquitatem fieri, etsi ea non delectatur: sicut ægrotus amarum potum bibere vult, etsi eo non delectatur. Et sic dictum illud Psal. 5. Non es Deus, qui delectetur iniquitate, &c. intelligi Sect. 95.

3. Voluit Deus, vt Iudas Christum proderet, & vt Iudæi ipsum occiderent; quod tamen illis prohibuerat. Sect. 10. & 16. & 24.

4. Consentaneum est voluntati Dei, quod iniustum est, hoc est, præcepto illius contrarium. v.g. homicidium illud Iudæorum, & proditio Iudæ &c. Ibidem præsertim Sect. 16. & 24.

5. Omnia fiunt ex decreto Dei, ẽt ipsa peccata: & quidẽ ex decreto absoluto, & speciali Sect. 56. & 58. & 130.

6. Quia Deus iustitiam, & misericordiam suam patefacere vult, ideo quoq; vult, vt peccata fiant. Sect. 61.

7. Quia Deus procurat istam patefactionem iustitiæ, & misericordiæ suæ, ideo etiam procurat ipsa peccata, Sect. 64.

8. Deus procurauit, vt Absolon stupraret vxores patris sui, vtque Simei regi suo malediceret &c. Ibidem vti & Sect. 17.

9. Deus

9. Deus destinauit omnes homines ad peccata: idque propterea, vt alios ex misericordia seruaret, alios ex iustitia puniret, ac perderet. Sect. 89.

10. Quia Deus peccata permittere decreuit, ideo necesse est, vt illa fiant: quia secus frustra decreuisset permittere. Sect. 131.

11. Incredulitas Iudæorum (& similiter omnium incredulorum) pendet à prædestinatione Dei. Idque Apostolus Rom. 9. disertè docet. Sect. 133.

Hæc sunt ex mente Zwinglij, Caluini, Bezæ, Gommari, & aliorum. Ego alio modo interpretor, veriore & meliore. *Creauit Deus impios, non inserendo illis impietatem, sed homines, quos præuidit futuros impios; & eorum impietate,* quam non fecit, sed præsciuit vsurus est ad suam iustitiam ostendendam. Creauit eum *iturum in diem malum,* non ordinauit, nisi ex præuisa impœnitentia in supplicium. Meam interpretationem sic probo. 1. Verba hebræa non indicant, Deum *ordinasse impium in diem malum,* aut fecisse impium, & solus ille textus vobis est authenticus. וגם רשע ליום רעה *etiam malũ in diem malum,* vel vt alij. Et *malus,* vel *impius in die mala, decidet,* vel *peribit* scilicet, cum enim dictioni רשע non sit appositus articulus את, tam potest esse nominandi, quam accusandi casu prolata. Deinde 70. interpretes sic exponunt. οἱ δὲ ἀσεβεῖς ἐν ἡμέρᾳ κακῇ ἐλοῦνται *Impij vero in die mala peribunt.* non igitur verba illa Dei ordinationem absolutam, & decretũ damnandi sine culpa significant. 2. Nisi hanc interpretationẽ sequimur, Deũ faciemus iniustũ; nõ põt n. sine culpa præuisa ad suppliciũ destinare, sicut nõ põt sine cõmissa culpa damnare. Hoc igitur crudelitatis, non iustitiæ exercitiũ est. 3. Deus infinite bon⁹ est, ergo abhorret infinite ab inferẽda pœna iniusta; ergo ẽt à destinatione pœnæ. 4. Multo crudelius

Deus non creat impium, sed hominem.

Sine culpa nec dãnat, nec punit Deus.

est,etiam procurare peccata. Esset enim Deus Tiberianus qualem nobis Hollandi descripserunt. 5.Ita mecum interpretati sunt Patres. Augustin. Ep.106.ad Paulinum. *Quamuis peccata non fecerit, naturas tamen ipsas, quæ per se ipsas sine dubio bonæ sunt, quibus tamen ex arbitrio voluntatis futura essent vitia peccatorum, & in multis talia, quibus esset æterna pæna reddenda, quis nisi Deus creauit?*

Testes veri sensus.

Et l.2.contra calumnias Pelagianorum,c. 3. Omnium quidem hominum Deus creator est;sed nemo ab eo creatus est,vt periret : quia alia est causa nascendi, alia pereundi. Vt enim nascatur homo, conditoris est beneficium,vt autem pereat, præuaricatoris est meritum. In eandem sententiam conueniunt veteres patrum, totaque illa Ecclesia, quæ Augustini ætate, & deinceps fuit. 6. Sic etiam omnes Arminiani, quique in Germania, & Gallia mitius sentiunt, imo in Britannia contra Caluinum interpretantur, qui omnino Caluini in hac interpretatione errorem condemnant. Multo vero seuerius Lutherani,qui illam interpretationem adeo impiam funestamque arbitrantur, vt integris voluminibus probent, Deum Caluinistarum esse ipsissimum cacodœmonem.

Hoc modo si à principio Geneseos vsque ad finem Apocalypseos scripturas scrutemur,& de vero sensu controuertamus, clarissime apparebit, à nobis nullum iota, nullum apicem verbi diuini negari, mutilari, peruerti.

Interpretatio legis est eius anima.

Hæc nobis facultas à nullo negari potest, qui modo veritatis amator sit. Efficietur autem ex ea,vt quod ante contra legem videbatur,secundum legem,& mentem legislatoris inueniatur.

Ter-

Tertia ratio concordiæ est, vt principes nostram doctrinam à nobis, aut è nostris libris, non à suis ministris, nostris inimicis addiscant. Nos enim coram omnium iudice, & calumniarum vindice Deo, totoq; mundo, toto pectore protestamur, plurima, grauissimaque dogmata nobis falso imponi. Probarunt hæc alij, & postremo in sua contra Pareum Antithesi Maximilianus Sandæus, & contra Iubilantes Andreas Fornerus. Cur nobis errores, quos anathematizamus, affingunt? an errare nos cupiũt? an suos fallere? Hæc ratio concordiæ & necessaria est, & efficax; necessaria; quia in concilijs, in colloquijs, in iudicijs de religione statur professione eius, quocum controuersia est. Hoc igitur, quod ego sentio, oppugnandum est, non quod mihi per inscitiam, vel calumniam aduersarius imponit. Verbi gratia; aiunt, nos negare solum redemptorem esse Iesum Christum; Nos omni asseueratione, etiam iureiurando contestamur, solum Iesum Christũ nos redemisse. Calumnia igitur illa sopiatur, oportet, vt veritas audiatur. Efficacissima vero est hæc ratio; quia maxima pars cõtrouersiarum concidet; imo materies famosarum concionũ euanescet. Odium enim nobis, si tantum vera de nostra doctrina loquantur, creare non poterunt. Ad vestra igitur tribunalia stamus, Illustrissimi principes, rogamusque vt, quod magnæ fortunæ est, & principalis officij, patrocinium veritati præstetis; nec graue est, sed æquissimum; quod postulamus. Vti nimirum pro tot accusationibus, calumnijsque, quibus ad vestras aures traducti sumus, quotidieque traducimur, vnam, non vindictam, non talionem, sed audientiam præbeatis. Si pacem amatis, si Christianam caritatem tenetis, si naturæ legibus ducimini; audite, quid sentiamus, quid damnemus. Audite, sed à nobis, non ab inimicis nostris. Iudicis officium est, dili-

Materia concionũ hereticarum sunt calumniæ.

Si rei sumus, audiamur, vt legitimè damnemur.

Absoluit iudex, quē audire formidat.

genter cognoscere.l.cum ij,§. si prætor.de transf. in π. Deinde ne temere rumoribus moueatur, nec immeritos, & fama aduersa notatos iudicet, sed plena disquisitione indaget. Cur nos accusant, vbi defensio nostra nō auditur? Maledicunt vestri ministri, non accusant. Aliud est enim maledicere, aliud accusare, (Cicero pro M. Cœlio) *Accusatio crimen desiderat, rem vt definiat, hominē notet, argumēto probet, teste confirmet.* Si maledicimur, è contrario benedicemus; si accusamur, defensio audiatur. Violentissima enim calumnia opprimimur; malitiosè namque & mendaciter nos infamant, de erroribus, quos vel morte fugere parati sumus.

Vbi nemo honestus esse putatur, sine verecundia delinquitur.

Quarta ratio concordiæ est, vt calumniarum de moribus sit modus. Antiquum est Satanæ artificium optimos infamare, vt cum alij aperte sint mali, alij ficte boni, si eos quoque, qui vere & sincere virtutem colūt, criminum suspectos faciat, nemo credatur esse bonus, ideo nec esse posse, cum alioqui summum hoc sit solatium malorū, bonos carpere. Cato quadragies quater causā dixit, & semper absolutus est, Plin li.7.c.28. Nunquam tam multa, tā fœda calumniarū genera audita sunt, quam nostro sæculo, De Bellarmino, de Pontifice, de Societate nostra. Si vera sunt; iudicium date; Heidelbergam, Hagam comitis, Londinum ibimus. compareat accusator, crimen probet, noxæ nos ipsi dabimus. Necessaria est illa ad Concordiam, & efficax ratio. Nā inimici nostri infamare nos conātur, ne audiamur; nam si audiamur, vicimus. Vbi Christiana mansuetudo, vbi iustitia est? Si non modo vt Antichristianus ob religionē, sed etiam vt adulter, fur, seditiosus, regicida traducor, & cum me offero iudicio, non audior? Si occidere vultis, damnate auditum, vt Reipublicę, non calumnię meū sanguinē impendisse videamini. Quid iusti-

iustitia naturalis postulet, videtis. Non doctrinam modo Catholicorum doctorum, sed vitam infamant ministri vestri, extra ordinē vero, & insignite Societatis. Nullum crimen est, cuius nos reos non faciant; nullum suppli-cium, quod nimium esse censeant, nullum odium totius mundi, quod par sit nostræ malitiæ. Nunc Deum, hominesque obtestor, in ius vocate, crimen probate, liceat mori, si non iure, saltem ritu, & processu damnatos. Inter tot maledicos, & conuitiatores quærimus accusatorem, forum eius sequemur, nullum erit, in quo non sit aliquod innocentiæ præsidium. Sunt Reges & Principes nostrarum rerum conscij, sunt prælati, optimates, nobiles, Senatores ciues, opifices, famuli, tot myriades studiosorum adolescentum, & virorum, inter hos Lutherani, & Caluiniani, imo à religione Apostatæ. Si his omnibus ignota sunt nostra crimina, quibus sunt tamen collegia peruia; vnde vobis cognita sunt? Si his nota, ecce producite testes, litem contestamini, conuincite. Mihi aliquando in mentem venit suadere P. N. Generali, vt quoniam tot contra nos calumniæ indies nascuntur, omnia Imperatorum, Regum, Principum, Præsulum, Rerumpublicarum, ciuitatum, curiarum diplomata, quæ de nostra innocentia testimonium ferunt, in lucem edi curet, & sane prudenter fecerit. Quæ enim erit frons tam ferrea, quod os tam durum, vt si videat mille Monarcharum, Principum, Rerumpublicarū aliorumque magnatum testimonia pro innocentia; & quidem eorum, qui nos familiariter norunt, qui in res nostras, vitāq; inquisiuerūt, adhuc calumniari ausit? Verum ista statuat, cuius id muneris est. Nunc accusari opto, è vinculis causā dicam, modo ad vincula, è quibus causam dicā, admittar. Non potest aliter pax fieri; nisi infamia dematur innocentibus.

Infamant grauissimè, vt indigni auditione videamur.

Contra tot innocentiæ testimonia audiri detractor nō debet.

Vinciri melius est, quam pati calumniā.

tibus. Cum enim sciant, famam vita præstantiorem esse, ne pugnare, & disserere cogantur, per infamiam sepultos volunt. Hoc vos, Illustrissimi Principes, ideo facilius concedetis, quia vel Lutherani estis, vel Reformatam, vt vocant, doctrinam sequimini, & si hanc; vel primo reformatam, vel nouissimè interpolatam. Si Lutherani; omnes Caluinianos ministros pessimos calumniatorum existimare debetis si vestris creditis. Si Reformati, idem de Lutheranis iudicandum est. Si igitur omnium vestrorum est illa querela, meam quoque admittite.

Lutherani & Caluiniani ministri se mutuo infamant.

Sexta ratio concordiæ est, vt propria impedimenta remoueantur, propria voco, quæ in vestris hærent partibus, & tamen remoueri facile possunt.

Primum impedimentum est, Præiudiciorum ἀντίληψις, & anteoccupatio, quæ ad aliena quæcunque cohorrescit. Sed hoc tolli potest varietate, & altercationibus dissentientium, deinde mutationibus religionum; omnes certissimi erant maiores vestri sed mutarunt tamen. Ipsi ministri vestri occiso Zvvinglio venerunt in Germaniam, victis protestantibus Lutherani fugerunt in Heluetiam, & suos Lutheranos facti Caluiniani merito victos asseuerarunt. Nunc etiam vt quisque principum in diuersam religionem abit, turbam ministrorum trahit, retrahitque, & creditis eos esse Dei cultores, & non potius potestatis vestræ assentatores? Quæ igitur est fiducia causæ toties desertæ? causæ, cuius assertores in altera parte steterunt?

Firmum non est, quod in diem mutatur.

Alterum impedimentum est iam olim sublatum; nempe scandala vtrinque data, accepta. Nam ante multos annos Bucerus in libro de concordia Christiana, sui Euangelij impedimenta recenset, *impiam vitam Euangelicorum.* Si igitur Euangelicorum impietas nos ab eorum Societate & consortio deterrere debet; non est, quod nostra peccata

Vtrinque sunt scandala, apud vos ex natura doctrinæ.

cata magnopere illos à veteri fide arceāt. Præsertim cum ad morum malitiam accedant nouarum hæreseon inuentiones. *His omnibus accedit*, inquit Bucerus p. 65. *Non exiguum esse eorum numerum, qui à cerimonijs Papisticis recesserunt, & de Euangelica reformatione gloriantur, eo prætextu & iactantia multas, malas, venenatas hæreseos, & sectas, seditiones, & tumultus inceptarunt, hodieq; inceptant.*

Tertium impedimentum, ne nos ad vos accedamus, est; ne toti reliquo orbi Christiano dissimiles, & relicta vniuersali Ecclesia, vni vnius anguli occultæ particulæ similes simus: nobis vero obijciat Augustinus, quod Donatistis, qui in sola sua parte Ecclesiam mansisse gloriabantur. Vos autem, ô Principes, si vestros auditis, solitariam fidem tenetis. Quis enim Lutheranam cum vicinis fidem communem habet? Quis rigidam cum parte Geneuensium tuetur? Omnes vestri particulas faciunt, quia pacem cum parte non tenent, quia contra totum bella gerunt. Hoc igitur vobis incitamentum esse debet, vt toti corpori coniugamini, à quo diuulsi estis.

Vna particula non est Ecclesia.

Quartum impedimentum recenset Bucerus, timorem prælatorum Catholicorum, ne dignitatibus excidant. Quod grauissimum esse arbitratur. Verum hoc in vos retorquet ipse, ô Principes, plures enim prælaturas vos possidetis; ideoq; tam vos timere, quam Catholici potestis. Verum hoc quoque impedimentum neminem amplius remoratur. Nostri Prælati non modo dignitates, sed & sanguinem pro fide paciscì sunt parati. Deinde quid magnopere mali accidet deficientibus à fide parentum? Si plures id faciant, & potentes, non opes modo retinebunt, sed hæreditariás facient etiam; vxor enim adijcietur; neque enim clā est, quid Alberto Brandeburgico Electori Moguntino suaserit Lutherus. Canonicis etiā, Parochisque nostris sua relinquetis, si ad vos venerint. Hoc igitur

Impedimentum bona Ecclesiastica sunt.

impedimentum à vestris ministris remouendum est; quorum centurias ad Catholicos breui migrare videretis, si esset, vnde eas cum familia aleremus.

Hoc agit Satan per varias sectas, ne vlla secta curetur, quæ est pessima sectarum.

Quintum impedimẽtum est salutis incuria. Magnum, & quo se homines occupati excusant. Quia enim melius aliquid nondum apparet, in eo, quod semel instituerunt iter, permanent. Non scientia boni, in quo sunt, sed ignoratione meliorum.

Multa sunt nihilominus, quæ ministros vestros mouere possunt, vt seriam aliquando salutis suæ curam suscipiant; atque de ea vobiscum tractent. Primò. Cum animaduertunt, se nullum habere fundamentum, cui insistant. Nam scriptura niti non possunt, nisi Hebraicè, Chaldaicè, Græcè doctissimi, cœteri authentica scriptura carent, vt supra, cum de scriptura agerem, docui. Secundo. Antiquitatem suam dubiam tuentur: nemo Lutherum, nemo Caluinum, nemo vllum in solidum sequitur, singuli sibi sunt Magistri, hac ratione quando eos luctari cum dubitatione est necesse, patique cruciatus, & conscientiarum lancinationes; magno quotidie tormento ad veritatem impelluntur, omnis fluctuatio vectores periculi admonet; & quomodo ministri certi sint, quando Lutherus ipse dubitauit; in colloq. Isleb. fol. 96 §. 3. *Sæpe sic mecum cogito; propemodum nescio, quo loco sim, & vtrum veritatem doceam, nec ne.*

Inanis fiducia semper fluctuat.

Ministri feruidi mutationis imperium, languidi heterodoxiæ suspicionẽ timent.


Tertio. Duo sunt, quæ maxime eos affligunt, & quasi retorto collo ad veterem religionem trahunt, inter sacrum enim & saxum constituti, non nisi singularissimo adiutorio possunt euadere. In singulas nanque horas imperium mutandæ religionis exspectant. Si vehementer id, quod nũc sentit princeps, tanquã Orthodoxũ incul-

inculcent, maiore infamia paulo post mutandum est. Si languide; præuaricationis arguentur. Hinc igitur confidenti loquentia, inde perpetuitatis desperatio, duo pugnantissima mala animam vastant: vt vel idcirco ad religionem veterem, per annos mille sexcentos constantissimam redire velle debeant. Deniq; nisi maturo consilio, magno zelo, germana sinceritate de vera religione constituatur, initiumq; conueniendi, audiendiq; fiat, in Turcismũ paulatim perfidia desinet; inualescunt Arriani, Samosateniani, Ostorodiani siue Sociniani: Christi meritũ, diuinitatemq; negant, aliaq; docent, quæ cum Mahometanis eos facilius, quam nobiscum conciliabunt. Quæ cogitatio quicquid incuriæ, acediæ, negligentiæ animis dubitantibus inest, facile excutiet.

Quia itaq; *nos Ecclesia derelicta foras exire, & ad vos venire non possumus, vt vos magis ad Ecclesiam matrem, & ad nostram fraternitatem reuertamini, quibus possumus hortamentis petimus & precamur.* Quod si non impetramus; hoc saltem date, vt causam nostram audiatis. Eamq; vel probetis, vel quid probandum sit; intelligatis.

Christum solum verum Deum, Dei filium, patremque eius, & Spiritum sanctum veneramur, scripturæ αὐτοπιστίαν auctoritatemque tenemus; de eius sensu cum vestris controuertimus, nihil non orthodoxum docemus, inauditi damnari non possumus, nobile iudicis officium imploramus, causam dicere, quacunque conditione parati sumus. Omnium reddere rationem & possumus, & volumus; tantum ne lingua vestrorum ministrorum, quæ est nostra fornax quotidiana, præiudicio occupet animos, alioqui iuste iudicaturos. Hæc Deum, hominesque contestamur, causam nostram probaturi, si audiamur; indefensi, sed innocentes morituri, si negligamur.

FINIS.



Errata Typographica sic corrigenda.

Pag.1.Lin.18.quæ.p.7.l.28.οἶνος. ibid.l.28.κακός.p.10.l.8.πύλησι.p.17.l.32. Brixiensis,p.27,l.6,ducati.p.28,l.26,Reditus p.29,l.26, ducati, p.30, l.2. Salamanticæ,p.43,l.25,cernantur,p.44,l.20,nam omnes,ibid.lin.30, ablegando,p.46,l.30, Anonymus, & l.32,p.50,l,8,fabricetur,ib.l.17,capitum,p.51,l.26,tragœdiæ,ib.l.27,tamus,p.66,l.12,Contra-Remonstrantes p.68,l.6,assensu p.70, l.5.mataeologus,ib.l.6,Mambres,ibid.l.26,antinomos,p.71, l.1, anosion, ib.l.21, Mambrum,ib.l.23,euerriculum,ib.l.27,cui frigida,c.72,l.4,atro dente, p.73,l.12.ἀπειλῆς καὶ φόνου.ib.l.16,subleſta, ib.l.17, hirudines, p.74, l.16,ἑτερομάλιον. ib.l.26, demagogorum,ib.l.29,personatum,ib.l.32,Bdelygma,p.75,l.32,Asyllogistos,p.78,l.24,chladium,p.83,l.19,Bogomilitarum, ib.l.20, Anonymorũ,p.91 l.5,latius,ib.l.18,etsi,ib.tamen,p.92,l.1.gentilium,ibid.l.19, ψευδοπροφῆται.p.101,l.8,non,p.113,l.6,nulli,p.117,l.21,nigro,p.119,l.32,idiotæ,p.120,l.24.Col.6,p.127,l.28,Chytræus,ib.l.31,Illyricus,ib. Marloratus,p.133,l.29,dele 2,p.120, p.135,l.29,dele domum,p.163,l.26,rigiditatem, p.167,l.22,pandocheio, 172,l.31,At parua,p.173,l.16,inter nos,p.178,l.28,Maozim,ib.l.30,Maozim, p.184, l.22,dele citabo,p.180,l.22,Callinicus,ib.l.24,Ceraunus,p.189,l.12,commissarij p.192,l.20,experiri,ib.l.27,Caluiniani,p.193,l.12,errori,ib.l.13,Miro,p.195,l.15, insinceræ,p.196,l.9,iniustas,p.201,l.23,vsq; ad.ib.l.26,Ecclesiam,p.207,l.3, Lagidarum,p.211,l.17,contabescent,ibid.l.18,viderint, p.213, l.5, πληρουμένων τῶν ἁμαρτιῶν.p.216,l.10,vtrumq;,p.221,l.3.βδέλυγμα.ib.l.5,ἠφανισμένων. l.2.pone non magis,p.227,l.29,τῶν ἀνδριάντων. p.232, l.7, συγκεραθήσεται. ib.l.17.φθείρειν,p.244,l.20,à Scopa,p.245,l.12,Libyam,p.255, l.16,alius,p.259, l.26,procedit,p.264,l.23,alteri,p.266,l.8,ἐξοχὴν,p.284,l.6,præcipuum,p.287, l.18,prædestinante,p.293,l.28,dώron,p.335,l.11, Omittunt, p.338, l.marg.iustitia,p.345,l.31,dele,Si fides,p.347,l.8,& fides,352, l.33, ne quidem omnes,p.353,l.16,Iacobo,p.355,l.3,secessionem.p.360,l.25,credidisse,p.380,l.8, argutiis p.386,l.13,pone Et Symmach.p.388,l.16,intendit.p.403,l.3,reconditur,p.402 l,11,temporales,p,407,l,24,præterea,p,411,l,22,dele,à lustro,p,422,l,8,placeo, p,422,l,18,lytron,p,425,l,7,quid in,p,432,l,6.ἐρημώσεως,p,443,l,9,Sapphyrini,p,451,l,8,Maioris,p,455,l,27,peccatorum.p,458,l,30,dele,Nihil 1,p,459, l,23,quemadmodum,p,470,l,35,illi,p,471,l,17,discipulos,p ,478,l,7,ἀνθρώπου,p,481,l,24,Alberum.p,482,l,25.κοινωνία,p,485,l,32,distabit,p, 488,l,11: ne hoc,p,489,l,5,& viuus,p,489,l,15.ἀναίμακτον,p, 497, l, 24, legitimisq;, p,505,l,18,Chalced.p,506,l,33,se implicat,p,514,l,16,Syllana, p, 519,l,19,rectè, p,524,l,15, Grinæus, p, 525, l, 13, Cretensis,p, 544,l,2,mentiuntur,p,547,l,9, priuilegiis,p,548,vt p,549,l,1,inueniatis.

In Heb.inopia literarum, & similitudine sæpius.